THEORIA
ENTIUM INSENSIBILIUM

SIVE

METAPHYSICA UNIVERSA

SACRA ET PROPHANA,

OMNIUM CAPTUI ACCOMMODATA.

Accessit rerum index alphabeticus, cujus ope totum hoc opus lexici metaphysici, seu philosophici vices gerit.

AUCTORE

ABBATE PARA DU PHANJAS.

E Gallico sermone in Latinum vertit F. T.

TOMUS PRIMUS.

VENETIIS.

APUD LAURENTIUM BASILIUM

Superiorum Permissu, ac Privilegio.

MDCCLXXXII.

TYPOGRAPHUS VENETUS

Lectori Benevolo

IN tanta Philosophicarum Institutionum copia has novas in lucem proferre non solum, sed e Gallia traducere non auderem, nisi ingenio & doctrina ornatissimi viri omnique fide majores, eas cæteris omnibus hucusque editis præcellere arbitrarentur. Eximius harum Auctor tum primum per Italiam innotuit, cum Romæ Venetiisque paucis ab hinc annis tribus editis de Religione Christiana, iisque Italo idiomate donatis ejus Sermonibus, maximo doctorum omnium desiderio atque aviditate excepti fuere; quos postea Sermones ipse denuo recusos amplificatosque in duos Tomos conjecit, quibus titulus: La Philosophie de la Religion. *Nunc maximum, ut ita dicam, ejus opus aggredior pluries ab eo limatum relectumque in prægrandi auditorum frequentia, quodque ideo non secus ac diuturni improbique laboris fructus reputandum est.*

Accipe, Humaniſſime, modo in tres tomos Metaphyſica hujus Auctoris elementa; habebis mox unico ejuſdem Matheſim, ac tandem quatuor tomis Phyſicam univerſam. Meis fave conatibus, tuamque valetudinem cura.

LUDOVICO STANISLAO XAVERIO

PROVINCIÆ COMITI

CHRISTIANISSIMI GALLIARUM REGIS FRATRI

PARA felicitatem.

DUm *Operis hujus philosophici* obsequium acceptas, illi præclarissimis auspiciis in lucem prodire concedis: illi das, ut aliquatenus nominis tui splendore ornatum emergat, nominis, inquam, mundo, ingeniis, virtutibus carissimi.

Dignum germen Divi Ludovici regum omnium sanctissimi, maximique, digne fili Ludovici Delphini, qui terris illuxit tantum, ut illis felicia sæcula præpararet, æternumque religionis, admirationis, amoris, dolorisque sensum relinqueret; in te, Regie Princeps, summo plausu miratur Gallia horum Majorum tuorum renascentem religionem, beneficentiam, disciplinarum utilium patrocinium, mentem, sapientiam, præclaras demum eorum dotes omnes, quæ regem,

quæ christianum hominem, quæ civem ornare possunt.

Digne Frater sapientis, atque benefici Regis, quem adorat Gallia, quem Europa reveretur, cui nihil magis, quam regni gloria, & populorum felicitas cordi est: non illi tu, ejusque solio propius accedis, nisi ut secum insigne toti orbi virtutum omnium præbeas spectaculum, illudque potissimum prioribus sæculis fortasse ignotum, venturis vero exemplum, & documentum: amorem nempe fraternum sanctissimum, atque ardentissimum solio sedentem, & solio proximum.

Dum omnibus virtutibus ornatus, quæ & animum illustrant, & populorum amorem tibi concilianṫ, illud quoque præstas, ut optimas disciplinas, atque artes, quibus imbutus es, quasque amas, patrocinio tuo foveas, omne porro summæ tuæ dignitatis munus exequeris. Vale.

PRÆ-

PRÆFATIO.

FOrtasse non inutile videbitur hac ætate, qua *falsa philosophia* innumeris sophismatum insidiis munita impio furore nititur sanctæ Religionis, morum, ordinis politici, & civilis fundamenta subruere, *veram Philosophiam* in lucem proferre, nova methodo, novaque perspicuitate, propriis coloribus, veroque suo aspectu spectandam; eamque e sua sublimitate deducere, ut, quoad fieri potest, omnium excultarum mentium captui sit accommodata, quæ proinde vera ejus principia, easque quæ ex his consequuntur, veritates probe percipiant. Porro hic est hujus operis scopus, quod philosophiæ cultoribus exhibemus.

Illud sane certum est, philosophiam, uti hisce temporibus traditur, aut tradi debet, simplici, ac illustri metaphysicæ tractatione indigere, taleque metaphysicum opus omnibus numeris absolutum in philosophia adhuc desiderari.

Metaphysica omnium divinarum, humanarumque scientiarum veluti clavis, aut fax est. Suum est earum principia statuere, & explicare, viam illis sternere, & indicare; omnia denique earum objecta, quantum fieri potest, simplicitate, & claritate donare.

At disciplinarum omnium præclarissima, & amplissima non nisi ultima oriri potuit. Antequam ipsa in lucem emergeret, humana mens diuturnis, magnisque laboribus per plura sæcula productis, omnes philosophicas regiones excolere debuit: suorum enim inventorum fructus, suarumque meditationum analysis metaphysica futura erat. Duo, aut tres mille anni sunt, quibus plenam atque perfectam hujus disciplinæ tractationem habere conantur homi-

nes: at vix quinquaginta ſunt, quibus ſibi obſervationes, inventa, cognitiones compararunt, quæ a tanto opere ſupponuntur, aut requiruntur.

PHILOSOPHIÆ NOTIO.

Philoſophia eſt amor ſapientiæ, naturæ ſtudium, veri, & honeſti inquiſitio in eorum principiis, eorumque conſequentiis: hæc ejus natura eſt. Omnes cognitiones, quas mentis humanæ acumen aſſequi poteſt, ejus regnum ſunt. In hiſce omnibus certa, & inconcuſſa principia ſtatuere, ab his ad conſequentia plus, minuſve remota deſcendere, aut ab his ad principia regredi, hæc ejus via eſt, qua procedit. Ejus objectum ſunt tum *entia ſenſibilia*, quæ ſenſus noſtros afficiunt, tum *entia inſenſibilia*, quæ non niſi mente attingi poſſunt. Prima phyſicæ objectum ſunt, altera metaphyſicæ.

Phyſica philoſophiæ pars alio opere a nobis pertractata fuit, quod paſſim jam notum, atque probatum. Inſcribitur: *Theoria entium ſenſibilium, ſeu Phyſica univerſa ſpeculativa; experimentalis, ſyſtematica, & geometrica omnium captui accommodata*. Hoc igitur opere, cujus modo præviam notionem tradimus, metaphyſica tantum philoſophiæ pars pertractabitur, ſeu pars illa philoſophiæ, quæ in *Entium inſenſibilium* ſtudio verſatur. (*a*)

Rem

(a) *Etymologia I. Philoſophia* amor ſapientiæ; *a* φιλῶ *amo; a* σοφία *& ſapientia. Duo dicit, ac continet neceſſario idea ſapientia qua indiviſibiliter ejus* eſſentiam *conſtituunt: nempe*

PHILOSOPHIÆ VICISSITUDINES.

Rem minime inutilem, neque incongruam me facturum puto, si de philosophiæ origine, atque incremento, de ejus lapsu, ejusque nova restitutione prospectum edidero in *opere hoc philosophico*, in quo omnes scientiæ hujus partes ostendi debent, atque explicari. Philosophiæ enim historia pars est philosophiæ, & ipsius desiderium creare valet.

Excultæ antiquitatis temporibus philosophia populis admirationi, sapientibus in deliciis fuit. Objecti sui dignitas, atque amplitudo, cognitionum pulchritudo, atque utilitas quum sibi universa suffragia vindicarent, quoscumque qui ingenii vi, ac animi dotibus præstarent, illius discipulos effecerunt. Nemo quovis in genere magnum nomen tunc habere sperabat, nisi philosophi nomen sibi virtute comparasset. Quatuor, aut quinque *scholæ celebres*, non omnes æquali successu, ad philosophiæ studium animos incenderunt.

SCHOLA JONICA.

Thales Milesius sexcentis ferme annis ante Chri-

---

pe lucem in intellectu, & rectitudinem in corde.

II. *Metaphysica*, supra, vel ultra physicam. *Scientia, quæ supra physica, & sensibilia attollitur; cujus objectum sunt ea, quæ immediate sensibus attingi nequeunt. A μετά* ultra, supra, *& a* φύσις Natura sensibilis. *Metaphysica in humano intellectu nihil aliud est, recte sentiendo, nisi* ratio illustrata *idea rerum analytica in magnis omnibus humanarum cognitionum objectis.*

Christum natum Scholam Jonicam instituit; primaque in Græcia philosophiæ, & geometriæ fundamenta jecit. Naturæ scrutandæ cupidus, & oportunis ad hoc subsidiis in patria carens in Ægyptum perrexit, ubi cum gentis illius sacerdotibus, qui soli in ea natione plurium scientiarum periti, & custodes erant, conferre posset. Primum eorum discipulus, non multo post eorum magister effectus est tum in philosophia, tum in geometria, quæ duæ facultates ab infantia tunc temporis nondum excesserant. Eorum doctrinis dives eas in patriam transtulit, ubi brevi magna incrementa sunt consecutæ.

Ante Thaletem nulla alia in Græcia philosophia, aut geometria fuit, quam quas instinctu quodam naturæ homines assequuntur. Vir iste præclarus veræ philosophiæ, veræque geometriæ ibi studium instituit, & coli fecit, harum scientiarum scilicet, quæ tantum ratione ducunt, neque de rebus judicium ferunt nisi earum naturæ intuitive cognitæ evidentia.

Philosophiæ, ac geometriæ studia brevi Jonicam scholam ad cœli studium aggrediendum felici successu aptam effecerunt; quin illa ad universum naturæ chaos coordinandum operam dedit. Cœlum in varios circulos divisum fuit: inde prima sphæræ idea; calendarium Græcum, quod erroribus scatebat, restitutum, atque perfectum fuit; hinc temporis rectæ magis, atque exactæ mensuræ; Cynosuræ usus in navigatione traditus fuit, & explicatus; inde tutior navigandi ratio, doctiorque. Post Thaletem schola Jonica principes habuit Anaximandrum, Anaximenem, celebremque Anaxagoram, qui, uti Plato, perpulchras Divinitatis ideas habuit.

SCHO-

SCHOLA ITALICA.

Paulo post institutam in Græcia Jonicam scholam, in australi Italiæ parte schola Pythagorica ortum habuit, eaque *Schola Italica* nuncupata fuit. Pythagoras Samius unus ex primis Thaletis discipulis postquam illius aliquandiu auditor fuit, in Ægyptum, in Chaldæam, & ad Indos usque peregrinari statuit, ut sapientum, qui in illis regionibus fama clariores essent, doctrinis erudiretur. In patriam regressus eam a tyrannis oppressam reperit: quare illi succurrere posse desperans, sponte exulavit; suamque virtutem atque doctrinas in eam Italiæ partem transtulit, quæ Magna Græcia dicebatur. Ibi eum præclara sapientiæ fama legislatorem, sæpius etiam arbitrum, ac pacis sequestrem apud plures exiguas nationes effecit.

Pythagoras celebri illa trianguli orthogonii proprietate detecta geometriæ elementaris fines in immensum extendit, tum trigonometriæ rectilineæ ortum dedit. Ita quoque isoperimetrarum theoriam indicavit, demonstrans omnium isoperimetrarum figurarum maximas esse in planis circulum, sphæram in solidis. Dum vero geometriam perficiebat, numerorum, & soni scientiam invenit; arithmeticam nempe, qua improbo incommodo homines liberavit, & musicam, qua illis voluptatis plurimum comparare pergebat.

At quo plurimi Pythagoras faciendus est, illud fortasse est, quod de cœlestibus rebus excogitavit, & protulit. Sol immobilis in universi centro situs: globus, quem incolimus, inter planetas, sive astra errantia collocatus: cometæ astra opaca detecti, mundo coævi, circa solem certa periodo rotantes: vera eclipsium causa assignata, atque statuta: terræ rotunditas, & antipodum veritas posita, ac demon-

ſtrata: heſperus, & phoſphorus unum, eundemque planetam eſſe detectus, qui ſolem modo præcedat, modo ſequatur: Deum immortalem! quænam ideæ, & hæ Pythagoræ ætate! E ſchola Pythagorica complures præclari philoſophi floruerunt, inter quos Empedocles, Philolaus, Architas, Timæus Locrenſis, & Democritus Abderites.

SCHOLA PLATONICA.

Duobus ferme ſeculis poſt fundatas Thaletis, & Pythagoræ Scholas, Athenis magna celebritate *Schola Platonica* ortum habuit. Plato Socratis auditor in philoſophia morum, Ægyptiorum ſacerdotum in hiſtoriæ, & legum cognitione, præclariſſimorum Pythagoreorum in rebus phyſico-mathematicis, homo in literis, in philoſophia, in geometria vere magnus; omnium ſapientum oculos ad Academiam, ubi Scholam ſtatuerat, convertit. Analyſi inventa, ſectionibus conicis detectis mathematicas diſciplinas renovavit, novumque in illis iter aperuit: quin & geometriæ tranſcendentis fundamenta jecit, & miris recentiorum per hanc inventis viam ſtravit. Ob egregias de Deo, de anima hominis, de virtutibus, quas habuit, ideas, primus naturalis religionis theologus haberi meruit.

Phyſica, Aſtronomia, mechanica, uno verbo, matheſis mixta non ita multum in Platonis ſchola claruerunt, neque harum facultatum ille progreſſus fuit, qui metaphyſicæ, & puræ matheſis. Summum, atque præcipuum hujus philoſophi ſtudium, quo in ideas pure intellectuales ferebatur, omnium animos ad harum contemplationem convertit; quum & ad phyſicas res intendere philoſophi debuiſſent, quippe quæ uſui neceſſariæ ſunt, ut ad praxim in na-

natura reducantur theoriæ, quæ in intellectu conceptæ fuerint.

Vita cessit Plato; ejusque schola tunc in duas divisa, quæ duos præcipuos communis magistri auditores sibi principes statuerunt. Harum una Xenocrate docente in Academia philosophari perrexit, nomenque Platonicæ Scholæ retinuit; altera, Aristotele, in Lycæum se contulit, & *Peripatetica Scholæ* nomen assumpsit. (*a*). Illa methodo, & studiis primi sui præceptoris addicta, in puris intellectus speculationibus potissimum versabatur, sive ea pertractaret, quæ ad mores spectant, sive quæ mathematica essent. Hæc vero Aristotelis ingenio ad nova creanda excitata, atque impulsa, tota fuit in theoriis intellectus ad rerum universitatem traducendis; atque ita magnum naturæ visibilis Chaos coordinare, & Physicam instituere cœpit.

Prin-

(a) ETYMOLOGIA. *Peripatetici*, Circum ambulantes: a περι, circum, & a πατέω, ambulo.

Aristoteles, Alexandri aula relicta, Athenas concessit, ubi ea admiratione eoque plausu exceptus fuit, quam maxima, & nota virtus amplissimum possit sibi conciliare. Ibi nova sua philosophia instituta tradidit innumeris cujusque ætatis, & conditionis auditoribus, quos deambulans docebat in publica quadam æde, & horto, quem locum Lycæum nuncupabant. Inde Peripateticorum nomen, quo ejus discipuli vocabantur, quodque subinde omnibus ejus sectatoribus attributum fuit. Lycæum itaque Aristotelis schola fuit; uti Academia, sive Academi hortus illa Platonis; uti Porticus, deambulacrum Athenis celebre, illa Zenonis.

Principio itaque *schola Peripatetica* Platonicæ portio fuit. Eam fundavit, illique præfuit vir ille ingenii vi, & vastitate summus, qui omnia omnium cognitionum genera amplexus, dialecticas leges in logica statuit, elegantię regulas in suis de eloquentia, & poesi tractationibus tradidit, philosophiæ morum principia in Ethica evolvit; mechanicam, opticam, cœlum, terram, regnum animale, omnem demum visibilem naturam eo sane majori successu, qui primis humanæ mentis conatibus expectari posset, suis observationibus, meditationibusque subjecit. Aristoteles physicam creans, fieri non poterat, quin eam profecto erroribus, tenebrisque involveret: at in ea præclaras veritates detexisse, & veram lucem illi effudisse, hoc illi gloriosum, magnæque laudi tribuendum.

Tanti erat apud auditores suos hujus philosophi auctoritas, ut quum de re quapiam ipse pronunciasset, omnis illico de ea disputatio cessaret. Ejus sententiæ ipsis, rationis loco erant: seu magis rationibus, quibus sententias suas confirmabat, acquiescebant; hinc eorum commune effatum: *ipse dixit*. Mortuo ipso, auctoritas ista dogmatica non cessare, imo augeri, ac roborari visa est; quin sequentibus ætatibus ad insaniam usque illam tueri ejus sectatores consueverunt; tunc enim, ut quid verum, falsumve esse statueretur, Aristotelis opera tantum consulebant, & interpretabantur: infallibile oraculum habentes quidquid ille quovis in genere excogitasset; perinde quasi Aristotelis auctoritate, non experientia, & ratione philosophia, & veritas innitentur.

Ab ingeniis ad philosophiæ studia ab Aristotele excitatis *Vetus Peripateticismus* ortum habuit, qui quatuor, aut quinque sæculis ratio-

nis

nis humanæ fines dilatavit, eamque perfecit; deinde *recens Peripateticismus*, qui sequioribus sæculis, eam stravit, atque depressit.

PYRRHO, EPICURUS, ZENO.

Pyrrho, Epicurus, Zeno Stoicus ipsi quoque celebres scholas instituerunt, & complurimos auditores habuerunt. Horum primus scholam imbecillitatis, atque dementiæ, alter voluptatis & incredulitatis, tertius insaniæ, atque œstri habuerunt. Pyrrho homines ad fatuitatem, Epicurus ad vitium, Zeno ad temeritatem adduxit. Epicurus Romani philosophi, ac oratoris judicio, id invicte probantis, scientia omni carebat. Pyrrho omnium judicio, aut nequam, aut imbecillis erat, aut fatuus. Zeno magno, & erecto animo fuit, modice tamen philosophia, & doctrinis imbutus. Hic stultam, improbamque sententiam amplexus *fati irresistibilis*, quo omnia in universo ordine sive physico, sive morali trahuntur, atque reguntur, falsas de re quavis ideas sibi creavit, prçsertim vero de morali philosophia, ad quam potissimum intendebat. Ipse ad virtutem instinctu potius, quam ratione proclivis, sublimem quandam sibi efformavit ideam *virtutis sine motivo, ac sine fundamento*; atque huic phantasmati, quod nullibi erat, aut esse poterat, addictissimus fuit; eo ferme pacto, quo enthusiastæ inanes visiones suas pertinaciter prosequuntur.

Trium harum scholarum primæ duæ, Pyrrhonis scilicet, atque Epicuri, nihil cum vera philosophia commune habuerunt; nihil enim novi, verique protulerunt. Tertia Zenonis, seu Porticus, satis præclaras de moribus ideas habuit; at rigidæ virtutis, rectæque rationis præter modum studiosa, utramque deformavit;

sive

five nimio exceſſu eas extollendo, five ab omni eas amandi, & regendi cauſa ſeparando, ſive eas ad inane fatum, & omnino mendax traducendo. Tres itaque ſcholæ iſtæ, uti & aliæ nonnullæ nullo titulo philoſophiæ faſtis inſcribi merentur; nihil enim ad eam aut creandam, aut promovendam, aut perficiendam contulerunt.

SCHOLA ALEXANDRINA.

Aliquanto poſt Alexandri, atque Ariſtotelis obitum duorum priorum Ptolemæorum cura, ac munificentia *Schola Alexandrina* in Ægypto inſtituta fuit: ibi Ariſtotelis genium, ejuſque naturæ inveſtigandæ ſtudium ſe recepiſſe putaviſſes. Ex hac ſchola Euclides, Ariſtarchus Samius, Erathoſtenes, Poſſidonius, Apollonius Pergæus, Potamon (a), Hiparchus, Ptolemæus, compluresque alii magni nominis viri prodierunt.

ÆTAS BARBARA.

Sequioribus ſæculis, a primo ſcilicet poſt Chriſtum natum ad ætatem uſque Carteſii, philoſophia non plane extincta, at prorſus turpiter deformata jacuit, vix ut jam dignoſci potuerit. Non ea jam regina majeſtate ſpectabilis,

(a) *Potamon* Scholæ eclecticæ *princeps*: *hoc nomine appillabatur, quod ab aliis philoſophicis ſcholis quidquid magis rationi conſentaneum illi videbatur ſeligeret, quin omnes alicujus ſchola, aut philoſophi cujuſque ſententias amplecteretur. Hac omnium ſectarum maxime philoſophica ſane erat.*

bilis, quæ ideas, ſenſuſque attolleret, cujus doctrina hominum mentes erudiret, atque ditaret, cujus labores, ac ſtudia dum animos excolebant, hominibus eſſent utilitati, atque ornamento; proſtituta, atque proſtrata, veluti captiva, non niſi alienis cogitationibus uſa eſt; propterea nihil ipſa cogitavit; quin mentes, animoſque, veluti degeneres, effecit, quum eos in putidis tantum, & contemptibilibus ineptiis occuparet. Naturæ viſibilis ſtudio, ejuſque legibus, proprietatibus, uſibus, relationibus, quibus inveſtigandis operam daret, entium rationis, naturarum plaſticarum, qualitatum occultarum, aliorumque hujuſmodi inanium ſomniorum ſtudium ſuffecit, quæ inſcitia, & depravata ratio, acute tamen, adſtruebant. Simplici, robuſtæque dictioni, qua nobiles illuſtreſque ideas ornare conſueverat, barbararum, inaniumque vocum congeries ſucceſſit, quibus nulla idea reſpondebat, quaſque tanquàm tutas, ineluctabileſque rationes venditabat. Cæca, & fatua in Ariſtotelis auctoritatem fides, eam in ipſa libere excogitandi facultatem, verique inquirendi in rerum natura, non in hominum opinionibus habitum illum inſitum extinxit; qui eam à cæteris diſciplinis initio ſecernebat. Ariſtoteles loquebatur, aut loqui dicebatur: ratio, & experientia contra aſſurgere non audebant.

Hæc erat perverſa, & ſpuria philoſophandi ratio, quæ paſſim ſuffulta a Chriſtianis doctoribus, aut oppugnata, temere nimium ab Arabibus philoſophis arrepta, & commendata, omnes demum philoſophicas ſcholas invaſerat, ſuoque imperio ſubjecerat; unde inſcitiæ, & præpoſteræ ratiocinationis imperium late dilatabat, ac confirmabat,

CAR-

CARTESII ÆTAS.

Apparuit tandem Cartesius, & philosophandi ratio immutata fuit. Ille libero, audacique ingenio, ideis copioso, acceptoque ita sublimi, ut cuique præstaret, ita robusto, ut omnia concuteret, ita fœcundo, gratoque, ut omnia restaurare, ac renovare videretur, solus ipse pro philosophia, & ratione, contra universum orbem *novi Peripateticismi* (a) servum colluctare ausus est. Dubitandi methodus, ideæ claræ, atque distinctæ, experientiæ auctoritas, sensus intimi testimonium, evidentiæ lumen, rationum vis, arma ista fuerunt, quibus late tunc dominantem philosophiam aggressus est; hoc tribunal fuit, cujus judicio omnes hominum cognitiones, atque sententias subijci voluit. Obmurmurarunt inscitia, & præjudicium, & inter has obmurmurationes immanis Peripateticismi colossus bases suas subrutas, tyrannidemque profligatam aspexit. Jura sua ratio recepit, & Philosophiæ libertas, ac propria vis restituta fuit.

Ante Cartesium fuerunt Sceptici, at Sceptici tantum. Cartesius ætate sua e Scepticismo philosophicam certitudinem educere docuit. Sensit enim, ostenditque, Philosophiam neque philosophorum auctoritate, neque populorum opinionibus inniti, apud quos omnia veris, falsisque

---

(a) *Is dicitur* novus peripateticismus, *qui Sectatorum, interpretumque Aristotelis doctrinam sequitur, a sæculis barbaris ad ætatem usque Cartesii. Erat hic, imo est etiam nunc temporis in plerisque philosophicis scholis Virgilii Polyphemus*: Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

ſiſque permixta ſunt; philoſophumque, ut ejus cognitiones tuto conſiſtant, debere ſemel ſententias omnes abjicere, eaſque ſuſpectas habere, ac philoſophicæ dubitationi ſubijcere, ut inde eas tantum ut veras admittat, quæ evidentia præfulgeant; atque his inconcuſſis probatiſque fundamentis *rationem novam* ſuperſtruat, cui tuto fidere poſſit. At quum Carteſius omnia rationi tribuere videbatur, nunquam revelationis auctoritatem lædere cogitavit, quam tamquam *ſupernaturalem rationem*, ſeu generis, & ordinis ſuperioris rationem ſuſcipiebat; quamque ſemper ſincera veneratione eſt proſecutus, tunc quoque, quum, præter ejus intentionem, ſyſtemata ſua philoſophica illi non omnino conſentire viſa ſunt. Atque ita Carteſius philoſophica dubitatione, ſe, ac philoſophiam ſecum ad certitudinem evexit. Neque alio pacto tunc regnantem philoſophiam ſubvertens, novæque philoſophiæ fundamenta jaciens homines ad veritatem detegendam, (etſi eam raro ipſe ſit aſſecutus) adduxit; quare ſibi immortalem gloriam comparavit.

Præjudiciis devictis, excuſſa barbarie, cognitionibus utilibus, jucundiſque fœcunda philoſophia, ſi unquam, nunc ſane ſapientibus in deliciis eſt. Ea quoque humani generis pars, quæ unice ad ejus ornamentum, & delicias nata videtur, probare valuit, non ſe ita a natura comparatam, ut in amatoriis fabulis tantum, aut in maledicis ephemeridibus legendis tempus tereret; ſed liberam, atque excultam, ſe quoque philoſophiæ natam eſſe.

Carteſii ingenio debemus Nevvtonum, atque Leibnitium geometriæ, ac phyſicæ natos; Malebranchium, Lockium, Clarkium, Leibnitium ipſum metaphyſicæ. Ab his humanæ diſciplinæ omnes diſcuſſæ, evolutæ, ad rectam lancem appenſæ. Certitudo regni ſui amplitudi-

dinem, finesque novit. Ab his summis viris aut simul consentientibus, aut confligentibus, quidquid certi in physica, aut metaphysica habemus, emanavit.

OPERIS HUJUS PROSPECTUS.

Plena, & absoluta omnibus numeris metaphysicæ universa tractatio, in qua omnia præclara scientiæ hujus sublimis, atque utilis objecta clare, & eleganter proponerentur; in qua nec tristis illa grassaretur ariditas, quæ mentis aciem hebetat, atque enervat, dum acuere nititur, atque excitare; neque futilis illa arguendi ratio, quæ illam extenuat, ac depravat, dum ingenio pollentem facere studet; nec incommoda prolixitas, quæ nauseam, & tenebras, & exilitatem parit, dum mentis divitias augere videtur; in qua a philosophiæ, & literarum thesauris deprompta brevibus verbis proferrentur quæcunque majoris momenti præclarissimi philosophi plurimis, magnisque voluminibus ediderunt de anima ejusque facultatibus, de Deo ejusque attributis, de materia ejusque specificis proprietatibus; in qua ex universis Philosophicis meditationibus extrueretur generale systema certitudinis, ac veritatis apte connexum exiguo *principiorum* numero firmiter statutorum, captuque facilium; hæc, inquam, tractatio illa est, cujus ideam mente conceptam hoc opere philosophico, quod nunc in publicam lucem emittimus, exequi, atque implere studuimus.

Talem metaphysicæ tractationem, cujus prospectum modo protulimus, si daretur unquam, maxime hominibus utilem fore, minime dubitandum; ipsis enim ad scientiam mirum in modum viam sterneret; ad magis reconditas veritates nullo tædio, nullaque molestia mentem

tem attolleret, & omnium maxime utilium cognitionum semitam indicaret. At æque certum, tale opus cuivis vel summo ingenio prædito, atque pollenti, asperrimis difficultatibus, & quæ vix in eo conficiendo vinci possint, obsitum videri debere; illudque fortasse tandem perfectius fore, quod minus ab hac idea, quam de ejus perfectione concepimus, recederet; sive ob immensam rerum sublimium copiam, quibus hoc opus exædificandum est, sive quod difficillimum sit ea ad captum, sensumque omnium accommodare, quæ insensibilia & abstracta imaginationem effugiunt, & sola, nudaque ratione percipi possunt.

Illustres metaphysicos Cartesium, Malebranchium, Leibnitium, Clarkium, Lockium, VVolfium, Baylium præclaram rerum supellectilem homini metaphysicæ operam danti suppeditaturos putares, quas facile colligat, & suo operi inserat; at non ita porro res habet. Rerum ista congeries sæpius indigesta, & confusa, sæpius etiam falsis hypothesibus, falsisque assertis, atque principiis innixa iis in fontibus, unde illas haurire potes, fere semper novo ordine, trutina, forma indiget, ut operi, quale nunc paramus, aptari possit. Eam dixeris auri fodinam divitem sane, in qua tamen aurum minime depuratum est, quamque propterea magno studio, magnaque cura effodere, & elaborare necesse est, ut ab extraneis corporibus metallum, quod continet, rite secernas.

Illud quoque facile credes, plura, quæ tot jam sæculis in omnibus philosophicis scholis assidue traduntur, tandem facilia effecta esse quæ tradantur, & arripiantur; aperteque fatebimur, nos quoque ita aliquando putasse, solamque experientiam nos tandem hac in re ab errore liberasse. Exempli causa, a quatuor jam, aut quinque sæculis plerisque in scholis disseri-

ritur, disputatur, contentiose conclamatur de cognitionis principiis, de rerum essentiis, de distinctionibus philosophicis, de universali scientifico, de individuationis principio, de propositionum oppositione, & æquipollentia: & hæc ipsa quæ tamdiu agitata, atque discussa quum jam ferme vulgaria effecta sint, hæc, inquam, sunt, in quibus rite arripiendis, exponendisque majori labore nobis fuit insudandum.

Philosophia ager est, in quo omnia *præclara ingenia* transferi, enutriri, crescere, evolvi, vires acquirere, ditari debent: sive patriæ, & religioni sacerdotio devoveantur; sive juri dicendo, & causis agendis, sive militiæ; sive naturæ quodam impulsu ad eloquentiam, seu poesim, & eruditionis studium trahantur: in his enim, nisi pictor simul, & philosophus fueris, nunquam excelles.

Confidenter dicam, quemlibet recto, alacrique ingenio præditum quatuor mensium studio, nec ultra modum impenso, quidquid hoc opere philosophicarum cognitionum continetur arrepturum: tantam toti huic metaphysicæ claritatem, ac lucem affundere nisi sumus. Hoc autem *patriæ juventuti* maximæ utilitati esse poterit, non in prima adolescentia tantum, quum in scholis philosophiæ elementis operam navat; hoc enim tempore peropportunum erit intra domesticos parietes præviam generalem ideam concipere earum rerum, quibus studet; verum etiam quum annos agens ferme vigintiquinque, relictis jam scholis, maturiore, solidioreque ingenio nobilem illam necessitatem sentit, quæ didicerit, novis cognitionibus suo marte roborandi; atque adeo rerum ordinem, ac nexum clarius intuendi, unde melius earum principia arripiat, atque percipiat.

Huic metaphysicæ operam dantes, id intendimus, non *aridam, atque exsuccam philosophiam* scri-

ſcribere, quæ nihil unquam ut par eſt ſtatuit, aut ſuadet, ſed ex omnibus philoſophiæ partibus *unum veluti philoſophicæ doctrinæ corpus* effingere, quod totum ſimul apta methodo, atque elegantia elaboratum, copioſe, & ſolide perfectum, *vera rerum principia* de iis omnibus, in quibus humanæ cognitiones verſantur, ratione duce, hominum animis alte infigere poſſet.

Si quando magis, meliuſque artes excolentur, fortaſſe tempus erit aliquando, quum obſoleſcet mos iſte tempus ſumme pretioſum prolixis in pleriſque ſcholis philoſophiæ tractationibus terendi; his enim probata, & typis edita philoſophia facile, & exiguo ſumptu ſuffici poſſet. Apertum eſt, amplius, & melius hoc pacto patriam juventutem quatuor menſibus inſtructum iri, quam duorum annorum ſpatio manu ſcriptis adverſariis, quæ nunquam ſatis correcta ſunt, quæ non niſi per partes haberi poſſunt, nec omnia ſimul uno veluti intuitu contemplari, niſi quum ea evolvere deſieris; in quibus præterea, ſi aliquando abeas, lacunæ fient, quas non ita facile deinde ſuppleas: hinc idearum nexus, & ſeries abrupta, ac proinde utilitas omnis radicitus abſumpta.

Ad *Latinæ linguæ uſum* ſervandum pleriſque in ſcholis latinæ philoſophiæ tractationes præferuntur, eæque pravæ, quoniam probæ, ac perfectæ nondum exiſtunt. At utilius tum philoſophiæ incremento, tum latini ſermonis uſui, & nitori ſervando profecto foret, ſi abſoluta philoſophiæ tractatio gallice ſcripta admitteretur; ſi egregius magiſter quæ bene ipſe, & nitide percepiſſet, eleganter, & copioſe auditoribus ſuis in ſchola latine explicaret, hoc unico ſermone illos erudiens reſpondere, atque arguere. Nonne maximam laudem magiſtro, atque auditoribus conciliaret, magnam veritatum copiam mente tenere, & totam ferme phi-

philosophiam extemplo ab uno ad alium sermonem traducere, novam lucem iis, quæ in opere illo non satis clarescerent, affundendo; quæ nimis diffusa coarctando; quæ nimis laconica expoliendo; quæ non satis firma roborando; quæ fallacibus fundamentis suffulta prorsus subruendo? atqui ad hoc in universæ philosophiæ tractatione modicus tantum *criticarum notarum* numerus requireretur, quæ varias operis partes respicerent, quæque seorsim & diligenter traderentur, ut res postularet; ita vero & opus ipsum quod explicaretur, & auditorum ingenia perficerentur.

Hac methodo, quæ sola fortasse experientia confirmari petit, quamque vir aliquis libero ingenio, aususque aliam a veteri, ac trita viam aggredi, serius ocius arripiet, adolescentes ideas mutare, partim etiam creare coacti alio sermone veluti cogitare, alio loqui consuescent. Ita memoriam, & ingenium simul exercebunt; contra vero latinos libros legere tantum assueti, ut de iis pariter latine differant, ut plurimum id tantum præstant, ut quas voces legerint, aut audierint memoriæ mandent, & repetant; & exiguo quidem conatu, at exiguo pariter fructu adlaborent.

Si nobis munus commissum esset adolescentes omnino rudes philosophicis institutis imbuendi, hac *peculiari methodo* uteremur. A secundo, & octavo paragrapho tractatus primi hujus operis initium faceremus, ut præviam ideam, notionemque ratione suffultam haberent diversorum cognitionis principiorum, variarum demonstrationis specierum, naturæque, & objecti variarum disciplinarum tum speculativarum, tum practicarum, quarum istæ demonstrationes, atque ista principia fundamenta sunt. Inde ad tractatum secundum progrederemur, ut veros fontes, & vera cujuscunque

que, quæ in hominibus sit, certitudinis fundamenta probe cognoscerent. Ab hoc ad dialecticam transiremus, ut habitum, usumque recte ratiocinandi sibi melius compararent. Inde ad initium regressi totum continenter hoc metaphysicum opus ad calcem usque perlegeremus, cujus studium ita dispositum solatio potius esset, quam labori.

Hinc colligere licet quantæ utilitati opus hoc philosophicum futurum sit non publicis scholis tantum, verum & potissimum privatæ adolescentum institutioni; sæpe enim in plerisque domibus ex his sunt, quos rapide philosophicis institutis imbutos volunt, quippe quibus scholas adeundi, longumque studiorum curriculum sequendi tempus deest, aut voluntas; quin & adolescentibus iis, qui militiam a prima ætate secuti in castris sunt nullo animi cultu, at animo sæpius ad cultum aptissimo. Hujus operis utilitatem sentient viri illi quoque, qui Dei servitio devoti in provinciis, aut pagis horas subsecivas, saltem autumnalibus feriis, in erudiendis adolescentibus plerumque consanguineis impendunt, qui deinde in eodem servitio eorum scientiam, atque virtutes æmulentur.

RERUM PARS OBSCURA.

In metaphysicæ objecto, uti & in physicæ, non omnia luce clarescunt. Vera scientia plerumque est, in duobus hisce amplissimis humanarum cognitionum theatris, apte dignoscere quousque pertingere, quove sistere debeat humani intellectus acies: tenebrarum, & lucis fines secernere; res problematicas rite perpendere, & verosimilitudinis, ac probabilitatis gradus arripere: in magnis omnibus philosophiæ objectis rectos certitudinis, incertitudinisque terminos constituere. Hinc

in metaphyſica hac noſtra plurima, quæ ut certa traduntur; plurima, quæ ut tantum veroſimilia, aut probabilia: alia quædam tandem, quæ ut ignota, & humani intellectus acumini impervia.

METHODUS PHILOSOPHICA.

Methodus, quam in univerſa hac entium inſenſibilium theoria ſecuti ſumus, eadem prorſus eſt, quam non ſine publica adprobatione in noſtra entium ſenſibilium theoria uſurpavimus. In eo ſita eſt, ut exactæ, nitidæque rerum definitiones tradantur, quibus earum idea tuto concipiatur; ut omni, qua fieri poteſt, claritate, ac robore rationes plauſibiles, & deciſivæ afferantur, quæ veritatis ſtatuendæ, ac demonſtrandæ ſunt baſis, ac fundamentum; ut ſolida demum, ac victrici rationum vi diluantur ea magis, minuſve ſpecioſa, magis, minuſve apta fucum facere, quæ ſtatutæ, ac demonſtratæ veritati opponi poſſent.

Facile, ſi libuiſſet, novam methodum aut adoptaſſemus, aut inveniſſemus. At confidenter dicemus, nullam ea, quam ſecuti ſumus, aut ſimpliciorem, aut magis naturæ conſonam, aut rebus abſtractis diſcutiendis, illuſtrandiſque magis opportunam nobis viſam eſſe; eamque propterea unicam, quæ philoſophicis inſtitutionibus apta eſſe poſſit. Methodo geometricæ affinis digna eſt, quæ humani intellectus viam dirigat, attentionem conciliet, lumen augeat: neque jam aut phantaſiæ, aut intellectus energiam, amplitudinem, aut vires extenuat, ſi quando magna quædam proponenda, illuſtria ſyſtemata evolvenda, præclara effata menti infigenda harum facultatum conatus poſtulent. Quid ultra quæras, ut illam jure, meritoque ceteris omnibus tum in metaphyſica, tum in phyſica prætulerimus?

Ope-

Operis philofophici ratio nihil cum fimplici lexico commune habet. In hoc omnia præfti-teris, fi fub eadem idea, ut melius potueris, omnia quæ ad objectum hujus ideæ fpectant, collegeris. In eo elaborandum, ut rerum congeriem generico quodam modo apprehendas, neque eas proferas nifi eo ordine, quem naturalis idearum nexus requirit. Si quando eadem rerum fpecies ad plures philofophiæ partes relationem habet, omnia turbares, atque everteres una in parte ea collocando, quæ ad aliam fpectant. At hoc ipfum non raro accidit, ut nempe eadem rerum fpecies ad plures philofophiæ partes natura fua referatur. Senfationes, & ideæ, exempli gratia, ad tractatum de certitudine, cujus bafis, ac fundamentum funt, tum ad tractatum de anima, quæ earum fubjectum eft, neceffariam relationem habent. Itaque de eodem objecto agi poteft, ut ejus diverfæ relationes exigunt, in diverfis philofophiæ partibus; atque hæc ambages, fi qua tamen eft, non artis vitium, fed effectus eft.

STYLI LACONICI DIGNITAS.

Olim operis dignitas habebatur in directa maffæ, & gravitatis ratione; five ille maxime ingenio excellere putabatur, qui ampliora, aut plura volumina protuliffet. Teftis efto Albertus Magnus. Ætas noftra non ita fenfit. Hifce temporibus malumus præclaram quampiam veritatem, five ad intellectum, five ad res fpectet, recte propofitam, ftatutam, evolutam, fi fieri poteft, paucis paginis habere; quam eandem propofitam, ftatutamque, atque in ingenti volumine pene fubmerfam. Eft ne hoc vitio fæculi tribuendum? Opus breve atque dilucidum, in quo principia coarctentur, ut inde confequentia clarius eluceant, atque percellant, in quo res invicem admoventur, quo a-

ptius menti oblatæ percipiantur, in quo nihil necessarium omittitur, nihil superfluum inseritur minoris ne fiet, quoniam inutili, ac mutuata copia non redundat?

Ubique brevitas necessaria: at potissimum in opere philosophico, quale hoc est, cujus objectum immensum, nec aliis finibus contentum, quam iis, quos habet natura intelligibilis. Omnia velle dicere de re, quam tractas, est parum humano intellectui favere, cui omnium veritatum germen, atque principium sane proponendum; non tamen ipse ad aliquas suo marte assequendas ineptus censendus. Atque ita nos experientia edocti physicam nostram, nostram *philosophiam religionis*, atque hanc metaphysicam *ad suos minimos terminos* adducere conati sumus. Omnia brevi dici possunt, quum omnia videndi copia, & facultas fuit; neque leviter attigisse res auctorem dicas, qui brevibus paginis omnia, quæ magnis voluminibus continerentur, valuit includere. Hominibus jam eruditis brevitas inservit plurimum: hæc ipsis uno intuitu videndam offert veram analysim meditationum, observationumque, quas indigestas, atque confusas inter se, imo & propter se ipsas, in mente habebant. At neque iis, qui erudiri, & doceri cupiunt, brevitas inopportuna: juvat eos quippe melius, meliorique successu vera rerum principia arripere, in quibus subinde per se ipsi utiliter speculari possunt.

Quin & adolescentes ipsi, quum ad decimum quintum ætatis annum majora studia aggrediuntur, exiguo isti conatui non impares sunt: ita nos experientia, & observatione ducti confidenter pronunciamus. Opportunum est, eos cito assuescere principiis meditandis, consequentiis deducendis, hisque ad pleraque peculiaria applicandis; uno verbo, ex se meditentur oportet,

tet. Juvat illos identidem mentem torquere, ut meditari assuescant, ideasque colligere, eas invicem conferre, atque uni veluti resistentiæ omnes eas simul admovere; sive etiam, ut versatile, & alacre ingenium efficiant, unde illi vis eveniet, atque energia. *Ex impete fulmen*.

At dum in opere philosophico brevitatem quærimus, non proinde *exsuccam, atque aridam brevitatem* commendamus, quæ rerum duntaxat tristem sceleton, aut summam vim proponeret; quæque in magnis illis theoriis de Deo, de anima, de naturæ lege, de certitudine, quas *non minus sentire, quam concipere* oportet, omnia inter exigua dilemmata, & arctos syllogismos, qui ferme nunquam apte persuadent, coarctare vellet.

Brevitas philosophica, de qua sermo, cujusque causam agimus, exuberantiam, non vero energiam, & copiam excludit. Res ipsa ad *simpliciora principia* adducit sane; at hæc principia in clara luce poni, & omni rationum vi statui patitur.

Experientia tandem edocti sumus, opera nimis prolixa, & *opera nimis elementaria* a philosophia esse proscribenda. Illa quidem, quod unice ideas perturbare, & molestiam creare valeant; hæc autem, quod inanima, inania, exilia, nihil apte docere, aut suadere possint. Non magis exiguo volumine commendandam philosophiæ tractationem concludi posse arbitramur, quam elegans tragœdia esse possit, quæ agatur horæ dimidio. Nec tempus, nec modus erit, quo in illa rationis, in hac sensus vis in anima enascatur, atque satis firmas radices agat.

Obijciet fortasse aliquis, nos in metaphysica nostra, in qua de *entibus insensibilibus* agi debet, sæpius, & diutius in materia, in motu, in sensuum testimonio, in naturæ visibilis har-

monia, in mechanicis hominum, brutorumque operationibus occupari, quæ ſenſibilia ſunt, proindeque a propoſito noſtro aliena; at in promptu adæquata reſponſio eſt: ſenſibilia contemplari, ut eorum *inſenſibilis natura* dignoſcatur, atque explicetur, non ſane eſt ultra metaphyſicæ fines progredi. Porro hoc ipſum objectum eſt, ad quod hic convertimur rerum ſenſibilium obſervatione, quarum in metaphyſica noſtra mentionem facimus. Exempli cauſa, nos materiam, materiæ motum, materiæ accidentia non contemplamur, niſi ut vel inviſibilem ejus eſſentiam, vel inviſibilem auctorem, vel inviſibilem motorem, quæ res in ſe ipſis minime ſenſibiles ſunt, detegamus. Nos ſenſuum, aut hominum teſtimonium non expendimus, niſi ut ejus auctoritatem certa lance perpendamus: hoc autem profecto quid inſenſibile eſt. Nos hominum, atque brutorum operationes non conſideramus, niſi ut per viſibiles harum duarum diverſarum ſubſtantiarum operationes ad inviſibilis principii, quod utriuſque anima eſt, cognitionem aſcendamus. Et ſic de ceteris.

PRINCIPIA, ET NEXUS HUJUS METAPHYSICÆ.

Metaphyſica in objecto ſuo conſiderata, veluti infinita abyſſus eſt, ubi ſimul confuſa apparent entia omnia, quæcumque ſint, exiſtentia, & poſſibilia; nullum enim objectum eſt, quod aliquo pacto conſideratum a metaphyſica alienum ſit. Videtur ſane maxime opportunum fore, ut libere per immenſum hoc pelagus, atque chaos ſpatiari poſſimus, *punctum aliquod fixum*, *ſimplex*, *atque unicum* invenire, in quo, aut cui omnino tuti inſiſtere poſſemus, indeque naturam univerſam circumſpicere, atque *ſuperiorem intuitum* ad entium congeriem con-

convertere, ut omnia eodem nexu conjungeremus, cujus metaphysicus ipse centrum esset, atque principium. At metaphysicæ objectum, quo mage velis modo inspiciatur, adeo immensum est, varium, & complicatum, ut omnino necesse sit illud in varias portiones partiri, & in plures veluti manipulos distribuere, si recte illud percipere velis, atque proponere; quin, postquam communem nexum, qui eidem puncto partes ejus omnes alligat, extruxeris, nisi omnia turbare velis, singillatim has assumas oportet, quas contempleris. Hinc operis in plures tractatus partitio.

Unum ex punctis ipsis, imo fortasse unicum, cui omnes humanæ cognitiones adnecti possunt est *Ego intelligens*, *&* *sensibilis* hominis cujuscumque. Hæc prima catenæ ansa, cui omnes cognitiones suas speculativas, & experimentales adnectere quisque poterit. Centrum hoc est, unde tuto proficiscatur, & veluti per totidem lucis radios ferri per universam naturæ visibilis, & invisibilis sphæram. Hæc basis, & hoc fundamentum, cui superstruere poteris certitudinis ædificium respectu entium omnium materialium, aut immaterialium, cum quibus relationem dicunt diversæ tuæ intellectus, & sensuum perceptiones. Hoc: Ego intelligens, & sensibilis, hoc punctum dici potest, unde viam ingrediaris, & centrum, ad quod omnes concurrunt philosophiæ meditationes, quæ hoc opus constituunt, in quo omnia innituntur *relationibus essentialibus*, quas cujusque individui perceptiones intellectuales, atque sensibiles habent ad substantias materiales, ad substantias spirituales, ad substantiam increatam, atque creatricem, ad certitudinem, ad mores; & sic de ceteris.

Si perceptiones meas intellectus, & sensuum contemplabor, inveniam me ideas habere re-

rum genericas, quibus unice mihi scientiarum aditus patefieri potest: hinc entium theoria; inveniam, me judicia, & ratiocinia efformare, quæ recta, aut vitiosa esse possunt: hinc theoria ratiocinandi, sive Dialectica; inveniam, non omnia in meis ideis, ac sensationibus illusionem esse: hinc theoria Certitudinis; inveniam, me non necessario a me existere, atque entia, quæ meos sensus afficiunt, non nisi accidentalem ipsa quoque existentiam habere: hinc theoria Dei, & causæ primæ increatæ, & creatricis; inveniam, quas habeo perceptiones intellectus, & sensuum, non ita eas in vegetabili, aut fossili existere: hinc theoria animæ; inveniam, substantiam extensam, & solidam, quæ intellectu, & sensu caret, diversis specificis proprietatibus præditam esse, quas probe scrutari, atque dignoscere mea multum interest: hinc materiæ theoria.

DIVISIO OPERIS.

Etsi abstracta admodum videri possit theoria hæc metaphysica, nos eam eorum omnium captui accommodasse confidimus, qui maxime simplicia ratiocinia aut efficere, aut assequi se posse sperent. Jucunda iis, qui utilibus cognitionibus delectantur, parum iis utilis, qui tantum crepundia sectantur, in septem ea est tractatus distributa, in quibus de universo ejus objecto agitur, de omnibus scilicet Entibus insensibilibus, quorum cognitio ingenuo, ac libero homine digna est.

TRACTATUS PRIMUS.

Tractatus primi in quindecim paragraphos distributi objectum est *Theoria generalis entium*, sive notiones rerum magis abstractæ, & uni-

universales. In hoc pars ista magis generica humanarum cogitationum perlustrabitur, quæ ad omnes entium classes extenditur, aut saltem ad plurimas, diversasque entium classes; quæque semper cujusque philosophiæ prodroma necessario esse debet. Hic omnibus, quæ in philosophia continentur, aut supponuntur, prævìis, ac fundamentalibus notionibus philosophicam facem adhibebimus; exempli gratia, abstractioni metaphysicæ, primis scientiarum principiis, arti scientificæ demonstrationum, rerum veritati, ac possibilitati, earum existentiæ, essentiæ, modificationibus accidentalibus, proprietatibus, attributis, generibus, speciebus, causis, & effectibus omnibus, quæ earum relationes tum essentiales, tum accidentales, earum quoque distinctiones reales, atque formales respiciunt; Ei omni, quod earum statum universalitatis constituit, quod eas efficit objectum scientiarum genericum, & earum statum individuationis, quod eas efficit entia unica, ac veluti solitaria; spatii, in quo sunt constitutæ, & durationis, cui coexistunt, naturæ: uno verbo, omnibus hisce objectis metaphysicis quibuscumque, quæ abstractio ad varias entium classes extendit, illisque accommodat, quæque bene percipere, quorumque genericas ideas probe concipere peropportunum. Mirabitur fortasse quis, quum ista legerit, maxime abstrusam metaphysicæ partem, eam scilicet, quam Ontologiam, seu scientiam entis in genere appellant, dum maxime generica profert, dum maxime abstracta, & a sensibus remota producit, dum objecta in immensum protensa, & ab omni re prorsus sejuncta contemplatur; tamen nitore, copia, ac jucunditate convestiri posse, quin ultra terminos progrediatur, quos recta, & solida ingenia, & ad cogitandum a natura efformata attingere possunt.

TRACTATUS ALTER.

Alterius tractatus objectum eſt *Theoria certitudinis*, omnium ſcilicet humanarum cognitionum baſis, ac fundamentum. Oſtendimus hoc tractatu, quamcumque humanam certitudinem inniti aut *teſtimonio ſenſus intimi*, qui nos inſtruit, atque convincit de noſtra exiſtentia, deque exiſtentia noſtrarum idearum, judiciorum, ratiocinationum, affectionum, odii, timoris, ſpei, deſiderii, determinationum, ſenſationum, ſenſationum mentalium, omnium denique, quæ in anima verſantur, illamque afficiunt; aut *idearum teſtimonio*, quod nobis veritatem principiorum detegit, conſequentiarum dependentiam, rerum eſſentias, & proprietates, quidquid in objectis metaphyſicæ, algebræ, geometriæ, moralis philoſophiæ dignoſcimus; aut *ſenſationum teſtimonio*, quibus cognoſcimus exiſtentiam, figuram, ordinem, diſtantias, volumen, qualitates ſenſibiles diverſorum corporum, quibus circumdamur, quæque naturam viſibilem conſtituunt; aut *hominum teſtimonio*, quod hiſtoriæ, aut traditioni commiſſum elapſa ſæcula, quæ jam evanuerunt, in vitam revocat, volubilem, & varium rerum ordinem ſiſtit, omniaque loca & tempora coram nobis ſtatuens ea *illuſtria facta* nobis oſtendit, quorum nos temporum, locorumque diſtantia teſtes eſſe non ſivit. Hinc hujus tractatus in magnas quatuor ſectiones diſtributio, quibus ea omnia, quæ quatuor hoſce certitudinis fontes aut ſtatuit, aut extenuat, continentur.

In prima *connexionem neceſſariam* ſenſus intimi cum objecti ſui cujuſcumque exiſtentia demonſtramus, atque ſtatuimus, indeque tutas regulas ad veras a falſis perſuaſionibus ſecernendas deducimus.

In

In altera, post philosophice discussam idearum naturam, earumque a sensationibus diversitatem, tum utrarumque causam in anima, ostendimus qua in re, quaque ratione possint ideæ *connexionem necessariam habere* cum realibus objecti sui proprietatibus; qua in re, quaque ratione idearum nostrarum testimonium nobis fieri possit infallibile certitudinis motivum in objectis algebræ, geometriæ, dialecticæ, moralis philosophiæ, & metaphysicæ.

In tertia ostendimus, atque explicamus, qua ratione haberi possit, imo re ipsa habeatur *nexus necessarius* inter unanimes, constantesque sensationes, & varia, ad quæ referuntur, objecta; qua etiam ratione nostrorum sensuum testimonium quibusdam assignatis conditionibus convestitum, infallibile certitudinis motivum in nobis fiat pro sensibilibus objectis, quæ visibilem mundum constituunt.

In quarta, post propositam generalem ideam factorum historicorum, quæ veræ, & plenæ certitudinis objectum evadere possunt; postquam ostenderimus, quædam historica testimonia quibusdam firmis, ac determinatis conditionibus suffulta *nexum necessarium* cum veritate factorum, quæ referunt habere posse, ac propterea infallibilis certitudinis motivum fieri; falsas regulas profligamus, atque conterimus, quas Pyrrhonismus quidam historicus obtrudere voluit; illisque *veras critices regulas*, quas sana philosophia admittit, & probat, sufficimus.

TRACTATUS TERTIUS.

Tractatus tertius *ratiocinii theoriam*, Dialecticam nempe, seu logicam, objectum habet. Ratiocinandi facultas naturæ donum est, quod logica naturalis dicitur: at donum hoc arte perfici potest, a qua excolatur, dirigatur, & in

actibus suis aut tutius, aut minus errori obnoxium reddatur. Atque hic dialecticæ, seu logicæ artificialis finis est: hoc autem præstat, humano intellectui exiguum scientificarum regularum numerum proponens de *perceptionibus*, aut ideis, quibus apte objecta definire, atque partiri condiscat: de judiciis, sive propositionibus, ut ad has bene perpendendas, limitandas, earumque convenientiam, aut oppositionem recte dignoscendam auxilio sint: de *ratiociniis simplicibus*, *atque compositis*, ut ea conficere, ex iis rectas consequentias deducere, præposterorum vero vitia prompte dignoscere, ac detegere assuescat.

Nihil fortasse, quod sine auditorum fastidio tradatur, hoc difficilius invenies. Hujus rei Dialecticæ omnes, seu logicæ, quæ hactenus in lucem prodierunt, testes sunto. Hanc tamen syrtim in hac *nova Dialectica* effugisse speramus; in hac enim ducentis ferme paginis summa claritate quidquid ad magnam ratiocinandi artem pertinet conclusimus, quin aliquid redundans adderemus, aut quid utile, & necessarium omitteremus.

TRACTATUS QUARTUS.

Objectum Tractatus quarti *Dei theoria* est magnis duabus sectionibus divisa, quarum una entis hujus summe colendi, primi rerum omnium principii, & finis ultimi *existentiam*, altera *naturam* explicat.

In prima, post in clara luce patefactam veteris, novique Atheismi impietatem, quo ejus stoliditas, atque perversitas intime sentiatur, rigidiore philosophia facem præferente, rerum Ordinem moralem, physicum, & metaphysicum ingredimur. Hinc varia *demonstrandi media* philosophice deducimus, quæ nondum fortasse apte pro-

proposita, nec satis recte usurpata fuerant; quae tamen, ut hic a nobis proposita, & usurpata, tum simul, tum aliqua seorsim etiam adeo plenam, atque perfectam de Dei existentia certitudinem pariunt, ut majorem ab evidentissimis Euclidis theorematis de objecto geometrico frustra expectes. Duce itaque planissima, ac rigidissima dialectica ostendimus, *nexum necessarium* haberi inter quaedam Ordinis moralis phoenomena, & Dei existentiam; inter quaedam Ordinis physici phoenomena, & Dei existentiam; data, exempli causa, lege naturali obligatoria, Dei existentiam necessario sequi; dato praeclaro hoc universi Ordine, aut motu hoc regulari, atque constante, qui in natura est, aut regni animalis, aut vegetabilis existentia, imo materiae tantum, qualis ea nobis nota est, Dei existentiam ita necessario consequi, ut dato triangulo rectilineo, aequalitas inter tres ejus angulos, & duos rectos necessario consequitur.

In altera intimiori Creatoris, ac naturae visibilis conservatoris substantiae philosophicam facem quantum fieri potest admovendo, ostendimus, in ipso esse, & esse debere Essentiam infinite simplicem, Providentiam infinite sapientem, Libertatem infinite independentem, Activitatem infinite efficacem, omnino infinitam, prorsusque indefectibilem Intelligentiam. En magni tractatus hujus argumentum, qui universae religionis, moralis, ac societatis basis, ac fundamentum dicendus est.

Quinti, sextique tractatus objectum est *Animae theoria*, hominum animae scilicet, atque brutorum: sunt hae invisibiles naturae duae, in quibus pleraque similia, pleraque dissimilia deprehenduntur; quas tanti momenti est, tantaeque difficultatis pernoscere; de quibus nihil veri scias, nisi eas veluti explices, atque evolvas, earum operationes, atque effectus considerando, nisi

eas

eas cum materia, & inter se conferas; ut inde inferas peractis observationibus, atque experimentis, num earum operationes materiali tantum substantiæ convenire possint; num utriusque operationes ejusdem generis sint, idemque principium indicent, an vero diversi, & diversum principium detegant.

Communis querela doctorum est duobus, tribusve mille annis, quibus de natura animę disseritur, nondum probandam omnino de anima tractationem eluxisse. Sancte profiteor nihil in hac a me omissum, ut querelæ hujus audiendæ pro viribus finem facerem.

TRACTATUS QUINTUS.

Homini inest *substantia sensibilis, & intelligens*, qua movetur, & animatur, quamque in sua natura, suisque potentiis expendemus. Hinc tractatus hujus in duas sectiones divisio, quæ, objecti sui ratione, maximi momenti sunt.

In prima *hominis animam* contemplantes, atque ipsius intimam substantiam perscrutantes firmissime ostendemus, natura a materia omnino diversam esse; nihil in ipsa, aut extra ipsam esse, quod eam naturæ viribus destruere possit, quodve ejus destructionem exigat; liberam eam esse, nullaque necessitate ductam in iis, quos actus suos liberos vocat; hinc ejus spiritualitas, immortalitas, atque libertas.

In altera hanc ipsam hominis animam contemplantes quoque, ipsiusque intimam substantiam perscrutantes philosophicæ trutinæ ejus *Potentiam intellectivam*, ejus *Potentiam affectivam*, ejus *Potentiam motricem* subijciemus. Hinc fluet satis ampla intellectus humani theoria, tum eorum omnium, quæ ab ipso pendent, humani cordis, & Principii universalis, quod in omnibus causarum occasionalium magnum illud mo-

mobile est, eorumque, quæ supponunt, quæque trahunt. Hinc etiam idea satis clara moralis philosophiæ, & præcipuarum passionum; tum fluidi animalis, quod in diversis totius naturæ nostræ muneribus, sive ut causa, sive ut effectus, partem habet non mediocrem.

TRACTATUS SEXTUS.

Inest brutis *Principium sensitivum* ea movens, atque animans; quodque pariter tum in ejus natura, tum in ejus potentiis expendemus. Quare hic quoque tractatus sextus in duas præcedentibus breviores quidem, at magni momenti sectiones tribuetur.

Harum prima *animam brutorum* perpendentes; ac perscrutantes ostendemus, principium invisibile, quo animantur, substantiam esse a materia, & a spiritu essentia diversam, quum neutrius proprietates habeat; substantiam, quæ *sensu prædita, & intelligentia carens* necessario *intermediam speciem* constituit inter materialem, spiritualemque substantiam, neque ulli harum quidpiam commune habet.

Altera hujus ipsius invisibilis principii investigatione, & analysi ostendemus, *nullam* illi inesse *potentiam intellectivam*, quæ alia objecta præter sensibilia possit attingere, quæ objecta abstracta, moralia, pure intelligibilia apprehendere possit: illi vero inesse *Potentiam affectivam*, quæ tamen solius physicæ voluptatis lenocinio, soliusque physici doloris timore gubernetur, quin ad voluptates, aut dolores ordinis intellectualis, & moralis rationem habeat ullam: illi inesse pariter *Potentiam motricem*, quæ tamen diversorum motuum, quos parit, causa tantum occasionalis esse videtur.

TRA-

TRACTATUS SEPTIMUS.

Theoriam materiæ metaphyſicam amplectitur tractatus ſeptimus, ſeu illam ſcientiæ corporum partem, quæ ab experimentis, & obſervationibus minime pendet, & quæ tota intellectus meditationibus continetur.

Materia ſane aliquam in ſe proprietatem habet, ſive ea nota ſit, ſive ignota, quæ ejus eſſentiam conſtituit; quæ ipſam materiam potius, quam ſpiritum, aut ſubſtantiam inter materiam, & ſpiritum mediam, eſſe facit; at quid eſt intrinſeca iſta proprietas, quæ *materiæ* conſtituit *eſſentiam?* Materia in ſe aut habet, aut habere videtur ſenſibilem qualitatem, ſive proprietatem, quæ eam pluribus modis ſenſus noſtros afficere aptam reddit; at vero quid eſt *ſenſibilis* iſta *materiæ qualitas*? Hinc duæ orientur diverſæ ſectiones, quæ partem materiæ metaphyſicam detegentes ad univerſam phyſicam aditum aperient, & metaphyſicam noſtram ipſæ concludent.

UNIVERSI OPERIS CONCLUSIO.

En hujus philoſophici operis objectum, atque proſpectum, cujus operis ſcopus eſt vera omnium humanarum Cognitionum principia proponere, atque ſtatuere. Hoc inter alia e uſdem generis unicum aut analyſis evoluta dicendum eſt, aut analytica diſceptatio eorum omnium, quæ in univerſa hac philoſophiæ parte ſublimiora, majoriſque momenti ſunt; quod propterea ſpeculationibus, ac ratiociniis hominum mentes illuſtrat: quare & objecto, & methodo probari, legique fortaſſe dignum a quamplurimis acri, rectoque ingenio fretis, cu uſvis ætatis, aut conditionis illi ſint, qui ut abditis metaphyſi-

cæ

cæ contemplationibus ſeſe devoveant, quarum ita ſæpius utilitatem, ac neceſſitatem ſentiunt, id unum expetunt, ut ex philoſophiæ, ac literarum ſinu opus tandem emergat, quod illis hac in re valeat ſatisfacere; opus, inquam, in quo difficile illud emineat artificium vera rerum principia arripiendi, atque explicandi, illudque multo difficilius ab his tædium, ac ſatietatem amandandi, tum eorum nexum, conjunctionemque indicandi, amplitudinem, fineſque ſtatuendi, tum demum horum pulchritudinem, utilitatemque comprobandi.

Omnia dicta jam ſunt: effatum hoc ſapientis cujuſdam erat elapſo ſæculo; at ſapiens iſte allucinabatur. Quo enim tempore adagium hoc pronunciabat, nondum univerſæ attractionis lex detecta erat, nondum magnorum omnium cæleſtium phœnomenorum cauſa aſſignata, nondum vera telluris figura ſtatuta, nondum differentialis, atque integralis algebra inventa, nondum theoria cometarum propoſita. Omnes humanæ diſciplinæ in infinitum perfici poſſunt; neque ſane ea, quæ entia inſenſibilia reſpicit, ab hac univerſali lege excipienda eſt. Metaphyſica igitur adhuc perfici & ipſa poteſt; at inter humanas diſciplinas ea fortaſſe eſt, quæ breviori curriculo ſummam, quam poteſt, perfectionem attingere poteſt. Plena hac, integraque tractatione, quæ tantum explicat, atque amplificat elementa ea, quæ decem ab hinc annis in lucem protulimus, & analyſim inventorum omnium habebis, quæ a ſuperiorum ætatum philoſophis accepimus, & ſatis amplam *novorum inventorum* ſupellectilem, quam nobis noſtro marte comparavimus. Poſt hoc opus, quid profecerit, quidve incrementi cœperit metaphyſica ab hac, qua ſcribimus, ad ſuam uſque ætatem, poſteritas judicabit.

FINIS PRÆFATIONIS.

NO-

NOTÆ OPERI HUIC PRODROMÆ.

I. Metaphyficæ hęc plena, ac abfoluta tractatio tribus aliis operibus affinis eft, quę jam cuique præ manibus funt, nempe noftris Phyficę, Mathematicæ elementorum, ac philofophiæ Religionis tractationibus. At quamvis hifce affinis, ac veluti adnexa fit, a fe tamen opus ita integrum eft, ut qui hoc habeant, nihil iis, quæ fupra indicavimus, in ea univerfa philofophiæ parte, de qua in hoc agitur, opus habeant.

II. Si identidem in hac metaphyfica notas intercalares inveneris, quæ quofdam aut phyficæ, aut mathematicæ noftræ articulos indicent; fcito, non ideo pofitas, ut ibi ftudium hujus operis intermittas, & in iis articulos indicatos pergas confulere; at unice indicare, quæftionem eam aliquo pacto ad quafdam præcipuas feu phyficæ, feu mathefeos veritates referri, quarum per otium, fi libuerit, pleniorem cognitionem habere poteris indicatos articulos confulendo.

III. Ita quoque fi pares notas in hac tractatione repereris, quæ aut fequentem tractatus partem, aut alios tractatus indicant, ne putes ideo quæ fequuntur confulenda, ut quæ tunc legis probe intelligas; at tantummodo ea alibi fufius pertractanda, atque explicanda.

IV. Hic, ut in phyfica, tres hæ notæ (Q. E. D.) fignificant *quod erat demonftrandum*.

At animadvertas velim, enunciatam demonftrationem fæpius probare duntaxat, rem, de qua agitur, probabilem effe, non plane certam; tunc fcilicet, quum fententia probanda non ut abfolute certa, fed ut probabilis tantum proponitur.

V. Qua ratione procedas dum huic operi ftudes, indicavimus jam in præfatione iis qui phi-

philosophiam ne a limine quidem salutarunt. Qui vero aliquam philosophiæ jam operam dederunt, quibus præcipue liber iste proponitur, ii totum continenter opus legant, cursim ea quidem quæ parva ingenii contentione indigent, ea vero, qua opus est, attentione quæ magis ardua identidem occurrent.

ALIA EJUSDEM AUCTORIS OPERA.

I. *Theoria entium sensibilium, sive universa Physica, speculativa, experimentalis, systematica, & geometrica omnium captui accommodata.* Huic operi præfigitur index rerum alphabeticus, qui lexici physici loco esse potest. Additæ sunt figuræ affabre incisæ, quotquot ad claram septem tractatuum, quos continet, intelligentiam requiruntur; seu quascunque postulat theoria *materiæ*, omniumque suarum proprietatum; *motus*, suarumque legum omnium; *telluris*, suorumque trium regnorum; *aquæ*, *aeris*, *lucis*, omniumque suorum illustrium phœnomenorum; *cæli*, sive astronomiæ speculativæ cœlestia phœnomena, & astronomiæ physicæ eorum veras causas demonstrantis. Voluminibus quattuor continetur.

Docta Anglicana Societas (*a*) de hoc opere judicium tulit, ut infra; atque huic judicio docti viri passim in Gallia, & tota ferme Europa subscripserunt. „ Physica hæc omnibus est nu- „ meris absoluta, maximique facienda. In ea „ magna rerum peritia, optimoque delectu au- „ ctor comprehendit quæcunque ad opus per- „ ficien-

(a) *Ephemeridum Anglicanarum auctores, quæ inscribuntur*: The Critical Revievv or annals of litterature by a society of gentlemen. *Tom. I.* 1773.

„ ficiendum essent opportuna. Methodi simpli-
„ citas, & claritas, stylique elegantia, & bre-
„ vitas rebus pertractandis conveniens opus effi-
„ ciunt a Doctis omnibus maxime commendan-
„ dum.

II. *Algebra, & geometriæ principia, seu universæ matheseos elementa omnium captui accommodata*. In hoc opere ubique praxis theoriæ conjuncta est: clare, & dilucide proponuntur arithmetica, algebra, analogica, & analytica supputatio, longimetria, planimetria, stereometria, trigonometria rectilinea, & sectionum conicarum pars usui magis necessaria: illud physicæ nostræ est affine. Præfigitur index rerum alphabeticus, qui mathematici lexici loco esse potest. Ad calcem adjectæ sunt tabulæ sinuum accuratissimæ: figuris munitur distinctissimis, & optime incisis, quotquot numerorum, & geometriæ studium possit postulare. Uno volumine continetur.

III. *Sana philosophia principia principiis religionis conciliata, seu religionis philosophia*. Duobus minoribus voluminibus opus continetur. Ad hoc elaboratum est, ut vera religio a calumniis impiæ, ac furentis incredulitatis vindicetur, quas illi obtrudere non cessat, quasi sibi non consona, & absurda esset: ut ubique veritates, quæ religionis fundamenta sunt, cum principiis, quæ philosophiæ fundamenta sunt, invicem conferantur; ut ubique *vera* utriusque *concordia* invicem demonstretur: ut ea omnia, quæ prioribus sæculis excogitata fuerunt, quæque futuris in religionem evidenter divinam excogitari possit, *universa, & constanti confutatione* proterantur. Hinc opus tum in sæculo viventibus cujuscumque sexus, & conditionis maxime appositum, si quando religionem, & philosophiam ratione duce cognoscere cupiant, tum utriusque sexus juventuti ad religionem,

ra-

ratione duce informandæ, quibus viva docentium voce explicata nonnulla abunde sufficient.

Quoniam hæc *Religionis philosophia* a metaphysica nostra sejuncta est, illi adjecimus analysim satis copiosam tractatuum trium de certitudine, de Deo, & de anima, quatenus tria hæc objecta arctissimam religioni relationem dicunt. Inter eos quibus hoc opus acceptum esse potest, illi quibus placet magnas metaphysicæ ideas præcipuis religionis principiis applicatas videre, illique præcipue, quibus e suggestu dicendi munus incumbit de christianæ fidei principiis, libenter fortasse legent in tribus *philosophicis*, *& christianis sermonibus* ad calcem positis, quomodo ex idea Dei entis increati, & creantis sponte fluat religionis, ejusque unicæ, necessitas: quomodo idea religionis dignæ Deo, hominisque viribus accommodatæ, naturalem religionem minime sufficere probet, & religionis revelatæ necessitatem trahat; quomodo ex historico prospectu, ac philosophica trutina diversarum religionum, quæ extiterunt jam, aut vigent adhuc, præclare effulgeat Religionis christianæ catholicæ veritas, & divinitas: religionis, inquam, unicæ evidenter divinæ tum doctrina, quum duratione; & cujus præcipuas veritates audax incredulitas nequit oppugnare, quin illis omnino absurda, ac stomachum moventia systemata sufficiat.

NO-

NOTA.

Quoniam in physica nostra nonnullæ numericæ notæ sunt, quæ metaphysicam hanc respiciunt, nec bene iis, quæ indicare debent, respondent, apponimus tabulam iis conciliandis efformatam. Exempli gratia, in Physica invenies (*Met.* 154.) qui numerus hanc metaphysicam respicit: loco numeri 154 quære numerum 417, qui in adjecta tabula illi suffectus est; sic porro de reliquis.

Loco n.	Quære	Loco n.	Quære
11	56	473	1042
48	210	474	1046
51	222	480	1062
52	224	506	1279
55	226	508	1117
112	318	536	1170
127	357	546	1248
132	361	553	1226
135	179	568	1297
154	417	569	1322
172	457	714	1392
175	463		
192	487		
204	489		
242	598		
334	958		
337	881		
384	820		
431	957		
439	966		
441	971		
442	978		

Numeros infra positos quæres in Philosophia religionis.

Loco n.	Quære
389	172
589	134
592	141
646	236
650	169

THE-

THEORIA
ENTIUM INSENSIBILIUM,
SEU
METAPHYSICA UNIVERSA SACRA ET PROPHANA.

TRACTATUS PRIMUS.

THEORIA GENERALIS ENTIUM SIVE INTRODUCTIO AD PHILOSOPHIAM.

PRimi hujus tractatus, qui magnis omnibus divinarum, humanarumque disciplinarum objectis lucem affundet, scopus est, omnium humanarum cognitionum generalia principia exponere, entium omnium proprietates ostendere sive quibusque communes, sive quibus inter se differunt; omnium idearum summe abstractarum, ac metaphysicarum vera objecta accurate determinare: in maximam, quæ possit, lucem plurimas *generales quæstiones* proferre, quæ maximam cum plerisque philosophiæ partibus conjunctionem habent, quæque incidenter inseri nequirent tractatibus, quos respiciunt, quin rerum ordo, nexusque prorsus perturbaretur. Tractatum in plures paragraphos tribuemus: sive ut ita aptius objecta distinguamus; sive ut ita menti requiem veluti quandam paremus, dum ab una ad aliam rem transitum facit.

1. NOTA. *Metaphysica*, seu scientia entium, quæ

quæ ſenſus immediate attingere nequeunt, in metaphyſicam generalem, & in metaphyſicam particularem dividi poteſt.

I. *Metaphyſica generalis* objectum ſunt proprietates rerum abſtractæ, quæ in ſuo abſtractionis ſtatu ad omnes entium ſpecies, aut ſane ad plurimas rerum ſpecies pertinent. Hujuſmodi, exempli cauſa, eſt theoria generalis principiorum, cauſarum, poſſibilium, eſſentiarum, relationum, diſtinctionum, univerſalium, modificationum, generum, & ſpecierum, temporis, & ſpatii. Porro hæc theoria nullius pecu- liaris entium ſpeciei finibus coarctatur; quin in hoc abſtractionis ſtatu omnibus, ſeu ferme omnibus diverſis entium ſpeciebus inſervit, uti materiæ, ſpiritui, animatis, ſive inanimis ſubſtantiis, cæleſtibus, terreſtribuſque corporibus; & ſic de reliquis dicas.

Proprietates rerum generica verum, ipſumque primi hujus Tractatus objectum ſunt, qui propterea Ontologia, ſive ſcientia entium in genere, dici poteſt.

II. *Metaphyſica particularis* objectum ſunt quædam peculiares entium inſenſibilium ſpecies; cujuſmodi ſunt leges dialecticæ, certitudinis fontes, Dei, animæque natura, tum materiæ natura abſtracta. Hoc ipſum quinque tractatuum, quæ ſequentur, objectum erit.

2. NOTA. Metaphyſica, illa præſertim, quam hic *metaphyſicam generalem* appellamus, philoſophos ſemper in contraria diſtraxit, quidam enim eam ſummo ſtudio ſunt proſecuti, quidam eam contemptui habuerunt.

Metaphyſicæ abſtractæ laus eſt ingenium acuere, illudque ad præciſe, & accurate ſua munera peragenda inſtituere; unde modo ideas ſuas extendat, quibus uno intuitu magna objecta complectatur, modo ipſas diſſecet veluti, evolvatque, quo intimius ipſas contempletur qua unice parte tunc intereſt. Hæc metaphyſica ad

ad ſublimes ſolidaſque diſciplinas ingenium efformat, illud ad vera principia, veraque objecta arripienda erudiens; at ipſa per ſe intellectum non ſatis illuſtrat, aut ditat: ſuis enim incluſa finibus illi nec ſatis utiles, nec natura ſatis gratas cognitiones impertitur.

Metaphyſicus non fueris: præclara dote carebis, qua ſi careas, vix unquam recte, ſolide, præciſe, clare, & methodice intellectus operationes exequeris.

Metaphyſicus tantum fueris, aut inanibus tantum abſtractæ metaphyſicæ ſpeculationibus occupaberis: exiguam ſane, atque inutilem laudem mereberis; hoc enim erit in cognitionum curriculo in mediis ſiſtere, quin ad finem tendas. At vero penitioris metaphyſicæ nitidiſſimam facem magnis iis objectis adhibere, quæ noſtris cognitionibus offerunt Homo, Univerſum, Deus; hoc ſane eſt metaphyſica ad ſcopum attingendum uti, ad veritatem ſcilicet inquirendam; metaphyſicæ quippe eſt nobis ad veritatem viam ſternere, & ſacra ejus penetralia reſerare.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

PRIMITIVARUM NOSTRARUM COGNITIONUM IDEA, SEU PRÆVIA SENSATIONUM CONSIDERATIO.

3. NOTA. Jucundum ſane eſſet philoſopho quum plenam ingenii maturitatem, roburque jam eſt adeptus, obſervatione, & reflexione duce ad *prima exiſtentiæ ſuæ tempora* regredi, quum primas rerum notiones habere cœpit; atque ita primas ſuas ſenſationes, primas ideas, primaque judicia iterum perluſtrare, iiſque immorari, fierique aliquibus horis, aut temporis ſaltem momentis vix natum infantem ſimul, &

bene institutum hominem. Non ne illi jucundum esset, atque pergratum originem, progressusque suarum cognitionum contemplari? quaque admiratione magnam illam diversitatem, quæ inter primas illas, ac præsentes, quas habet, sensationes intercedit, animadverteret; inter primam videndi, judicandique rationem, eamque, qua experientia instructus, reflexione rectus, atque perfectus modo videt, ac judicat?

At *primæ* nostræ *rerum notiones* fato quodam nullum in nobis vestigium relinquunt, quod consulere possimus; & maxime exoptanda cognitionum nostrarum inspectatio, quum nempe primum efformatæ fuerunt, tunc omnino desperata est quum magis esset peroptanda.

Reliqua itaque nobis tantum est conjecturalis speculatio, qua aliquo pacto primam nostram intelligendi, ac judicandi rationem cognoscamus: atque hac ipsa conjectura detegere, aut divinari nitemur qua ratione, quum primum vivere incipimus, aliquam per sensus rerum ideam habeamus; qua item ratione extra nos objecta esse intelligamus, eaque invicem distinguamus, seu in plures veluti manipulos metaphysica abstractione colligamus. Ista primo hoc paragrapho pertractanda.

CAPUT PRIMUM.

RES IN NOBIS VISÆ.

4. HYPOTHESIS. NAturæ Auctor, cujus potentia nulla ratione coarctatur, nullis limitibus continetur, momento temporis machinam effingat organis instructam omnino, ut humanum corpus esse solet ad vigesimum ætatis annum: machinæ huic ita affabre factæ substantiam intelligentem conjungat, sensibilem, cogi-

gitandi, ac sentiendi facultate præditam, at ideis, & sensationibus omnino carentem: statuat ipse, duas hasce diversas substantias, earum connexione, mutuaque *dependentia totum* quoddam *unicum* efformare ad easdem perceptiones intellectus, & sensus habendas destinatum, quas in præsenti rerum statu nos ipsi natura habemus, hoc uno discrimine, quod in insolenti composito, quod ita in istanti efformatum fingimus, organa non agent, nisi quatenus successive ea ad agendum provocabimus.

Hac hypothesi *hominem novum* habebimus celebris Comitis Buffonii, sive ingeniosi Abbatis Condilliaci *statuam animatam*; atque in hoc novo homine, sive statua animata, primas nostras rerum notiones enasci videre pergimus.

In ea brevi totius hujus philosophicæ hypothesis explicatione, quam modo daturi sumus, supponemus in novo homine, ut in nobis, animam non in toto corpore, quod informat, sedem habere, at *in parva cerebri portione*, ad quam præcipua sensus organa concurrunt: item in novi hominis anima, ut in nostra, *sensationum, atque idearum existentiam* natura quibusdam *corporeorum organorum tremoribus* adnexam esse: præterea in novi hominis corpore, ut in nostro, diversos hosce *corporeorum organorum tremores* ab impulsu, & actione diversarum corporearum substantiarum, quæ illa afficiunt, pendere: tandem in novo homine, ut in nobis, *veram* esse *ratiocinandi facultatem*, habendi scilicet & retinendi ideæ, & sensus perceptiones, eas invicem comparandi, in quo conveniant, in quove differant judicandi, discutiendi, & observandi, quantum natura fieri potest, quid contineant, quid supponant, quid secum trahant; & sic de reliquis.

Perspicuum est in hujusmodi hypothesi nihil esse, quo rejici possit; in ea enim jam efformatus novus homo, iis ipsisque organis instructus

nascitur, quibus nos firma jam ætate præditi sumus; hoc uno discrimine, naturales, quas habet facultates in eo nondum ab experientia excultas, perfectasque fuisse, quod ipsa jam adulta ætate non parum in nobis præstitit.

5. EXPLICATIO. In novo homine organa visus, auditus, gustus, ac tactus inertia omnino, nullaque actione fungentia initio relinquamus: tantum illi olfactus vim, actionemque tribuamus.

I. Rosam recens carptam novi hominis naribus admoveo; hæc odoris corpusculis, quæ e sinu suo continenter jacit, id unicum organum, quod potest, percellit, atque afficit. Illico juxta naturalem rerum ordinem olfactus fibrę odororum corpusculorum impulsu concussę, atque perculsæ in intelligibili, ac sensibili novi hominis substantia, quęcumque sit ejus natura, pergratam sensationem excitabunt, cui *prima existentia suæ perceptio* erit adnexa.

In hoc primo sensationis statu novus homo sese cum intima, qua afficitur, sensatione confundet: nihil enim pręter hanc sensationem cognoscit, aut experitur. Se igitur esse putabit *odorem rosæ*; quin illi quid suppetat, unde alio se modo esse posse, aut extra se, extra nempe illud suum *Ego intelligens*, *& sensibilis*, pręter se quid aliud esse, valeat suspicari. Scientia sua hac sola sensatione hactenus continetur. Ipse in idea, ac sensatione sua odor rosę, nihil habet, quo ad rosę, unde odor manat, aut organi, quo illum sentit, cognitionem adducatur.

Si hora integra rosam illius naribus admotam teneam, toto hoc tempore ipse se eundem odorem rosę esse putabit. Hęc *continuata sensatio*, quę eadem semper est, nullam aliam ideam in eo excitat sive diversitatis, sive numeri, seu durationis, aut instantium successionis. Nullam aliam igitur toto hoc tempore, pręter existentię suę, talisque existentię perceptionem habebit.

II. Ro-

II. Rosam amoveo, illique jasminum sufficio. Illico ob novam, & a prima diversam fibrarum olfactus concussionem, quas adhuc existere ignorat, novus homo novam sensationem experitur, cum qua iterum sese confundit: en illum *jasmini odorem*. Horum duorum statuum collatio, media memoria, nonnullas in eo ideas rerum parat, quę subsequentium veluti basis futurę sunt.

Itaque novus homo, qui modo erat odor rosę, nunc odor jasmini est. Si in eo prima sensatio prorsus deleta, atque abolita esset, nullatenus precedentem existentiam suam pręsenti posset comparare. At prima illa sensatio in ipso, in sua, inquam, intelligibili, ac sensibili substantia aliquatenus subsistit adhuc, in eoque *recordationem* parit, perceptionem scilicet continuatam, licet languidam, pręcedentis status, seu pręcedentis existendi modi.

Pręcedentis status recordatio, & pręsentis sensatio in eo excitant *primam ideam diversitatis*, *primam numerorum ideam*, *primam ideam durationis*, seu successionis instantium.

III. Jasminum removeo, ejusque loco pleraque odora corpora successive appono. En hominem novum in suis perceptionibus fieri odorem incensi, nicotianę vaporem, ferę nidorem; atque ita porro. Jam solo olfactus organo diversis odoris corporibus admoto in hoc homine diversitatis, numerorum, successionis ideę multiplicantur, extenduntur, roborantur; at in eo identitatis idea nondum nata.

IV. Rosam iterum capio, cęterisque odoris corporibus amotis, eam unam novi hominis naribus appono: illico in eo prima sensatio renascitur, & reviviscit. Mirabundus, lętusque fit ipse iterum odor rosę; & se fuisse memor qui modo est, sentit, ac judicat, postremum hunc existendi modum eum ipsum esse, qui primus fuerat; hinc in ipso *prima idea identitatis*.

V. Memor ipse, se primum odorem rosę, mox jasmini odorem fuisse, deinde iterum odorem rosę se esse cœpisse, neque in his omnibus mutationibus re ipsa se ipsum esse desiisse, homo novus facile judicabit, & sentiet *diversos existendi modos* se habere posse; nullumque ex his transeuntibus existendi modis, quos expertus est, re vera se ipsum esse; extitit enim tunc etiam, quum quilibet ex his existendi modis in se esse cessavit. Hinc in eo *prima realis distinctionis idea*, *inter se*, *suosque transeuntes existendi modos*.

Hinc in eo etiam *prima idea accidentalis rerum status*; quorumdam nempe existendi, aut agendi modorum, qui rei alicujus proprii sunt, & ab hac ipsa sejungi possunt.

6. EXPLICATIO II. Organis visus, tactus, & gustus in novo homine adhuc inertibus; organi auditus actionem, & munera illi tribuamus.

I. Hactenus in novo homine olfactus fibrę duntaxat excitatę fuerunt, atque perculsę; quare in eo, in sua scilicet intelligente, sensibilique substantia, nulla alia ideę, aut sensus perceptio fuit, pręter eas, quas organi olfactus munus est excitare. Modo jam alia fibrarum species, quę scilicet auditus organum constituunt, tremere pergit; in eo propterea, in sua scilicet intelligente, sensibilique substantia, novę intimarum perceptionum speciei locum parat.

Tibia, seu tuba cano, cujus sonitus in analogis auris suę fibris tremorem ciet (*Phys.* 758, & 771.). Confestim juxta naturalem rerum ordinem novi generis perceptiones in eo excitantur, quę nihil habent iis, quas ab olfactu acquisivit, consentaneum. *Novum* itaque admirabundus obtinet *existendi genus*.

Antea suo percipiendi, & sentiendi modo tantum erat odor rosę, odor jasmini; cętera. Modo novi generis perceptionibus est *tibia*, *vel*

tuba

tuba sonus; ac pro diversis vibrationibus, quibus novum ejus organum percelletur, erit pariter in suis perceptionibus aut simul, aut successive rivuli murmur, luscinię cantus, tonitrui fragor, procellę fremitus, sonitus demum quicumque, quo afficietur.

II. In hoc altero perceptionum statu, ut & in præcedenti, homini novo nullus adhuc modus suppetit cognoscendi, aut suspicandi, corpus sonorum existere, quod materiales auris suæ fibras concutiat; neque suam quidem aurem existere, cujus materiales fibræ corporis sonori fremitu, seu mavis a columnis aereis, quas secum sonorum corpus fremere facit, concutiuntur. Suo percipiendi, ac judicandi modo nondum alius esse potest ab eo, quod sentit; nec aliud sentit, quam diversas intimas perceptiones, quibus afficitur.

Per sonoras perceptiones, quas in eo novum organum excitat, novam in eo faciem inducunt ideæ existentiæ, successionis, diversitatis, identitatis, accidentis, numerorum; nulla tamen harum ipsa per se eo illum adducet, ut judicet, extra se, extra nempe suum Ego intelligens, & sensibilis, aut objecta esse, a quibus fiant, aut organa, per quæ adveniant intimæ affectiones, quas sentit.

7. EXPLICATIO III. Adhuc inertibus in novo homine visus, & tactus sensibus, munere suo, atque actione in eo fungatur *Organum gustus*.

I. Novum fibrarum genus, quæ nempe interius os, palatumque convestiunt, diversis corporum sapidorum particulis tanguntur, atque excitantur. Hinc in eo pro naturali rerum ordine novum intimarum sensationum genus ab iis omnino diversarum, quas antea ab olfactus, & auditus organis adeptus erat.

Novum itaque nova admiratione *existendi genus* homo consequitur. Nil antea suo percipien-

di, ac ſentiendi modo, niſi odor, & ſonus erat; nunc præterea ex novi generis perceptionibus *multiplex ſapor* eſt, mellis ſapor, abſynthii ſapor, lactis, mali Aſſyrii, panis, vini, illius omnis, quod ejus palatum afficit.

III. In tertio hoc ſenſationum ſtatu, ut & in duobus præcedentibus, ſeſe cum diverſis intimis affectionibus, quas ſentit, ſucceſſive confundit, aut non niſi imperfecte admodum ab illis ſeſe diſtinguit; neque ulla ex his diverſis affectionibus per ſe ipſa eum in cognitionem inducit illius corporis, quod illas efficit, aut organi, per quod illi tranſmittuntur.

Augentur in illo quidem, & roborantur ideæ exiſtentiæ, ſucceſſionis, diverſitatis, identitatis, accidentis, numerorum; nulla tamen harum idearum ſubſtantiam intelligentem, atque ſenſibilem in ſuſpicionem inducere valet, aliquid extra ſe eſſe, quod non ſit ipſa.

§. EXPLICATIO. IV. Organo tactus inerti relicto, *organum viſus* ſuo munere, & actione fungens homini novo tribuamus.

I. Novum fibrarum genus, quæ in ipſo nervum opticum componunt, infinitiſque in retina filamentis protenduntur, excitatur jam, atque percellitur a conis lucidis, quos diverſa corpora viſibilem naturam conſtituentia aut jaculantur, aut reflectunt. Hinc in eo pro naturali rerum ordine nova ſenſationum ſpecies a tribus præcedentibus omnino diverſa.

Itaque Novus homo, novo hoc organo jam agente, *novum* ſummo ſtupore conſequitur *exiſtendi genus*. Erat antea odor tantum, ſonus, & ſapor: en illum modo novi generis perceptionibus *imaginem*, *&* *colorem* earum rerum omnium, quæ oculos afficiunt.

Cœlum, tellus, animalia, vegetabilia, foſſilia, meteora, omnia hæc in ſua retina pinguntur, & per retinam in ſua intelligente, ſenſibilique ſubſtantia. Eſt ille jam aut ſucceſſive,

aut

aut simul color, & imago rosæ, color, & imago lilii, ignis, prati, nubis, cujuscumque. Color est, & imago solis, a quo obtunditur, fluvii per alveum fluentis, avium per aera vagantium, brutorum in terris gradientium; & sic de ceteris.

II. Organum visus in novo homine novæ ideæ excitandæ opportunum videtur, quæ a tribus præcedentibus organis obtineri nequibat, *idea*, dico, *figuræ*, *& extensionis*.

Odoris, soni, saporis sensatio neutiquam ipsa per se, & natura sua ideæ figuræ, & extensionis adnexa videtur. At visio utique necessario huic eidem ideæ videtur adnexa. Ut hic nexus appareat, magnum capio ex charta circulum tribus, quatuorve circularibus armillis concentricis divisum, quæ variis coloribus pictæ sint ita, ut ad centrum sit circellus niger, ultra hunc armilla cærulea, inde armilla alba, & post hanc armilla rubra a peripheria terminata. Hunc vero circulum ita armillis distinctum, pictumque novi hominis oculis objicio.

In ipso hæc aspiciente, in sua scilicet intelligente, sensibilique substantia, circuli hujus, suorumque quatuor colorum idea efformabitur; neque vero dictum iri puto, centralem circulum, tresque circulares armillas, quibus ambitur, ipsi *punctum unicum coloratum* fore, punctum nempe simul rubrum, nigrum, album, cæruleum. Quatuor enim colores in circulo colorato separati, in retina quoque ad oculi fundum separati, ab ipso, uti a nobis, invicem sejuncti videri debent; hoc uno discrimine, nobis circulum coloratum rem quamdam esse extra nos sitam; at illi hunc eundem circulum non esse nisi *spectrum diversimode coloratum*, quod in se sentit, quod unum ex suis existendi modis reputat, & cum quo se confundit; eo forme pacto, quo se cum odore ro-

ſæ, & jaſmini, cum mellis, & abſynthii ſapore, cum calami, & tubæ ſono antea confuderat.

In eo itaque ad chartæ hujus aſpectum variis coloribus diſtinctæ, aut montis aſperi rupibus, aut vireti floribus conſiti, aut cœli nubibus paſſim obumbrati, orietur, atque efformabitur *prima figura, atque extenſionis idea*; quandoquidem nihil habent olfactus, auditus, guſtus ſenſus, quo hanc ideam excitare poſſint, eaque ab organi viſus muneribus ſejungi non poſſe videtur; neque enim ſenſus hic ſenſibile objectum poteſt repræſentare, quin partes unam extra aliam poſitas, ac proinde figuram, & extenſionem repræſentet (19).

III. In quarto hoc ſenſationum ſtatu, ut in præcedentibus, novus homo totidem ſibi proprios exiſtendi modos eſſe putat, licet accidentales ſint, diverſas has intimas affectiones figuræ, colorisque, quas ſentit; neque adhuc habet, unde extra ſe intelligentem, & ſenſibilem, quidpiam a ſe diverſum exiſtere poſſit ſuſpicari.

In ejus retina, ut in mea, nitide pictæ, inſculptæque ſunt viſibilium objectorum imagines; in ejuſque oculo non ſecus, ac in meo, imagines iſtæ locum mutant ad normam diverſæ poſitionis, quam reſpectu oculi objectum obtinet: hæ imagines alternatim majores, minoreſque fiunt pro diverſa objecti ab oculo diſtantia. (*Phyſ.* 910, & 918.)

At quoniam illum nondum experientia docuit videre, hæc objecta omnia illi non niſi imagines eſſe poſſunt; atque has ipſas a ſuis ſenſationibus, a diverſiſque exiſtendi modis minime diſtinguit. Omnia quidem objecta videt, quæ ejus oculus intuetur, quorumque imagines nitide in ejus retina pictæ ſunt; at quum nihil adhuc de harum materialium imaginum, aut objectorum, aut radiorum, qui illas efficiunt, aut organi, quod eas recipit, exiſtentia ſuſ-

suspicetur; adhuc illi spectaculum totum istud nihil est, quod extra se statuere, & censere possit.

9. EXPLICATIO V. Novo tandem homini munera, & actionem illius organi tribuamus, quod prę ceteris voluptate, & dolore afficitur, quodque illi postea utiliores, solidioresque cognitiones impertiri debet, *organi* nempe *tactus*.

I. Novum fibrarum genus in novo homine excitari, atque percelli pergit: Hinc in eo pro naturali rerum ordine novę, illique antea ignotę sensationes, queque illi novum existendi modum afferunt, quo gaudere magis, an tristari debeat ambiguum est: hinc in eo intimę perceptiones pressionis, resistentię, caloris, frigoris, famis, sitis, voluptatis, doloris: quę omnes nihil aliud illi sunt, nisi novi existendi modi.

Suo intelligendi, & sentiendi modo, odor, sapor, sonus, imago, & color ipse tantum erat; nunc vero novi generis perceptionibus *resistentia*, & *qualitas sensibilis* eorum omnium, quę novum organum afficiunt, effectus est. Exempli causa, est resistentia adurens, si quando candentem carbonem manu apprehendat; resistentia gelans, si pedibus nivem calcet; resistentia dulcis, aut amara, si saccarum, aut absynthium ore mandat, aut sugat; atque ita porro.

II. In novo hoc *perceptionum tactilium* statu, novi hominis substantia intelligens, & sensibilis nihil adhuc habet, quo aut corporis, quod animat, aut corporum, quæ corpori a se animato proxima sunt, in cognitionem inducatur; in ea enim tantum diversę hę perceptiones tactiles existunt, in ea tantum sentiuntur, neque quidpiam extra eam sunt, aut esse possunt.

Exempli causa: hominis novi manum apprehendam ego, valideque constringam, ut in eo acutum dolorem excitem: quid molesta con-

ſtrictio iſta illi erit? Nihil porro, niſi ſenſatio ſimplex, quę nullo pacto extra intelligentem, ſenſibilemque ſubſtantiam exiſtit; quæque nihil ex ſe extra ſubſtantiam hanc intelligentem, atque ſenſibilem enunciat.

Non ſecus erit ſi ambas hominis novi manus apprehenſas, alteram ſumme calidę alteram ſumme frigidę immerſero: vehementem ſimul caloris ac frigoris ſenſationem experietur quidem; at quid quęſo in ſe, & ex ſe ambę hęc intelligentis, ſenſibiliſque ſubſtantię ſenſationes cum manu, & cum pelvi frigida, aut calida plena commune habent?

Iterum novus homo naſum ſibi, aut mentum dextera apprehendat, ſiniſtra ſaxum, aut pomum: ſi hęc majori, minorive vi premet, diverſas *reſiſtentiæ ſenſationes* experietur, quę non niſi in intelligente, ſenſibilique ſubſtantia ſunt, aut eſſe poſſunt, quęque nihil in ſe, aut ex ſe ipſis habent, unde ſimilitudo, aut analogia eluceat cum dextera, cum ſiniſtra, cum naſo, aut mento, cum ſaxo, aut pomo.

III. En igitur hactenus novum hominem! Quinque ſenſibus inſtructus ad hoc datis, ut per eos univerſę viſibili naturæ communicet, tum ſenſus hos, tum corpora quęcumque ſenſus hos afficientia exiſtere adhuc ignorat, Ipſe intelligens & ſenſibilis quidquid nos videmus & ipſe videt, quidquid ſentimus ſentit: & alio prorſus a nobis pacto adhuc videt, ſentit, & judicat; quidquid enim hactenus perceptionum habet, illi nihil aliud eſt, niſi diverſus exiſtendi modus.

In eo per organum tactus ideę exiſtentię, ſucceſſionis, diverſitatis, accidentis, numerorum, figurę, extenſionis magis magiſque augentur, ac roborantur (5 & 8): nulla tamen harum idearum illum adducet, ut ſuſpicetur, extra ſe pręter ſe intelligentem, atque ſenſibilem, quidpiam exiſtere a ſe diſtinctum.

10, NO-

10. NOTA. Recentiones philosophi nonnulli, inter quos Lockius, & Condilliacus, statuunt, sensationes tactus esse ipsas de se veluti *punctum communionis*, a quo substantia intelligens, atque sensibilis a sui cognitione, ad proprii corporis, tum ad ceterorum corporum naturam materialem constituentium, quibus circum sepitur, cognitionem, transitum faciat. At nullo solido fundamento est, aut erit unquam sententia ista suffulta: atque hoc ideo, quia non magis sensationes, quas intelligenti, sensibilique substantię tactus suppeditat, corporum eas excitantium existentię natura connexę sunt, quam eę sensationes sint, quę ab olfactu, ab auditu, a visu, a gustu proficiscuntur.

I. Primo sane perspicuum est, id quoque hujus sententię auctoribus, atque assertoribus fatentibus, *diversas voluptatis*, *doloris*, *caloris*, *frigoris*, *vibrationis*, *tremoris sensationes*, quas organum tactus impertitur, non magis aptas esse animam in cognitionem inducere existentię tum corporis ad se spectantis, tum ceterorum corporum, quibus communicare potest, quam ad hoc aptę sint diversę sensationes, quę ab organis aut olfactus, aut auditus, aut gustus, aut visus habentur.

Quare enim, quęso, *sensatio caloris*, exempli causa, quam in me excitat pruna manus meę fibras concutiens, aptior esset ex se aut manus meę, aut prunę existentiam mihi cognitam facere, quam sit *sensatio lucis*, *& coloris*, quam in me pariter eadem pruna oriri facit oculi mei fibras percellens? Hac in re organum tactus visus organo neutiquam pręstat.

Ita quoque, quare *doloris sensatio*, quam in me culex aurem meam pungens excitat, aptior esset de se mihi cognitionem impertiri existentię auris meę, aut culicis; quam *soni sensatio*, quam in me excitat culex circa auricalam volitans, atque susurrans? Inter has sensationes pri-

prima nullam majorem altera analogiam habet auris, aut culicis existentię; neque hic pariter organum tactus organo visus quidquam prestat.

II. Certum quoque est, inter varias, quas organum tactus in novo homine excitat sensationes, eam, quę aptior esset illum in cognitionem adducere aut corporis, quod ipsius pars est, aut aliorum corporum, quibus circundatur, fore *sensationem resistentia*, quam experitur corpora impellendo, tractando, premendo. At vero ista resistentię cujuscumque sensatio, nullatenus sensatione alicujus odoris, saporis, soni, aut coloris aptior est, quę ipsa de se eum ad hanc cognitionem adducat; utraque enim sensatio nihil in se, & per se est, nisi *modificatio quadam substantię intelligentis, atque sensibilis*; quin in hac substantia resistentię modificatio est ęque natura sua spiritualis, ęque materię resistenti, & eam excitanti extranea, ac sit odoris, soni, coloris, saporis modificatio materię odoræ, sonorę, coloratę, insipidę, aut sapidę, quę ejus causa, aut occasio est, prorsus extranea.

Quum substantia intelligens, ac sensibilis novi hominis quasdam resistentiæ sensationes habere incipit, seu res quasdam sentire, quæ illi resistunt, quæque illi immobilitatem, seu partium impenetrabilitatem objiciunt; perspicuum est non nisi in se ipsa hanc rerum resistentiam sentire posse: neque enim res ibi sentire potest, ubi non est; neque extra se ipsa est. Non igitur nisi in anima ipsa hæc *rerum resistentia* sentietur; neque ipsa per se novum hominem docebit, extra ipsum aliquid esse immobile, impenetrabile, resistens, quod ipse non sit.

Nulla itaque impressio tactilis, quam novus homo experiatur, de se eum hactenus adducet, ut nullo experientiæ, & reflexionis auxilio esse corpora suspicetur, a quibus illæ sibi proveniant, sive harum ea corpora causa, sive occasio dicenda sint.

Pe-

Pede ille terram quatiat, qua sustinetur; seu proprium, sive alia corpora manu graviter perfricet; suave pomum, cujus odore, & sapore voluptatem capit, sive ingratum cibum, cujus amaritie torquetur, aut putredine pene conficitur, dentibus premat.

In his omnibus tactus sensu nil nisi *varias resistentia sensationes* experietur, quarum natura prorsus a materia sejuncta, nihil cum extensione, & impenetrabilitate corporum, a quibus hæ illi proveniunt, commune habet, aut habere potest: neque aliud ipsi, suo nempe illi *ego intelligens*, *& sensibilis*, hæ sensationes sunt, nisi *diversi existendi modi*, alii cum voluptate, alii cum dolore conjuncti; tandem nil magis in se, & per se cum corporum existentia hæ sensationes connexæ sunt, quam quæ ab aliis quatuor sensibus efficiuntur.

III. At vero certum est, hominem novum ad proprii corporis, & naturæ visibilis, quam nondum novit, existentiam cognoscendam tandem, nec multo quidem tempore, perventurum; neque ad hoc aut miraculum, aut revelatio proprie dicta requiretur.

Voluptas, *& dolor*, magni hi orbis universi magistri, novum hominem cito erudient, atque informabunt. Horum impulsu, hisque ducibus substantia intelligens, ac sensibilis, qua animatur, discet attente perpendere quæ in se fiant, quæ illi voluptatem, quæ molestiam creent; ab hac vero tam necessaria, ac naturæ consona attentione ad voluptates, atque dolores, quibus identidem alternis afficitur, in ea enascetur *reflexione*, *& inductione*, non vero simplici sensatione, primum suspicio, postmodum plena, atque perfecta certitudo, extra se res esse, ac esse debere aptas eas diversas modificationes, quas experitur, excitare, eos scilicet existendi modos, quorum alii sibi grati, & jucundi, ingrati alii, ac molesti sunt; quæ omnia mox explicabimus (20 & 22).

NO-

NOSTRORUM QUINQUE SENSUUM IDEA GENERALIS.

11. OBSERVATIO I. Organa illa quinque, quorum præviam notionem tradidimus, ineffabili quadam fibrarum conjunctione præcipue constant, quas invisibile fluidum imbuit, *fluidum animale* nuncupatum. Ut enim anatomicis observationibus, & experientia docemur, nihil est in humano corpore præter *partes fibrosas, & nerveas*, aptum pressione, aut tensione, seu vibratione, sive alteratione sensibiles perceptiones excitare.

I. Quinque horum organorum, quibus omnes nostras sensationes debemus, quatuor primi in humano corpore *sedem* habent veluti *circumscriptam*, ac *limitatam*, quam non excedunt. Exempli causa, olfactus organum nasi fibris continetur; organum gustus fibris oris, & linguæ; auditus fibris aurium; visus fibris oculi. In nostra Aeris, & Lucis Theoria, horum duorum postremorum organorum, tum & phœnomenorum ab his pendentium satis amplam anatomicam descriptionem videre poteris. (*Phys.* 781, & 782, 910, & 1036.).

II. At non ita organum tactus: hoc in omnibus humani corporis partibus, ubi fibrę, & nervi sint, sedem habet.

Organum istud itaque tota sua amplitudine sumptum *omnibus humani corporis partibus fibrosis, & nerveis* inest internis, externisque; atque hæ si quam tensionem, aut vibrationem, aut alterationem patiantur sive a solidis, sive a fluidis, quæ illas impellant, seu permeent, sive ex iis erumpant, in nobis excitare valent sensationem *resistentiæ*, *voluptatis*, *doloris*: hoc in genere triplex ejus munus est.

12. OBSERVATIO II. Organum tactus ob diversa, quæ ab ipso pendent, phœnomena, diver-

versasque sensationum species, quas in nobis efficit, peculiarem a nobis explicationem postulat, qua ejus natura, objectum, & munera peculiariter dignoscantur.

Ejus natura in mira quadam fibrarum aggregatione magis, minusve mobilium, magis minusve irritabilium sita est. Materia quævis fibris hisce resistentiam opponere, aut motum indere opportuna, ejus objectum est. Ejus vero munus est substantiæ sensibili, & cogitanti, centro physico, sive morali cerebri spiritualium perceptionum copiam præbere, quibus possit tum corpori, quod animat, quum ceteris corporibus visibilem naturam componentibus communicare.

I. Si organum tactus *pressione* exercetur, quin ullam lacerationem, sive ingentem concussionem in partibus fibrosis, quibus constat, patiatur, in substantia intelligente, ac sensibili *resistentiæ sensationem* excitabit, quæ illi experientiæ, & reflexionis auxilio erit certa, ac tuta ratio *qualitates tactiles corporum* cognoscendi, cujusmodi sunt frigus, color, humiditas, siccitas, durities, mollities, asperitas, lenitas, & alia hujusmodi.

Tota corporis humani pars exterior, cutis scilicet, quæ nihil aliud est, nisi fibrarum, nervorum, vasorum textura, quorum nexus quaquaversum telam veluti intexit, apta est hanc resistentiæ sensationem in nobis excitare: at summi digiti ceteris partibus hac proprietate longe præstant; quum vero tactus organum his partibus exercetur, tunc illud peculiari modo *tactus* dicitur.

II. Si organum tactus *alteratione* exerceatur ita, ut in partibus fibrosis, quibus constat, laceratio, aut inflammatio fiat; in substantia intelligente, & sensibili *doloris sensationem* excitabit, quæ eo erit violentior, quo laceratio, aut irritatio major erit, parsque fibrosa læsa, & alterata irritabilior. III. Si

III. Si tactus organum *commotione*, *& tremore* exercetur ita, ut vivida quædam, moderata tamen, in solidis, ac liquidis corporis partibus dilatatio fiat; in substantia intelligente, & sensibili *voluptatis sensationem* excitabit, quæ natura, & intensitate erit infinite varia pro diversis tactilibus impressionibus, a quibus afficietur.

IV. *Sensationis caloris* causa videtur esse levis vibratio, quam in partibus fibrosis internis, externisque humani corporis ciet igneæ materiæ vis, solida, ac fluida nostra dilatando, atque expandendo. At vero, si eo usque augeatur ista vibratio, ut fibrosæ partes diffringantur, ac dissolvantur, sensatio doloris erit: hanc ambustionem dicimus.

V. Contra vero *sensatio frigoris* a partis fibrosæ constrictione, ac fluidorum, solidorumque nostrorum condensatione oriri videtur: quam constrictionem, condensationemque corpuscula, a quibus afficiuntur partes illæ, producunt.

VI. *Titillationis sensationis* facile causa est levis, & extima partis fibrosæ vibratio, quæ inter vividas voluptatis agitationes, & violentes doloris concussiones veluti media sit.

VII. *Famis sensatio* ab internarum stomachi fibrarum irritatione facile oritur; *sitis* vero *sensatio* a quadam exsiccatione, & ab inflammationis initio in fibris gutturis, palati, & linguæ.

13. OBSERVATIO III. An *hominis analysis* in diversis ejus sensitivis facultatibus fœcundas admodum, utilesque cognitiones unquam paritura sit haudquaquam scio: certum tamen est ab hac analysi insigne, jucundumque spectaculum proponi, quod quum hominum attentione dignum est, tum eos artem docet diversas perceptiones suas dividendi, coordinandi, in suas classes distribuendi. „ Vellem, inquit Auctor *li-*
„ *tera de Surdis, ac mutis*, hominem, ut ita
„ di-

„ dicam, dissolvere, & quid a quovis sensu „ habeat perpendere. Memini me aliquando de „ hac metaphysica anatomia cogitasse; inveni tunc, „ oculum sensuum omnium minimi momenti, „ aurem superbissimam, olfactum maxime voluptuosum, gustum fastidiosissimum, maximeque inconstantem, tactum profundissimum, „ maximeque philosophum. Jucunda, meo quidem judicio, quinque hominum societas esset, „ quorum quisque unico tantum sensu præditus esset. Minime dubito, quin hi se invicem „ stolidos putarent; qua autem ratione, tu videris. Hoc tamen in hominibus passim accidit: unico sensu gaudemus, & de omni re „ volumus judicare. “

Sensus unicus optime judicare potest, modo ejus judicia sphæræ suæ limites non excedant; Auctor vero citatus quin solitarii sensus judicia infirmet, quæ de objectis sibi convenientibus ferat, ejus vim, auctoritatemque satis probat *altera de eadem re littera*, qua de ridicula ea, quam fingit, societate agens, notat, „ quot „ plures peculiares notiones sensus aliquis haberet, eo apud alios magis ridiculum videri „ debuisse: maxime inter eos ridiculum omnium, sapientissimum sibi visum iri: sensui non „ nisi in iis, quæ melius nosset, contradictum „ iri: fere semper quatuor uni adversaturos; „ quod sane multitudinis judicia quanti facienda sint satis indicat. “

SEXTI SENSUS IDEA CONFUSA.

14. OBSERVATIO. *Sextus sensus*, seu sextus modus, quo ab objectis sensibilibus afficeremur novo sane aspectu naturam materialem nobis ostenderet; quæ tunc sentiremus, nobis utique semper erunt ignota; nihil tamen vetat, quominus de iis aliqua speculando conijciamus.

I. *Sexti* hujus *sensus* neque ideam habemus, ne-

neque ullam effingere valemus; ut enim eum mente conciperemus, organo nos instructos esse oporteret, in quo ille situs esset: porro hoc ipso organo caremus.

Non tamen hinc consequitur, sextum hunc sensum in se repugnare; idem de septimo, & octavo dicas; quod enim res non sit, jus nobis non tribuit deducendi, eam in entibus alioquin nobis similibus esse nequire.

Cæcus, aut surdus a nativitate nullam de sono, de coloribus, neque de muneribus organorum visus, aut auditus sibi ideam effingere possunt; atque hoc prorsus, propterea quia uterque eo organo caret, quod unice hanc ideam posset impertiri; anne hinc jure inferent, alter, organum visus repugnare, alter, organum auditus fabulosum quid, & absurdum esse? aut homines dari non posse, in quibus præter quatuor sibi notos, *quintus sensus* sit sibi ignotus? Neque nos sane majori jure negaremus, in Jove, aut Saturno entia esse intelligentia, ac sensibilia, quæ sexto, imo septimo, & octavo sensu prædita sint, quorum nos ideam ullam nec habemus, nec habere possumus.

II. Novus sensus, quem acquireremus, nos profecto summa admiratione, ac stupore afficeret; si præsertim temporis momento in nobis enasceretur, atque ea ætate, qua matura, firmaque ratione polleremus; tunc enim anima novo aspectu, novoque existendi modo naturam materialem intueretur, quem nec antea noveramus, nec esse quidem suspicabamur.

Homo duobus tantum sensibus, olfactu, & auditu instructus, si quando his materialem naturam existere cognovisset, non eam nisi ut odoram, & sonoram agnosceret, neque aliis perceptibilibus proprietatibus præditam suspicaretur. Alter quatuor instructus, olfactu scilicet, auditu, gustu, & tactu, materialem naturam ut coloratam nullatenus agnosceret, neque veram

ram unquam de luce, deque coloribus ideam sibi posset effingere.

Atque hoc ferme est, quod juveni cuidam superiori ætate in Anglia contigit. Densis in utroque oculo suffusionibus, quas cataractas vocant, natus, quibus omnis luci ad retinam aditus intercipiebatur, ad decimum tertium, aut quartum ætatis annum ita cæcus fuit: frustra illi boni, quo carebat, ideam, aut desiderium excitare studuerunt. Tandem illum legendi, & scribendi spe, quas scilicet ideas vellet semper in promptu habendi, eo adduxerunt, ut sibi cataractas tolli sineret: illi primum ab uno tantum oculo cataracta remota fuit.

Post dies aliquot a cataracta depulsa summo stupore videre cœpit: at omnia in se tantum vidit. Remotus mons, objectumque propinquum æque in ejus oculo erant; neque nisi post diuturnam experientiam, atque animadversionem, res extra se, distantia, & magnitudine diversas, ut nos videmus, videre didicit.

III. Finge, Auctorem naturæ nos modo sexto sensu donare: novum hoc organum novam nobis naturę faciem ostendens non propterea *novam* nobis *naturam* patefaceret; neque enim novum hoc organum, qualecumque illud esset, veras proprietates, quę modo in rebus existentibus percipiuntur, quęque quinque sensuum, seu organorum, de quibus sermo, objecta sunt, destrueret. At in jam cognita natura nova spectacula, novas proprietates, novos existendi, & agendi modos nulli sensuum quinque, quos habemus, obnoxios, novo hoc sensu percipere, ac detegere possemus; atque hęc sexti hujus sensus, quo caremus, objectum esse possent.

Possemus, exempli causa, *sexto* hoc *sensu* in materiali natura substantiam, a qua phœnomena magnetica eveniunt, dignoscere, atque sentire eo ferme pacto, quo oculis substantiam colorum phœnomena producentem agnoscimus, at-

atque sentimus; At vero sextum hoc organum dum nobis novas notiones, novasque ideas, & origine primitivas daret de materiali natura jam nobis nota; non propterea eas ideas, notionesque ullatenus destrueret, quas antea de eodem objecto nobis tribuerunt, & imposterum continenter tribuere pergent organa, quibus instructi sumus.

Britannus ille, de quo supra sermo fuit, ad decimum quartum ętatis annum primum oculorum usum consecutus, non propterea novos odores, novos sapores, novos sonos, novam resistentiam in natura illi antea nota deprehendit. At vero in hac eadem natura antea cognita novo eo sensu, quem tunc adeptus erat, *novum existendi modum* reperit amplissimum illum quidem, gratissimumque, cujus neque ideam ullam ipse sibi effingere, neque aliorum industria illi indere potuerat; hęc enim idea, uti jam monuimus in eo recipi, aut oriri non poterat, nisi illius ipsius organi, quo carebat, ministerio.

CAPUT II.

RES EXTRA NOS VISÆ, ET COLLOCATÆ.

15. ITerum novus homo scenam ingreditur. Iis adnotatis, quæ ab unoquoque suorum sensuum obtinet, indicare pergimus, qua ratione *a suarum intimarum sensationum cognitione*, unde nulla cujusque sensus ope extrahi posset, ad rerum extra se sitarum cognitionem transire poterit, atque ab illo suo *Ego intelligens, atque sensibilis*, tandem emergere.

Antequam vero magnum hoc problema proponamus, atque solvamus, quod neque Lockius, neque Condilliacus, neque metaphysicorum alius quis-

quispiam nobis notus hactenus solvit (9); accurate limites, quibus circumscribi debet, eaque principia statuamus oportet, a quibus solutio deducenda.

16. EXPLICATIO. I. Suppono primum substantiæ intelligenti, atque sensibili novi hominis *facultatem* inesse *ideas recipiendi* sensuum ministerio, & *facultatem sibi ideas efformandi* animadversionis, seu, ut ajunt, reflexionis ope; neque detegi, aut explicari velle qua ratione, quove ineffabili artificio has ideas sensus transmittant, aut reflexio pariat.

I. Sensus experimentalis, de cujus certissimo testimonio suspicari nequeo, me monet, mihique testatur, me sensuum ministerio ideas, aut imagines rerum recipere: hinc *ideæ* meæ *primitivæ* rerum; testatur insuper, me ad harum idearum primitivarum normam alias ideas, sive rerum imagines mihi effingere, intima quadam facultate, qua polleo, meditandi, animadvertendi ad præexistentes ideas meas, eas considerandi, simul componendi, separandi, extendendi, simul comparandi, plures simul conjungendi, unam ab alia educendi, perspicuo veluti intuitu quid contineant, supponant, secum trahant videndi; atque ita porro: hinc *ideæ meæ factitiæ*.

II. At idem experimentalis sensus monet, atque testatur, quavis animi contentione, qua aut primitivas ideas sensibus acquisitas, aut factitias animadversione comparatas considerem, neque percipere me, aut sentire posse qua ratione primas recipiam, alteras efficiam.

Lockius, Alambertius, Condilliacus universas cognitiones aut a sensibus, aut ab animadversione in nobis oriri supponentes, de modo quo illę aut a sensibus transmittuntur, aut ab animadversione procreantur ne minimum quidem cogitarunt: profecto quia hoc assequi omnino ἀδυνατον esse optimo jure censuerunt.

17. EX-

17. EXPLICATIO II. Suppono jam novum hominem omni omnino motus, suarumque legum idea carentem *corpus suum movendi* facultatem habere sive ut causam efficientem, sive ut occasionalem; in eoque, ut in nobis, brutisque, facultatem hanc ad actum transire quum id voluntas, aut necessitas postulat, quin sciat qua ratione, quove physico machinamento ista fiant.

In variis humani corporis motibus nonnulli involutarii sunt, qui minime a sensibilis, & intelligentis substantię voluntate pendentes subito fiunt; cujusmodi sunt cordis pulsatio, sanguinis circulatio, pulmonum, stomachi, intestinorum actiones; alii voluntarii sunt, a substantia scilicet intelligente, & sensibili plane pendentes, seu quos ipsa ad nutum oriri, aut cessare facit: hujusmodi sunt ii omnes, quos *motus liberos* appellamus.

Utrorumque causam physicam, & mechanicam ęque ignoramus; sive ii liberi sint, sive non sint; neque hac in re novus homo nobis sane doctior est.

Motus voluntarii, quibus se novus homo committit instinctu quodam naturę, quam nondum experientia erudiit, eo tendunt, ut sępius, & modo majori, modo minori impetu, quandoque capite, quandoque pedibus, manibusque, quę membra nondum esse novit, impingat sive in arborem, sive in rupem, aliquando in parietis angulum, aut tauri cornua, aut in spinosum cespitem, aut in alia solida, & resistentia corpora; quę existere prorsus adhuc ignorat. Hinc in illo plurimę successivę *doloris sensationes*, quę dolore ipso illum instruunt, atque erudiunt.

18. EXPLICATIO III. Suppono quoque horum motuum, quos voluntarios dicimus, in novo homine, ut in nobis, causam, aut occasionem esse quoddam *internum incommodum*, quod iden-

identidem sentit substantia intelligens, ac sensibilis, & quo ad mutationem invitatur, sive determinatur (1095).

Hoc internum incommodum, pręcipua hęc scilicet actionum nostrarum causa, sive eę voluntarię sint, ac liberę, sive necessarię, intensitate est infinite varia: Sępius ab exigua vi modo lentis, ac pene insensibilibus, modo rapidis, ac repentinis gradibus ad summam vehementiam effertur.

Incommodum hoc in suis primordiis imperceptibile primum crescit, roboraturque, donec distincte sentiatur: tunc vero *desiderium* excitat modo magis, modo minus ardens rei illius, a qua auferri debet.

Aliquando modo lente, modo repentino impetu ad tantam vim, ac vehementiam evehitur, ut desiderium, quod parit, fiat *effrenis passio*, quę nullis coercita retinaculis in objectum ruit, a quo excitatur; neque ulla humana ratione cohiberi potest, quin satisfieri, ac saturari nitatur.

19. EXPLICATIO IV. Suppono pręterea, novum hominem eas sensationes, easque *rerum imagines* habere, quas nos habemus: se, exempli causa, corpus suum videntem, caput, pectusque tractantem in sua substantia intelligente, atque sensibili horum objectorum visus, & tactus occasione ita intime affici, ut nos eosdem sensus eisdem objectis applicantes afficeremur; se de nocte serena cęlum aspectantem easdem impressiones, easdemque imagines adipisci, quas nos simili in casu adipisceremur; hoc tantum discrimine, nos nempe extra nos ipsos harum sensationum, atque imaginum objecta statuere, quum illi hę imagines, sensationesque adhuc objecto careant, neque aliud sint, quam sui diversi existendi modi. (8 & 17).

I. Quare in intellectuali imagine, quam sui corporis habet, dextera cum sinistra manu mini-

ma confusa est, neque caput cum pedibus; ceterum nullo pacto sui corporis imaginem haberet. Ita quoque in intellectuali imagine, quam habet, cęli, stella, quę ad orientem lucet, nequaquam cum ea, quę ad occasum lucet, confusa est, nec quę ad boream cum ea, quę ad austrum: ceterum nullo pacto firmamenti imaginem haberet.

Quoniam itaque hęc *objectorum separatio* habetur, & est in imagine materiali, quę in novi hominis retina picta est, ut in nostra, quare quoque non haberetur in *perceptione* intellectualis quam habet imaginis, ut reapse habetur in nostra intellectualis imaginis perceptione? Eadem organi structura *eosdem* in ipso, & in nobis *naturales sensationis, & imaginis effectus* prestare debet; licet fieri possit, sua, ac nostra de harum sensationum, atque imaginum natura judicia diversa esse.

II. Hic porro non inquirimus quidnam sit, aut qua ratione in anima nostra existat imago rei materialis, puta, ędificii prospectus. Existit hęc imago extensa, an secus? prorsus nescimus. (442.)

Quod autem experimentalis sensus testimonio apprime scimus, est, hanc imaginem percipi *punctis aliis extra alia sitis*; neque nos absque punctorum ita separatorum perceptione ullo pacto hanc imaginem percipere. Frontis ędificii, aut cujusvis alterius materialis rei, quam seligere libuerit, imago fortasse in anima esse potest, quin ita puncta ibi habeat alia extra alia sita; at ibi ab anima percipi nequit, nisi constans punctis aliis extra alia sitis.

20. EXPLICATIO V. Suppono tandem, novum hominem esse *attentionis, & reflexionis capacem*; cumque nimium sępius experientia deceptum, dum voluptatem quęrit in dolorem fere semper illapsum, (17) cito incipere se ipsum attente, atque accurate considerare, ut suos *diversos*

versos existendi modos rite dignoscat, quippe qui illi maximi momenti sunt, quum ab his omnem aut voluptatem, aut molestiam capiat.

I. Attentio hæc, atque ad se ipsum reflexio paulatim illum docebunt, inter suos diversos existendi modos alios esse, quos semper voluptas, alios, quos semper dolor, & molestia comitatur; puta, quum simul est color, & sapor sacchari (quandoquidem eum adhuc cum intimis sensationibus sese confundere supponimus) modum existendi esse illi gratum semper, atque jucundum; contra vero color, & resistentia prunę, hunc illi semper esse molestissimum, & non ferendum existendi modum.

II. Hac attentione, & ad se reflexione percipiet, & sentiet hos *diversos existendi modos*, quorum alii molesti, a sua dumtaxat voluntate minime pendere; neque se semper pro libito posse gratos, quosque cupit, sibi dare, neque molestos, quosque metuit, effugere; illi enim experimentali sensu constat, inanibus desideriis, conatibusque sępius se frustra niti, ut gratos sibi comparet, tum etiam, ut molestos evitet, aut deponat.

III. Hęc attentio, & ad se reflexio eo tandem illum adducent, ut primum suspicetur, subinde dignoscat, *aliquid* extra se, extra suum illud *Ego intelligens*, *& sensibilis*, esse oportere, a quo pendeant hi diversi existendi modi, sive qui voluptate iucundi, sive qui dolore molesti, tum quos resistentiam vocat, quique a tactu sunt, tum quos odorem, saporem, sonum, colorem vocat, quique sunt ab aliis sensibus; puta, extra se aliquid esse oportere, a quo magna cum voluptate est color, figura, & sapor sacchari, & sine quo ita nequit esse: tum aliud quippiam, a quo magno cum dolore est color, figura, resistentia prunę, & sine quo ita non esset.

IV. Hinc *suspicionis* idea: hinc *relatio suarum*

sensationum ad aliquid, quod eas in se excitet, detecta. Hinc principium, & fundamentum, cui insistere pergit, ut a suarum intimarum perceptionum finibus egrediatur, a quibus hactenus minime sese distinxerat. Hinc *punctum communicationis*, quo communicationem, atque commercium cum exteriori natura inire incipit, in eaque res videre, ut & nos videmus.

21. NOTA. Infans recens natus nobis universę, quam hactenus tradidimus, theorię speciem oculis subjicere videtur.

I. Duodecimo, aut decimo quinto post natum infantem die ejus oculo bene formato, apertoque diversa facie, varioque motu quidpiam lucens, & curiositatem excitans admove: ejus oculus immobilis hęret, neque objecti motus sequitur; puto, quia illi nondum hoc objectum quid est, quod extra se ipse censeat, aut sentiat.

II. Mensem unum, aut plusculum infanti nato hęc eadem repete: ejus oculus, manusque ad objectum sibi jucundum dirigentur, ejusque motus sequentur: certe quia naturalis ille instinctus, qui ipsi inest, quique primum rationis exercitium, seu prima operatio est, illum docuit jam aliquid pręter intimas suas perceptiones dignoscere; atque sentire, illas ad externas res, a quibus oriantur necessario referri: demum extra se causas, & objecta statuere.

22. PROBLEMA. *Qua ratione in novo homine substantia intelligens, atque sensibilis a suarum intimarum perceptionum cognitione ad externorum objectorum, a quibus excitantur, cognitionem transeat, explicare.*

SOLUTIO. Ad magnum hoc problema solvendum satis erit ostendere, qua ratione, quove gradu novi hominis intelligens, sensibilisque substantia ad diversas intimas perceptiones suas, quibus successive afficitur, quasque pro diversis suis existendi modis adhuc habet, animadvertens,

tens, possit debeatque natura suspicari primum, mox & dignoscere, aliquid, quod ipsa non sit, necessario illud esse debere, quod in se has diversas perceptiones excitat. En itaque quo pacto natura possit, ac debeat *magna ista cognitio* obtineri, ad quam comparandam præcipue adjumento erunt & organum visus imagines, atque figuras continenter objiciens, (8. & 19) & organum tactus ferme infinitas resistentiæ perceptiones sufficiens. Ad autumni finem quum dies adhuc satis tepentes sunt, noctesque jam frigidiores fiunt, novum hominem aut in vireto, aut in aperto prato statuo, unde late visus protendi potest: hic eum plerisque diebus, noctibusque solum relinquo, invisens tantum identidem, ut quæ vitæ necessaria sunt illi afferam. Quid inde eveniet?

I. Sedens ille, aut per herbas vagus solem cum voluptate sentiet, quo illustratur, & calefit. Magna cum jucunditate dulci malo, aut sapido piro, quod illi porrigam, os admovebit; uti & infans recens natus solo instinctu duce nutricis mammis os admovet: perceptiones gratas habebit: beatus erit.

Nox advenit tenebras, humiditatem, frigus, & gelu portans. Ille gelu tremens, ac dolens horis duodecim, seu quindecim satis abunde habet otii, quo hunc suum existendi modum cum præcedente conferat. Hunc horret, ac detestatur, nec ipsum mutare potest; alterum cupit, invocat, amissum dolet, nec sibi comparare valet. Beatus erat quum solis perceptio, & imago erat, quum dulcis mali, aut sapidi piri perceptio, & imago erat; miser est, postquam tenebricosi cæli, ac humentis, gelidæque herbæ perceptio effectus est.

Ad ea, quæ patitur animadvertere coactus a se quæret quare perceptiones, aut existendi modos, quos appetit, non habeat; quare contra illos habeat, quos habere omnino nollet,

tunc vero ſuſpicari incipiet, perceptiones haſce diverſos hoſce exiſtendi modos, quos pro ſua voluntate non obtinet, & quibus modo beatus eſt, modo miſer, in ſe ſucceſſive ab aliquo produci poſſe, quod ipſe non eſſet. Suſpicionem hanc brevi ipſe in certitudinem mutabit.

II. Triſtibus tenebris, ingrato frigori, rigidoque noctis jejunio tandem nitens aurora, ſerena dies, gratus calor, ſapidique fructus, quos illi affero, ſuccedent; novus homo ſumma animi jucunditate is redit, qui fuit heri. Dies hic illi omnino fauſtus fuiſſet, niſi deteſtabile ſpinetum, in quo manum lacerat, domuſque angulus, in quem fronte impegit (17) infauſtum reddidiſſent. Spineti, quo manum læſit, angulique, quo frontem, imagines animæ ſuæ alte impreſſæ ſunt: his vero imaginibus, quas fortaſſe adhuc pro duobus ſuis exiſtendi modis habet, doloris, atque averſionis ſenſationem applicat.

Nox tenebricoſa jam redit; eique eaſdem incommodi, & moleſtiæ perceptiones adducens, quas ſuperiori nocte conceperat, ad eaſdem pariter eum trahit obſervationes, atque animadverſiones; atque hinc ad eaſdem ſuſpiciones, quas ſupra jam indicavimus: perceptiones ſcilicet, quibus gaudet, eaſque, quibus dolet, poſſe in ſe ab aliquo fieri, quod ipſe non eſſet, ab aliquo, quod impreſſionibus, quas in ſe ſentit, ſimile eſſet.

III. Noctis tædio, & incommodis iterum in novo homine diei lætitia, voluptaſque ſuccedunt: novæque obſervationes primam ſuſpicionem roborant, atque confirmant. Hodie, exempli cauſa, videt orgia vindemiantium; novumque hoc ſpectaculum ſibi pergratum, ac perjucundum, quodque diuturnum vellet, atque perpetuum, eo invito cito ceſſat. Videt pariter, quod nondum viderat, cælum pleriſque nubecularum globis diſtinctum, in quibus elegantiſ-

ſimi

ſimi colores enitent; hic vero jucundiſſimus cæli proſpectus, en illico ipſo invito, & ægre ferente, in obſcuritatem mutatur, quæ nimium ſibi inviſam, ingratamque noctem jam referre videtur.

Hinc iterum in eo ſuſpicio, imo jam perſuaſio, ſuos diverſos exiſtendi modos extra ſe cauſam, & originem habere; idque, quod in ſe has diverſas perceptiones efficit, eſſe, & eſſe debere extra ſe aliquid, quod veram ſimilitudinem, veramque analogiam habeat peculiari illi perceptionis ſpeciei, quam in ſe excitat. Puta, ſuſpicabitur primum, mox judicabit, id, quod *lucis, & caloris perceptionem* interdiu in ſe efficit, aliquid eſſe ſimile imagini, quam habet, ſolis (19): quod noctu *perceptionem frigoris*, eſſe aliquid ſimile imagini roris, pruinæ; atque ita porro.

IV. Dum temere graditur, atque vagatur novus homo (17) in domus angulum fronte impingit; & doloris ſenſatio hinc orta illum monet, docetque, ſimilem ſe jam antea ſenſationem expertum eſſe, quam eadem imago, ac reſiſtentia comitabatur: manibus alibi acutiſſimas ſpinas tractat, quæ punctionis ſenſationem pariunt; meminit tunc, ſimilem ſenſationem, imagine, & reſiſtentia omnino ſimili comitatam, illi jam antea acrem dolorem attuliſſe.

Hinc in eo iterum ſufficiens ratio, qua ſibi perſuadeat, extra ſe, extra illud ſuum ego intelligens, & ſenſibilis, aliquid eſſe imagini ſpineti ſimile, quod punctionis ſenſationem pariat; aliquid angularis parietis imagini ſimile, a quo contuſionis ſenſatio fiat; ita de reliquis.

Suas perceptiones augens, ac animadverſiones iterans novus homo magis magiſque in ſuſpicione firmabitur, quaſcumque ſenſationes ſuas in ſe fieri *ab aliquo, quod ipſe non eſt*, quodque illas in ſe efficit. Neque ad hoc admodum accurata, ac profunda philoſophia indigebit: ſatis

enim erit ea, quam infanti menſem unum, aut duos nato ſimplex naturalis inſtinctus impertitur. (21.)

V. Hac tam obvia cognitione *relationis realis* inter varias, quas experitur, ſenſationes, & externa objecta eas in ſe excitantia, facile novus homo in corporis, quod habet, & aliorum corporum, quibus circumſepitur cognitionem veniet: tum ad eorum motum, quietem, propinquitatem, diſtantiam, reſpectivam magnitudinem, aut parvitatem, aliaque hujuſmodi dignoſcenda progredietur: quæ modo exponere aggredimur.

Fruſtra dices, ad hanc ſimpliciſſimam, maximeque philoſophicam hypotheſim informandam, novum hominem æque Dei, ac diverſorum corporum actioni ſenſationes, quas habet, tribuere poſſe. Futilis ſane hæc, ineptaque cavillatio eſt. In his enim vitæ primordiis, aut ſatis explicitam Dei non habet ideam, aut ſi vere explicitam habet, in hac ipſa idea dignoſcet, Deum neque circulatoris, neque deceptoris perſonam agere poſſe; ut alibi demonſtrabimus. (497, & 502.)

23. EXPLICATIO I. Ignorans adhuc novus homo, extra ſe, extra nempe illud ſuum ego intelligens, atque ſenſibilis, corpus eſſe, quod ad ſe pertineat, & cum quo unum Totum efficiat, notat ipſe, ſe aſſidue, & conſtanter *perceptiones figuræ, & reſiſtentiæ* habere, quæ illi exhibent, ac referunt brachia, crura, caput, thoracem, pedes, manus: brevi, humanum corpus; haſce diverſas perceptiones in ſe perſeverare, quod aliæ figuræ, & reſiſtentiæ perceptiones non præſtiterunt, cujuſmodi fuere illæ ſolis, cæli, vindemiatorum, ſpineti, anguli parietis, aliæque innumeræ hujuſmodi.

Notabit præterea, manu una, puta, caput ſuum, altera meum tangens, duas haſce ſenſationes in ſe diverſas eſſe: caput enim ſuum tan-

tangens duplicem sensationem habet, a capite unam, a manu alteram; meum vero tengens simplicem a manu sua tantum habet.

Ab his notatis facile inferet harum sensationum in se perseverantium, maximeque sibi opportunarum causam, & objectum, res esse sibi continenter adhærentes, quæque a se neque recedunt, neque unquam sejunguntur, quæ secum intimum respectum habent, quæ sibi propriæ sunt, ac sui ipsius partem constituunt; hinc in ipso *proprii corporis idea*.

24. EXPLICATIO II. Non secus novus homo, ignarus adhuc extra se res esse, quæ neque ipse sint, neque corpus, quod jam sui partem esse censet, notat ipse, modo se experiri, modo non, sensationes quasdám coloris, seu figuræ, seu soni, seu saporis, sive odoris, sive resistentiæ, harum alias a sole, a quo illustratur, alias a vireto, in quo vagatur, sive a floribus nares mulcentibus, a pomis, quibus alitur, atque nutritur, a plerisque variis volatilibus, ac quadrupedibus, quorum aspectu maxime recreatur.

Notat præterea sensationes hasce multo minus a suo arbitrio pendere, quam quas a corpore proprio habet, quodque sui pars est; quocumque enim modo pergat, quocumque modo sistat, sibi semper sui capitis, pectoris, cruris sensationem efficere potest; at non ita solis illustrantis, pomi nutrientis, floris suave olentis, lusciniæ dulciter canentis, nubis coloribus pulcherrimis distinctæ sensationes sibi pro libito præbere potest.

Ab his observationibus facile colliget, inter ea, quæ sibi sensationes pariunt sive odoris, sive saporis, sive soni, sive coloris, sive resistentiæ, plura esse, quæ sibi non adhærent, quæ ad se neutiquam pertinent, quæ omnino suo illi *Ego intelligens, & sensibilis*, suo alteri *Ego figura, & resistentia donatus*, externa sunt.

 Hinc

Hinc in ipso *idea diversorum corporum externorum*.

25. EXPLICATIO III. Nulla fortasse hactenus notione motus corporum imbutus novus homo, sive transitus ab uno ad aliud spatii punctum, per corpus, quod modo suum esse scit, quodque ipsi magis ceteris curæ est; manum ducens, notabit, judicabitque, continua figuræ, ac resistentiæ sensatione id suadente, manum suam successive a fronte sua ad mentum, a mento ad pectus, a dextera papilla ad sinistram transire; atque manus suæ in fronte existentiam, non jam manus in pectore existentiam esse. Hinc in ipso *motus corporum idea*.

26. EXPLICATIO IV. Experientia tandem, & animadversione eruditus, corpus existere figura, & resistentia donatum, sibi perpetuo adhærens, suique ipsius partem; existere præterea corpora alia innumera figura, ac resistentia donata, sibi neutiquam adhærentia, ac prorsus extranea, in quæ tamen magno suo incommodo, experientia, & cognitione deficiente, nimium sæpius impingit, novus homo necessitate, voluptatis lenocinio, & doloris metu ductus corporum circum ambientium respectu sui positionem dignoscere nititur.

Notat, exempli causa, ad cerasum attingendam, cujus distinctissimam imaginem habet, quamque arborem in suo oculo esse putabat, sex passibus procedendum esse; ad attingendam pomum, cujus quoque imaginem nitidissimam habet, & in oculo item sitam putabat, duodecim passibus progrediendum. Hinc in ipso *idea distantiarum relativarum*.

27. EXPLICATIO V. Novus homo coram se, & sub eodem angulo optico arbusculam videt quinque pedes altam, grandiorem aliam altam triginta; atque ambas æque altas judicat.

Ad utramque successive accedens corpus suum

æque

æque altum, ac arbusculam deprehendit; sui vero corporis altitudinem exiguam proceræ arboris partem tantum æquare. Hinc in ipso *idea magnitudinum relativarum*.

28. EXPLICATIO VI. Novus homo arbusculam primum videns, nondum in ea partem summam, infimam, dexteram, aut sinistram distinguit; neque enim arborem hanc, nisi ex imagine in oculo picta, dignoscit; atque hæc imago, quam ceterum ipse existere ignorat, & in qua omnia inversa sunt, eum ante tactus experimentum erudire nequiret, quænam arboris pars capiti, quænam pedibus, quænam dexteræ, quænam sinistræ manui respondeat. (*Phys.* 910.)

At ad arbusculam accedens, & eam tactu duce propius considerans, partem capiti suo respondentem, in ejus idea, quam sibi efformabit, superius, pedibus inferius, dexteræ dexterius, sinistræ sinisterius respondentem collocabit. Ita arboris imago in oculo inversa, in idea, & in judicio, quod tactu duce efformat, erigetur, & arbor sua naturali positione ab ipso videbitur. Hinc in illo *positionum relativarum idea*.

29. EXPLICATIO VII. Diversos sensus suos successive applicans novus homo diversis iis objectis, quorum facile possit experimentum facere, noscet ipse absynthium illi semper amatoris sensationem efficere, saccharum dulcoris, ignem caloris, nivem frigoris, purpuram rubricoloris, prata viridis, odorum corpus talem odoris sensationem, sonorum corpus in insensilibus suis partibus tremens talem soni sensationem, fluidum talem fluiditatis sensationem, durum talem resistentiæ, & impenetrabilitatis; atque ita de reliquis.

Hisce perceptis constantibus, & uniformibus sensationibus novus homo seductione ferme irresistibili, a qua illum profundissimæ philosophicæ cognitiones tantum tueri possent, facile ar-

bitrabitur, *diversis corporum speciebus inesse quidpiam iis diversis sensationibus simile, quas ab his habet*; seu quidpiam, cujus diversæ hæ sensationes imago sint, & exemplum. Exempli causa, putabit; igni verum calorem inesse, cujus sua sensatio imago sit; nivi verum frigus, quod sensatio repræsentet; atque ita porro. Hinc in ipso *idea diversarum qualitatum sensibilium*, quas diversis corporum speciebus tribuit.

30. EXPLICATIO VIII. Novus homo primum censuerat, *sensibiles corporum qualitates* nihil esse, nisi diversas substantiæ suæ intelligentis, atque sensibilis modificationes (5 & 9.). Modo censet, diversas modificationes, quas sentit in sua intelligente, sensibilique substantia, qualitates re ipsa, & intrinsece iis corporibus inhærentes esse, quæ in se illas efficiunt.

Censuerat, exempli causa, quidquid dulcedinis senserat sacchari frustum gustans, non nisi animæ suæ modificationem esse; quidquid rubri senserat purpureum pallium aspiciens, nil esse pariter nisi aliam animæ suæ modificationem; quidquid caloris, aut frigoris senserat prunam, aut glaciem tractans, nihil esse præter duas animæ suæ sensationes; atque in hoc recte censuerat.

At modo censet, dulcedinem in sacchraro, rubrum in purpura, frigus in glacie, calorem in accenso titione, quod ipsum de ceteris dicas, censet, inquam, aliquid esse simile diversis peculiaribus sensationibus, quas inde capit; atque in hoc falso judicat; & accuratissimis philosophicis animadversionibus indigebit, ut ad pristinum judicium redeat.

Atque hic ordo, nexusque perceptionum, observationum, judiciorum ferme erit, quibus novus homo successive, & paulatim ad evadendos suarum intimarum perceptionum fines perveniet; his facem ferentibus *realem relationem* inter per-

perceptiones hasce, & externa objecta, a quibus efficiuntur deteget; materialem naturam, ferme uti nos eam videmus, & ipse videbit, atque uti nos, de rebus judicium feret (21).

CAPUT III.

DISTINCTIONES, ET ABSTRACTIONES PHILOSOPHICÆ.

Comperit jam novus homo, ferme infinitum extra se existere diversarum substantiarum numerum; earum tamen non nisi confusas habet ideas. Pergit modo earum claras magis, distinctasque ideas sibi comparare.

DISTINCTIO, DIFFERENTIA, IDENTITAS.

31. NOTA. Universa philosophia in distinctione, differentia, identitate rerum bene arripiendis continetur; quare maximi momenti est objectorum tribus hisce philosophicis vocibus indicatorum ab initio claram omnino, distinctamque ideam sibi efformare.

I. Duo *unum ab alio distincta* dicuntur, quando unum non est aliud; quando unius existentia, alterius existentia non est, sive ea natura similia, sive dissimilia sint.

Exempli causa, *vera distinctio* intercedit inter duo poma prorsus similia, inter pomum, & saxum, inter meam hesternam, & hodiernam solis ideam.

II. Duo *unum ab alio differentia* sunt, quum unius natura non est alterius natura, nec præterea naturæ hæ duæ sunt inter se similes.

Exempli causa, *vera differentia* inest taurum inter, & arietem, malum inter, & cancrum, ideam inter, & judicium; at vera differentia

non

non est inter duas aquæ guttas omni ex parte similes. Differentia semper distinctionem, at vero non semper distinctio differentiam includit.

III. Duo *inter se* sunt *identificata*, quum natura unius est alterius natura, & unius existentia alterius est existentia. Identitas est distinctioni contraria.

Duæ ideæ, duæ sensationes, seu duo judicia *eandem*, *atque unicam rem* objectum habere possunt, eodem, sive diverso modo consideratum. Exempli gratia, solem heri vidi, solem eundem hodie video: vera est identitas inter harum binarum sensationum, sive idearum objecta. Pari ratione in intellectu actu habeo ideam Entis infinite perfecti, & ideam Entis increati, & creantis: vera est identitas inter binarum harum idearum objecta.

32. NOTA. In novo homine, ut in nobis, plures ideæ, seu sensationes, quarum una non sit alia, objectum habere possunt aut rem eandem, aut res similes, aut differentes. Hinc aut identitas, aut distinctio, aut differentia inter harum idearum, seu sensationum objectum. Exempli causa.

I. Unum, atque unicum malum Assyrium homini novo offeratur. Idem hoc, & unicum malum in ipso afficiet figura, & colore organum visus, odore olfactus organum, resistentia tactus, sapore gustus, exiguo strepitu, quem corticem, & pulpam discerpendo edes, auditus organum.

En itaque in ipso diversas sensationes quinque, quæ omnes idem unicum assyrium malum, idem nempe objectum respiciunt. Harum quinque diversarum sensationum objectum re ipsa idem est: atque hic inter visus, & tactus objectum, inter tactus, & gustus objectum, inter gustus, & olfactus, vel auditus objectum veram esse identitatem dici potest.

III.

III. Tria, vel quatuor aſſyria mala omni ex parte ſimilia, ſeu quæ minime dignoſcendas diverſitates habeant, novi hominis oculis obijciantur. En jam in illo tres, quatuorve ſenſationes omnino ſimiles, quarum objecta nullam veram identitatem habent, quæque inter ſe diſtincta ſunt, quin differentia ſint. Non idem eſt harum trium, quatuorve ſive ſenſationum, ſive idearum objectum; & inter unius, atque alterius cujuſvis objectum *veram diſtinctionem* intercedere dici poteſt; neque enim malum A eſt malum B; quantumvis perfecta inter utrumque ſimilitudo ſopponatur.

III. Malum, uvæ racemus, nummus aureus, paſſer canarius oculis pariter novi hominis obijciantur. En in illo ſenſationes, ſive ideas objecta reſpicientes, quarum natura nec eadem eſt nec ſimilis. Harum quatuor ſenſationum objectum re ipſa diverſum eſt; atque hic dici poteſt, non modo veram diſtinctionem, at *veram* quoque *differentiam* haberi inter harum ſenſationum, ſive idearum objecta; neque enim paſſeris natura, exempli gratia, mali, aut nummi, aut uvæ naturæ ſimilis eſt.

ABSTRACTIO METAPHYSICA.

33. OBSERVATIO. Prima novi hominis cura, quum ſe objectis obſitum viderit voluptati, aut moleſtiæ creandæ idoneis, profecto erit entia hæc in manipulos veluti colligere, atque in plures claſſes partiri; atque hoc, ut animadverſio ad aliquam horum manipulorum, ſeu harum claſſium partem illi uno intuitu oſtendat quid boni ſperandum, quidve mali ab omni eo, quo talis manipulus, ſeu claſſis conſtat, ſibi metuendum ſit. Hinc in ipſo *idea generum*, & *ſpecierum*.

34. EXPLICATIO I. Novus homo genericis rerum ideis a principio caret, ideis nempe, quę ori-

gi-

gine, & per se-ipsæ veluti universalia exemplaria sint, genera, & species referentia: at ipsi hasce ideas, seu hæc exemplaria admittendi, aut sibi efformandi *naturalis facultas* inest.

I. Ipsi, ut nobis, primæ rerum ideæ totidem *ideæ particulares* sunt; atque hæc quo ad sensibilia sunt tantum eorum imagines, quas diversorum sensuum ministerio sibi comparat.

II. Ipsi, ut & nobis, particularis rei materialis cujuscunque idea, quum actu res hæc suos sensus afficit, est *plurium qualitatum sensibilium collectio*, quæ simul occurrunt. Exempli gratia, idea particularis hujus mali assyrii est color, figura, sapor, odor, soliditas, pondus, quo ab alia re quacumque distinguitur. Idea particularis hujus nummi aurei, vel argentei est color, figura, gravitas specifica, impressio, notæ denique omnes, quibus a re quapiam alia distinguitur, quasque intellectus arripit, & refert; atque ita de ceteris (29, & 30).

35. EXPLICATIO. II. Ut particularis idea in novo homine fiat *generalis* idea, quid opus erit? Id unice, ut postquam sensuum suorum auxilio peculiarem objecti alicujus sensibilis ideam bene conceperit, hujus fidele vestigium, tamquam *primitivum exemplar* memoria, aut imaginatione teneat, & huic objecto sensus applicare desinat. Imago hæc perseverans, hoc fidele vestigium, primitivum hoc exemplar a re ipsa, quam refert, menti impressum, atque insculptum congruet æque & objecto, a quo effectum fuit, & objecto cuilibet isti simile. Erit ergo hæc imago, sive idea generalis.

I. Novo homini, exempli causa, assyrium malum trado, cujus nondum ullam habebat ideam. Hoc ille intuetur, tractat, omnium sensuum ministerio illius accuratissimam particularem ideam sibi efformat. Hæc *particularis idea* intellectui imprimitur, & alte infixa manet,

net, ibique est primitivum exemplar mali, quod ejus causa fuit, & objectum.

II. Malum hoc tollo, inscio novo homine, & aliud huic omnino simile sufficio. Is idem ipsum malum videre, olfacere, tractare putat; hoc enim cum primitivo exemplare confert a primo malo menti insculpto, illique hoc alterum malum invenit prorsus congruere.

Hoc primitivum exemplar, in quo brevi *Abstractionem metaphysicam* ostendemus, uti primo malo, ita tertio, centesimo, millesimo, omnibus, quæ haberi possint, malis congruit; omnia ad illud exemplar efformata videntur, etsi ipsum potius ab uno malo, aut ab aliquibus tantum effectum fuerit.

III. Eodem pacto quamcumque sensibilis objecti *particularem ideam* generalem reddere possumus; veluti hujus tauri, hujus passeris, hujus cerasi, hujus caryophylli, hujus nummi; atque ita de ceteris.

Exempli causa, omni attentione Rhinocerotem, sive Pardum, cujus nunquam antea exactam ideam habueras, intuere, & considera. Omnium sensibilium qualitatum congeries, quas in ipso collectas detexeris, tibi ideam ejus particularem efficiet. Oculos claude: in memoria, aut in phantasia, aut tantum in intellectu tibi remanebit *primitivum exemplar*, ad quod omnes sive Rhinocerotes, sive Pardi, qui haberi possint, efformati videbuntur. Hoc *primitivum exemplar* est abstractio metaphysica speciei Rhinocerotum, sive Pardorum, uti brevi explicabimus.

36. NOTA. Frustra dixeris, in materiali, & sensibili natura *duo individua perfecte similia* nusquam dari; propterea nunquam intellectum posse sibi efficere sensuum ministerio primitivum exemplar, quod pluribus individuis simile sit, eaque repræsentet; puta, plura mala, plures passeres; cetera.

Ina-

Inanis objectio. Siquidem perſpicuum eſt, exiguas quarumdam rerum, quas ſimiles dicimus, individuas diverſitates, aut minime imprimi, aut minime permanere in intellectu poſſe: hoc autem ſatis eſt, ut adhuc id, de quo ſermo, ſit primitivum, & commune exemplar. Si forte duo individua ſimilia, puta, duo leones, quos propius inſpicis, & conſideras, tibi ſatis perſpicuas diverſitates exhibent, ut eas adnotes, & menti committas; eos aliquanto procul adſpicito, & parvæ iſtæ diverſitates prorſus evaneſcent.

Ceterum intellectus non niſi præcipua rerum materialium, & ſenſibilium, quarum imagines recipit, lineamenta ſervat; exiguæ quædam varietates a memoria, aut phantaſia cito delentur, ſi primo leviter tantum impreſſæ fuerint; itaque primitivum exemplar, de quo ſermo, omni dubio procul haberi poteſt, quin imo quiſque in ſe ipſo illud re vera exiſtere facile ſentiet.

37. EXPLICATIO III. Primitivum exemplar, quod pluribus ſimilibus individuis æque congruat, puta, pluribus aſſyriis malis, pluribus Rhinocerotibus, *eandem rerum ſpeciem* exprimit & repræſentat. Quare plura primitiva exemplaria diverſa, quorum unumquodque uni individuorum ſpeciei ſeorſim convenit, plures rerum ſpecies exprimen̄t, & repræſentabunt.

Exempli cauſa, novus homo poſtquam attente urſum, equum, tigrim propius inſpexerit, oculos claudat; illi in intellectu tria remanebunt primitiva exemplaria, in quibus diſtincte pictæ, & inſculptæ erunt tres diverſæ *qualitatum ſenſibilium collectiones*, quæ tres diverſas, urſi nempe, equi, tigris, ſpecies efficiunt.

Individua eidem primitivo exemplari ſimilia, uti urſi, *ejuſdem ſpeciei* ſunt; quæ vero uni, & quæ non huic, ſed alii primitivo exemplari ſimilia ſunt, uti urſi & equi, mala aſſyria

ria & olivæ, nummus aureus & argenteus, *specie diversa* sunt.

38. EXPLICATIO IV. Primitivum exemplar pluribus diversis speciebus æque conveniens, puta, malis assyriis, cerasis, tauris, leonibus, muribus, columbis, *genus*, nempe diversarum specierum numerum quemdam, exprimit, ac repræsentat.

Exemplum sit. Novus homo non prope, & distincte, at procul tantum, & confuse ursum, tigrim, equum, de quibus agimus, ita videat, ut ex idea, quam acquiret, tantum colligat, tria hæc objecta entia esse viva, voluptatis & doloris capacia, & progrediendi facultate prædita: postquam tria hæc bruta ex ejus conspectu abierint, adhuc illi in intellectu remanebit *primitivum exemplar genericum*, in quo *collectio proprietatum tribus hisce speciebus diversis communium* impressa, & insculpta erit.

Primitivum hoc exemplar, respectu trium harum animalium specierum, genus est: cuique seorsim æque convenit, easque invicem confundit: dici enim de unoquoque harum specierum individuo potest, id totum esse, quod a primitivo generico exemplari exprimitur, & repræsentatur; illud nempe esse ens vivens, voluptatis & doloris capax, & progrediendi præditum facultate.

II. Si vero primitivum hoc exemplar genericum ita objectum late, & confuse exhibeat, ut in eo nil nisi *vitam*, & *sensum* referat, nulla ex iis peculiaribus proprietatibus expressa, quibus una animalium species ab alia secernitur; hoc genus erit, non tantum ratione trium specierum animalium, quæ modo attenduntur, verum ratione quoque omnium quarumcumque regni animalis specierum; in hoc enim primitivo exemplari ita late generico, non nisi *collectio proprietatum quibuscumque animalium speciebus communium* exprimetur; nempe vitalis, & sensiti-

ſitiva proprietas; quæ ambæ æque lumbrico, ac elephanti, æque tineæ, & teredini, ac aquilæ & cete conveniunt. (34).

39. EXPLICATIO V. Primitivum exemplar genericum æque ſpecierum vegetabilium, ac animalium obtineri poteſt.

I. Exemplum ſit. Novus homo ceraſum, pomum, nucem ita procul videat, ut præcipuas proprietates, quibus tres hæ vegetabilium ſpecies invicem diſtinguuntur, nullo pacto dignoſcat. Clauſis jam, aut alio converſis oculis, intellectui inſculptum remanebit *primitivum exemplar genericum*, in quo *collectio proprietatum tribus hiſce ſpeciebus communium* continebitur. Primitivum hoc exemplar, ratione ad tres has ſpecies habita, genus eſt; cuique enim æque convenit, eaſque inter ſe confundit.

II. Si vero primitivum hoc exemplar genericum ita in objecto ſuo vagum, atque confuſum ſit, ut in eo nil niſi *principium vegetationis* referat, quin ullam ex præcipuis iis proprietatibus exhibeat, quibus una vegetabilium ſpecies ab alia ſecernitur; illud, ratione habita ad omnes vegetabilium ſpecies, genus erit: tantum enim in hoc primitivo exemplari inſculpta, atque impreſſa erit *proprietas vegetabilibus quibuſcumque communis*; ea nempe, qua vegetatione efformantur, & vivunt.

40. COROLLARIUM. Ab iis, quæ præcedenti obſervatione explicavimus, atque ſtatuimus, conſequitur: *Abſtractionem metaphyſicam in generica idea conſiſtere, cujus objectum convenit aut pluribus individuis ſimilibus, quæ ſpeciem efficiunt, aut pluribus diverſis ſpeciebus, quæ genus evadunt.*

EXPLICATIO. Abſtractio metaphyſica, & in ſubjecto ſuo, quod noſtra intelligens, ſenſibiliſque ſubſtantia eſt, & in objecto ſuo, quod id eſt, quod repræſentat, conſiderari poteſt.

I. Abſtractio metaphyſica in ſubjecto ſuo conſide-

siderata, sive in nostro intellectu, est *idea plus, minusve generica*, quæ res plures per proprietates æque cuique communes, & modo, quo omnes simul confundit, repræsentat. Hic prospectus ille primitivus est magis, minusve dilatatus, de quo superiori observatione egimus.

II. Abstractio metaphysica in objecto suo considerata est *collectio objectiva proprietatum*, quæ ab idea magis minusve generica repræsentatur; quæque, ut ab hac generica idea repræsentatur, aut de pluribus individuis speciem constituentibus, aut de pluribus speciebus genus componentibus affirmari potest (190).

Abstractione metaphysica, aut idea genera efficiente, *natura individualis*, puta hujus hominis, veluti a se extrahitur, & veluti ab iis peculiaribus proprietatibus, quæ singularem naturam constituunt, separatur: hinc evadit *natura generica* quum in ea id dumtaxat spectetur, quod ceteris omnibus sibi similibus naturis commune habet. Idea genera efficiens id est, quod abstrahit, sive abstractionem facit: natura ad genus adducta id est, quod abstrahitur; atque hic proprie abstractionis metaphysicæ effectus est. (*a*)

41. NOTA. Abstractio metaphysica ita mente concepta, ac definita, mentis operatio est, & intellectus nostri, & rerum, & cognitionum nostrarum naturæ apprime conveniens: *intellectus nostri natura*; quum enim in indivi-
duc-

(a) *ETYMOLOGIA. Inde abstractionis nomen, quod est rem a se ipsa extrahere, seu separare; & abstractionis metaphysicæ, propterea quia hæc extractio, seu separatio tantum per ideas habetur, & omnino extra rei, quæ ejus objectum est, physicam naturam.* Abstractio extra physicam rerum naturam existens. *De hac, quum de Distinctionibus, & Universalibus disseremus, fusius agemus* (318, 330, 335).

duorum intima penetrare nequeat, neque ea; quibus intrinsece invicem distinguuntur, dignocere, quum eodem veluti aspectu sese offerunt, eorum ideam necessario sibi effingere debet, qua illa in species, & genera confundat: *rerum naturæ*; in his enim & peculiares proprietates dignoscimus, quibus invicem distinguuntur, & communes proprietates, quibus invicem confunduntur: siquidem id omne, totumque, quod sunt, ab harum tum peculiarium, tum communium proprietatum congerie *indivisibiliter* constituitur: *cognitionum nostrarum naturæ*, quæ utiles, atque opportunæ esse nequeunt, nisi quum genericæ evadunt; neque genericæ fieri queunt, nisi quibusdam *primitivis exemplaribus* animæ impressis, in quibus specificæ, aut genericæ suorum objectorum proprietates descriptæ sint; & in quibus mens nostra uno intuitu videre possit quid de individuis in genere tuto judicare, & statuere possit; quum enim hæc quavis in specie pene infinita sint, non omnia singillatim considerari, & dignosci possunt.

42. NOTA II. Toto hoc primo paragrapho sensationes, & ideas *unico* veluti *prospectu* consideravimus, eo scilicet, qui quem inter se nexum habeant, quaque ratione aliæ ab aliis pendeant, ostendit. Hujus fines in sua de Sensationibus tractatione attigit tantum, nec excessit magno ingenio vir Abbas Condilliacus, cujus fucum facientes speculationes magna ex parte hactenus confutavimus. (5, 10, 15, 22).

Has easdem sensationes, atque ideas *utiliore adhuc*, *atque jucundiore prospectu* sequentibus tractatibus intuebimur, & considerabimus. In iis quænam earum in nobis sit causa efficiens, quam faciant certitudinem, qua ratione ad diversas animæ nostræ facultates, seu *potentias* spectent, discutiendi locus erit.

§. II.

§. II.

GENERALIA COGNITIONUM NOSTRARUM FUNDAMENTA.

PLeraque philosophica axiomata, varia demonstrationum genera, quæ his axiomatis innituntur, alterius hujus paragraphi argumentum erunt. Hic nonnullarum vocum minus communium, quarum frequentior, magisque in scholis receptus usus, quibusque maxime in fere omnibus metaphysicis ideis enunciandis indigemus, incidenter significationem inferemus.

RERUM PRINCIPIA.

43. DEFINITIO. Tria in philosophicis omnibus disciplinis principiorum genera admittuntur, & distinguuntur; principia scilicet productionis, principia compositionis, principia cognitionis.

I. *Productionis principia* dicuntur causæ, quibus res producuntur, causæ, inquam, quæ entibus quibuscumque existentiam dant, aut habere faciunt. Hac significatione dicimus, Deum esse primum rerum omnium principium; ignem esse caloris principium; cor esse motus vitalis principium.

II. *Principia compositionis* dicuntur constitutiva intrinseca, quibus entia quædam formata, atque composita sunt. Hac significatione in physica dicimus aerem, terram, aquam, ignem esse corporum principia: mixtum aliquod salinis principiis, aliud principiis oleosis abundare.

III. *Principia cognitionis* (eaque sunt, de quibus hic potissimum sermo) dicuntur veritates quædam generales per se evidentes, quibus innu-

numeræ aliæ minus apertæ veritates demonſtrantur, quas implicite continent, quibuſque propriam certitudinem impertiuntur.

Quare ut veritas principium cognitionis ſit, aut *principium* duntaxat, non jam ſatis eſt, per ſe certam illam, & evidentem eſſe: fons veluti præterea ſit oportet late fluens, unde veritates aliæ emergere poſſint, ac derivari; ſeu quaſi fœcundum germen, quod aliarum veritatem fructus edere poſſit.

CAPUT PRIMUM.

AXIOMATA PHILOSOPHICA.

44. DEFINITIO. QUÆ nos cognitionis principia diximus, ea *axiomata philoſophica*, aut *axiomata* tantum vocantur; veritates nempe quædam generales certitudine, & evidentia de ſe elucentes, quæque propterea nullo alieno adjumento indigent, nulla præcedente, aut ſubſequente probatione, ut ſtent; imo iis utimur ad alias veritates ipſis implicite incluſas, aut ipſis neceſſario connexas, atque conjunctas demonſtrandas.

45. OBSERVATIO. Recentiores philoſophi nonnulli, quibuſdam Lockii ſophiſmatis illuſi, in axiomata philoſophica conclamaverunt, intonuerunt, fulmina jaculati ſunt. Contenderunt hi, & aliis ſuadere conati ſunt, hæc axiomata in nullius utilis veritatis cognitionem humanas mentes inducere poſſe; oleumque, & operam perdere qui in ſcientiis addiſcendis iis utuntur. In inquirenda veritate, ajunt hi oraculum ſuum ſecuti, rei ſumma eſt *ideas medias* inter notas, & ignotas veritates invenire. At hac in re axiomata philoſophica nullius momenti ſunt; quid enim iſta ſunt, niſi veritates quædam

dam vagæ, quæ adeo non sunt veritatum omnium principia, ut à maxima hominum parte aut nunquam, aut sero admodum cognoscantur.

Exempli causa, procedunt illi, nos corpus nostrum brachio majus esse novimus antequam *totum sua parte majus esse* cognoverimus; neque, nisi pluribus peculiaribus exemplis prius edocti, rem integram quavis sua parte semper majorem esse, mente nos cognitionem hanc generalem efficimus; atque hac habita, ac prælucente tunc sane judicamus, rem quamque unicam veris partibus sive conjunctis, sive separatis constantem, cujuscumque tandem naturæ sit, semper necessario quavis sua parte majorem esse. En objectionem; habe jam quid reponas.

46. CONFUTATIO. Facile mihi sane videtur dignoscere qua ratione vitiosus, quamque absurdus sit hic contra philosophica axiomata philosophandi modus.

I. Philosophica axiomata ita oppugnare, idem mihi videtur esse, ac velle rerum naturam mutare, ut inanis capiatur voluptas ea pessum dandi, & criminandi.

Qui in scientiis axiomata philosophica adhibenda, & retinenda censent nunquam sane contenderunt, ea esse primas notas veritates, a quibus omnium peculiarium veritatum cognitio manare deberet; neque humanam mentem ab idearum inter notas, & ignotas veritates inquirendarum cura liberandam.

Quid itaque contenderunt? contenderunt hi, uniceque contendunt, in immenso scientiarum pelago maxime opportunum esse, a statuendis quibusdam *punctis fixis*, *& inconcussis* initium facere, quibus humana mens tuto insistere possit, ut inde in veritatem inquirendam feratur; magnumque hoc opus aggredi nonnulla axiomata veluti bases a principio statuendo, quæ prius vera, & indubitata cognita fuerint, quibuscum

humana mens possit, ut necessitas tulerit, conferre quidquid novæ veritatis quærit, aut detegit; in quibus præterea uno intuitu innumeras videre possit veritates incidentes, & accessorias, quas infinitum, laboriosum, inutile esset singillatim comprobare.

II. Philosophica axiomata proscribere, generales veritates amandare idem profecto est, ac humanas cognitiones peculiarium, & solitariarum veritatum septis coarctare: atque hoc ipsum est scientias humanas omnes destruere, quæ in generalibus veritatibus re ipsa consistunt.

Si Lockio, ejusque asseclis auscultantes philosophica axiomata profligemus, perspicuum est omnia ad peculiares, & solitarias veritates adductum iri. Tunc vero demonstrationem geometricam, exempli causa, non faciemus, nisi assidue omnibus *veritatibus mediis* improbo labore insistendo, quæ demonstrationis nexus efficere, & primam postremæ propositioni alligare debent. Atque ita profecto Euclidis theorema, quod philosophicorum axiomatum semel statutorum, atque admissorum ope, brevi pagina invictissime, & plenissime demonstratur, his rejectis, ne integro quidem volumine demonstraretur.

III. Nos itaque veterum omnium philosophorum exemplum secuti, tum experientiæ, & rationis auctoritate compulsi utilitatem, necessitatemque axiomatum philosophicorum in scientiis quibuscumque prorsus admittimus.

Neque jam sunt hæc axiomata primæ illæ veritates, quas infans recens natus, aut uti ratione incipiens primum percipit; at primæ veritates istæ sunt, quibus ad scientias aditum sibi aperire debet, in quibus cito, & tuto progredi nequit, quin veritatibus quibusdam generalibus insistat, quæ illi sint basis, fundamentum, *puncta fixa*, unde procedat, quum ab arctis cognitionum experientia comparatarum finibus pergit erumpere.

HO-

HORUM AXIOMATUM EXPLICATIO.

Præviam hic notionem, atque explicationem plurium *cognitionis principiorum*, pluriumque philosophicorum axiomatum tradere aggredimur, quibus mataphysica utitur, quæque a metaphysica Mathesis pura, & mixta, tum omnes divinæ, humanæque scientiæ mutuantur.

47. AXIOMA I. *Idem eodem tempore nequit esse, & non esse.*

EXPLICATIO. Primum hoc axioma id continet, quod philosophi, & geometræ *principium contradictionis* appellant. Hoc stante, *esse & non esse ejusdem denominationis* in eodem subjecto, atque in iisdem circumstantiis loci, & temporis re ipsa nunquam omnino haberi possunt; ita ut esse semper, & necessario oppositum non esse excludat; & pari ratione non esse semper, & necessario oppositum esse excludat.

Hoc evidenti axiomate fieri omnino nequit, ut eadem quæcumque res simul, & eodem momento temporis sit, & non sit id quod de illa affirmatur, & quod negatur; esse enim, & non esse ejusdem denominationis evidenter simul componi nequeunt in eodem objecto, in eodem subjecto, in iisdem temporis, loci, ac rerum circumstantiis.

Exemplum. Fieri nequit, Aristum eodem temporis momento existere, & non existere; eodem temporis momento, & ratione ejusdem objecti Aristum æquum esse, & æquum non esse; eodem temporis momento ipsum Aristum gratum esse, & gratum non esse eadem ratione, iisdem suis proprietatibus, eodem aspectu.

48. NOTA. Perspicuum est, facileque intelligimus, hoc axioma semper supponere, ac necessario exigere idem subjectum, idem objectum, easdem loci, temporis, actionis conditiones,

quibus applicetur: secus non amplius esse, & non-esse ejusdem denominationis haberemus.

I. Fieri nequit, exempli causa, idem saxum esse materialitatis, & non esse materialitatis simul habere: hoc enim manifestam contradictionem involveret; at fieri potest, hoc saxum ipsum *esse materialitatis, & non esse spiritualitatis simul* habere: nullam enim hoc contradictionem dicit.

II. Ita quoque fieri nequit, Aristum actu justum esse, & non esse cum Clitandro; at fieri potest, actu justum esse cum Clitandro, & injustum cum Sylvio; actu justum esse cum Clitandro, paullo vero post cum eodem Clitandro injustum esse.

49. AXIOMA II. *Totum æquale est suis partibus omnibus simul sumptis: pars totius minor est toto.*

EXPLICATIO. Hoc alterum axioma, cujus in omnibus mathesis partibus tantus est usus, in se, & per se evidens est: & ut ejus evidentia sentiatur, satis est ejus significationem & objectum apte dignoscere.

I. Evidens est, partes omnes totius simul sumptas esse totum ipsum; sunt ergo necessario toti ipsi æquales, quod nunquam se ipso majus, aut minus esse potest.

II. Evidens quoque est, totius alicujus portionem, sive parva illa sit, sive magna, nunquam toti æqualem esse posse; neque enim tunc esset amplius totius portio, seu pars, sed totum ipsum. Sane ea indefinite major, aut minor esse potest totius reliquo: at quantumvis minima supponatur, illa semper est aliquid; secus non jam totius pars esset: & quantumvis magna supponatur, nunquam toti æqualis esse potest; ad hoc enim se major esset ipsa oporteret, ac totum esset, quin totum esset.

50. NOTA. Rerum, aut proprietatum congeries, quæ unicum idem ens constituunt, aut quæ

quæ tanquam idem ens unicum constituentes considerantur, *Totum* vocantur: nos vero Totius, diversarumque ejus specierum notionem ampliorem quamprimum dabimus (86 & 87).

Totius pars dicitur, totius hujus portio, parva ea sit, aut magna, quæ tamen non est integrum totum; puta, dimidium, quarta, millesima, millies millesima terræ pars, terrestris globi partes sunt: rupes, argillæ cumulus, arenæ particula ejusdem globi quoque partes sunt. Item unitas, centesima, millesima unitatis pars numeri cujuscumque partes sunt.

51. AXIOMA III. *Nihilum proprietatem ullam realem, & positivam habere nequit.*

EXPLICATIO. *Realis, & positiva proprietas* necessario subjectum, in quo recipiatur, naturam, a qua constituatur, ens, quod aliquid sit, supponit: quæ quidem *nihilo* nullo modo convenire possunt; quod necessario, & de se subjectum omne, naturam omnem, ens omne, quidquid denique aut aliquid est, aut aliquid habere potest, excludit.

Quamobrem absurdum esset dicere, nihilum duobus angulis rectis esse æquale; nihilum aliquid facere, aut ne fiat vetare; nihilum ente prius, aut posterius esse; atque ita de ceteris. Nihilum enim nihil semper erit, nempe negatio ipsa cujuscumque realis, & positivæ proprietatis.

52. AXIOMA IV. *Duo sunt inter se identificata, quando cum tertio sunt identificata. Duo inter se non sunt identificata, quando horum unum cum tertio identificatum est, alterum non est.*

EXPLICATIO. Axioma hoc, sive principium Dialecticæ, sive scientiæ ratiocinandi basis, ac fundamentum est; in illa enim ars tota in eo sita est, ut duarum idearum objecta *cum tertia alicujus idea objecto*, qui terminus comparationis est, conferamus. Ut hujus axiomatis,

 quam

quam de se, & per se habet evidentiam dignoscamus, veram ejus significationem aperire satis est.

I. Quid sibi vult hoc *identificari*? quidve significat? hoc est non naturam, atque *essentiam* similem habere, sed unam unicam, eamdemque naturam, unam unicam, eamdemque essentiam.

Aquæ gutta A, & altera aquæ gutta B ejusdem formæ, magnitudinis, speciei, in omnibus omnino similes, duas habent naturas, duasque essentias similes quidem, non vero unam, eamdemque naturam, atque essentiam: duæ istæ guttæ simul identificatæ non sunt; una enim non est alia (31).

Deus, & mundi Creator eandem, unicamque essentiam, eandem, unicamque naturam habent. Deus cum Creatore mundi *identificatus* est; verum est enim dicere, Deum esse Creatorem mundi, & Creatorem mundi esse Deum.

II. Perspicuum est, ut supra adnotavimus, tres sensationes, sive ideas idem objectum habere, aut non habere posse (32): quapropter in vera quarti hujus philosophici axiomatis significatione ambiguitas, aut error occurrere non potest.

EXPLICATIO II. Itaque Axioma, seu principium, de quo sermo, importat, quum duæ ideæ *idem identicum objectum* habent cum tertia, tunc duarum primarum idearum objectum re ipsa idem esse: & quum primæ ideæ objectum idem est *ac objectum tertiæ*, secundæ vero objectum non idem est, ac tertiæ; primæ, ac secundæ objectum non idem esse.

Hujus principii, sive axiomatis evidentia cuicumque intellectui vel paullum ratione utenti de se elucet: quin hebetis, tardique ingenii quispiam, natura duce, nullaque animi contentione in iis, quæ alicujus momenti sunt, illo sæpius uti consuevit. Ipsum vero disciplinis omnibus sequenti declaratione commune reddere possumus; quandoquidem cujusque ferme ratio-

cinii,

cinii, quo ipsæ demonstrationes conficiuntur, ipsum basis est, ac fundamentum.

I. Si ens A primæ alicujus ideæ objectum identificatum est, ens vero B alterius ideæ objectum identificatum non est cum ente M *tertiæ* alicujus *ideæ* objecto: ens A cum ente B minime identificatum est.

Sive simplicius.

Si A est M	Si A est M
Si B est M (quod est A)	Si B non est M (quod est A)
A est B.	A non est B.

53. AXIOMA V. *Id de aliquo affirmandum, aut negandum est, quod evidenter ejus ideæ aut essentialiter inclusum, aut ab ejus idea essentialiter exclusum apparet.*

EXPLICATIO. Quintum hoc axioma, cui omnes metaphysicæ, geometriæ, & algebræ meditationes innituntur, omnium divinarum, humanarumque scientiarum re ipsa *primum principium* est. Ad hoc enim, ut infra ostendemus, illud amplius, ut par est, enucleantes, omnia cognitionis principia postrema analysi tandem adducuntur (417).

Experientia sentimus, atque docemur, *mentem nostram res extra eam sitas neque cognoscere, neque cognoscere posse, nisi per ideas, quas harum rerum habet;* exempli causa, trianguli, aut quadrati proprietates, quæ re ipsa in ea non sunt, nisi per ideas, quas trianguli, aut quadrati habet, dignoscere posse; & si quam habet certam horum objectorum cognitionem, hanc nisi primarii hujus principii adjumento habere: quo fit, ut de re quavis affirmari possit, ac debeat, quod in hujus rei idea *essentialiter* inclusum apparet; id vero negari de re quavis, quod ab hujus rei idea *essentialiter* quoque exclusum apparet. Sit exemplum.

I. Ab hoc principio, ab eoque unice firmissime, nulloque erroris metu judico, atque affirmo, duo, & duo efficere quatuor in Asia,

in America, ut in Gallia: totius partem toto minorem esse in Saturno, in Jove æque ac in globo hoc, quem incolo: triangulum rectilineum has, ac illas essentiales habere proprietates Londini æque ac Parisiis; idem de ceteris dicito. Ratio, qua trahor ad ita judicandum, atque affirmandum, est, quia in idea duorum bis sumptorum *essentialiter* inclusam video quatuor æqualitatem; quia in totius idea excessum supra ejus partem *essentialiter* inclusam video; quia in idea trianguli rectilinei has, & has proprietates *essentialiter* inclusas video.

II. Ab hoc principio, ab eoque unice firmissime, nulloque erroris metu nego, fieri unquam posse, triangulum quadratum esse, duo & duo efficere quinque, totius partem toti suo æqualem esse, ens infinite perfectum injustum, aut deceptorem esse; atque ita de ceteris. Ratio movens ad hæc neganda est, quia plena, perfectaque evidentia video, trianguli ideam *essentialiter* quadratum excludere; ideam duorum bis sumptorum *essentialiter* quinque æqualitatem excludere; ideam partis *essentialiter* æqualitatem suo toti excludere; Entis infinite perfecti *essentialiter* injustitiam, & dolum excludere, quæ vitia sunt, adeoque perfectionis defectus.

54. NOTA. Quintum hoc axioma, de quo in tractatu de certitudine fusius agemus, omnium humanarum cognitionum fundamentum est, quarum objectum sunt *proprietates essentiales rerum* in earum ordine, sive statu metaphysico; atque hoc propterea quia quidquid proprietatum essentialium, sive eæ positivæ sint, sive negativæ, in rebus agnoscimus, id est, quod aut earum ideis *essentialiter* inclusum, aut ab earum ideis *essentialiter* exclusum concipimus.

At vero hoc axioma non ita humanarum cognitionum fundamentum est, quarum objectum sunt *accidentales* rerum *proprietates* in earum ordine, seu statu physico; atque hoc ideo, quia

acci-

accidentales rerum *proprietates* neque *essentialiter* earum ideis inclusæ sunt, neque ab his *essentialiter* excluduntur: quod alibi fusius explicabitur (413 & 417).

55. AXIOMA VI. *Qui nimis probat nihil probat.*

EXPLICATIO I. Non sane raro accidit, in polemicis quæstionibus, in contentiosis, sive quæ ad politicam, sive quæ ad philosophiam, & theologiam pertinent, audiri prolata, veluti inconcussa principia, *Effata quædam falsa*, quibus illusio, aut præjudicium veritatis speciem appingunt; ex quibus deinde sententiæ, quam quis aut jam amplexus est, aut statuere contendit, consequentiæ faventes deducuntur.

Huic rationis abusui opponitur axioma hoc sextum illique securim ad radicem ponit: præbet enim veluti *falsorum principiorum Lydium lapidem;* enunciat principium quodvis, quod pro vero venditetur, quemvis argumentandi modum, quem solidum, rectumque esse quis velit, nil amplius probare, si nimis probet; tunc nempe, quum aliquid inde evidenter absurdum, aut evidenter falsum consequatur.

EXPLICATIO II. Axiomatis hujus, sive principii evidentiam sentire, & in aperto ponere facile est. Evidens etenim est, principium verum nihil falsi, aut absurdi continere posse; ac proinde ex eo nihil falsi, aut absurdi exoriri, aut derivari posse. Perspicuum itaque fit, nullo pacto verum principium esse, quod tamquam principium profertur; illud nulla vi, aut auctoritate pollere; tandem hujus notæ principium nihil probare, aut probare posse.

56. AXIOMA VII. *Quod clare, certeque rei alicui inesse apparet, non ideo reijciendum, quod in eadem re aliquid obscurum, incertumque sit.*

EXPLICATIO I. Axiomatis hujus philosophici, cujus ad evertenda inepta veterum, recentiorumque Pyrrhonicorum sophismata incredi-

bilis, ac frequens usus, evidentiam facile nosces, ac palam facies.

I. Evidens est, *veritatem in aliquo objecto cognitam a veritate in eodem objecto cognita destrui non posse;* ad hoc enim fieri deberet, ut hoc idem objectum eodem tempore esset, & non esset id, quod in eodem esse dignoscitur; quod evidenter absurdum, & ἀδύνατον est (47).

II. Quare quoties veritatem re ipsa in objecto quovis agnosco, certissimus sum nihil huic *cognitæ veritati* oppositum in objecto hoc esse; meque nullo erroris metu veritati huic cognitæ adhærere posse; etsi veritates alias, quæ in hoc objecto non discerno, plane ignorem.

Exempli causa, me existere indubitanter scio, licet fortasse ignorem quid sit hoc *Ego existens:* meæ existentiæ cognitio a meæ naturæ cognitione minime pendet.

Pari modo indubitanter scio, angulum bifariam geometrice secari posse, licet fortasse ignorem an hic angulus trifariam geometrice secari possit: mea de anguli trisectione ignorantia cognitionem de bisectione nullo pacto infirmat, aut vitiat.

Pari item modo, solem esse, a quo illustror, & calefio, indubitanter scio, quamvis quid sit sol fortasse nesciam; quiescat ne, an moveatur: lucem ne, caloremque gignet pressione, an emissione; & sic de reliquis: horum ratio est, quia mearum cognitionum obscuritas, & incertitudo in iis omnibus, quæ ad solis naturam attinent, nihil agunt in existentiæ, & actionis suæ certitudine, & evidentia.

EXPLICATIO II. Volumen ut lubet ingens, coram me statue, in quo ducentæ, aut trecentæ propositiones Geometricæ, Politicæ, Morales descriptæ, & demonstratæ sint, aliæ Sinico sermone, aliæ Malabarico, aliæ Latino, aut Gallico, aliæ Peruviano, aut Mexicano.

Evidens est, *in hoc volumine veritates aliquas se-*

fore, quas intelligam, & mente percipiam; plerasque alias fore, imo multo plures, quas ne minimum quidem attingam. At quæso eæ, quarum evidentiam bene percepero, ac sensero, mihi evidentes ne esse desierint, quod in hoc volumine aliæ fuerint, e quibus nihil omnino deliberaverim? Absit profecto.

Ita nobis natura comparata est; non omnia in ea lux, non omnia tenebræ. Rerum universitas ingens veluti volumen est, in quo innumeræ veritates descriptæ, quarum aliquæ litteris, quas legere possumus, consignatæ sunt, aliæ notis, quas explicare minime scimus.

Neque humanæ menti omnia noscere, omnia comprehendere in magno hoc naturæ volumine datum est; in hoc enim tota elucet mentis illius increatæ, & creatricis, a qua confectum fuit, infinita sapientia. At vero *certa, & elucens natura pars* ne minimum quidem suæ certitudinis, & lucis amittit ab ambiguitate, & tenebris, quibus sæpius proxima est; certum etenim ab incerto non dependet, & evidens ab obscuro distinctum, atque sejunctum est.

EXPLICATIO III. Evidens quoque est, *ad cognoscendam veritatem aut quæ in intellectu, aut quæ in re sit, minime necesse esse omnes veritates quæ sint, aut esse possint cognoscere*; & sane stultum esset de omnium nostrarum cognitionum veritate ambigere, propterea quia veritates nonnullæ sint, quas assequi nequeamus.

Quare philosophus, veritatis amator, iis nulla animi perturbatione veritatibus adhæret certis, atque evidentibus, quas in natura detegit; quin absurde credat, quod obscuri, ignoti, incerti in rebus est, id possit destruere, aut dubium reddere, quod in iis certum, atque perspicuum deprehendit.

57. COROLLARIUM. Ex his sequitur; *si quando firme, & solida probatione sive ratiocinii, sive experientiæ ope veritas aliqua statuta*

sit, tunc illi nulla animi hæsitatione adhærendum; quæcumque ceterum tenebræ sint, quibus involvitur, aut contrariæ rationes, quibus oppugnatur.

I. Exempli gratia: *Geometra* scit, summaque, & inconcussa certitudine affirmat, infinitas diversas curvas inter peripheriam, & tangentem circuli transire posse: etsi minime comprehendat, quomodo datum spatium, veluti pollicis unius, aut lineæ, in infinitas partes alias ab aliis distinctas dividi possit, per quas infinitæ hæ lineæ diversæ traiici deberent (*Math.* 375).

II. Pari modo *Physicus* nullo erroris metu tenet, atque pronunciat, in eodem medio, puta aere, aut aqua, radios lucis actionem suam per rectas lineas transmittere, quin aut in directionibus, aut in propriis cujuscumque muneribus perturbentur, dum innumeris modis invicem decussantur: etsi nullo pacto percipiat qua ratione, quove physico artificio mirum istud phœnomenon, cujus infinita experimenta veritatem, ac certitudinem contestantur, eveniat (*Phys.* 901).

III. Nec secus etiam *Metaphysicus* alicujus æternam existentiam certam admittit, etsi quomodo quidpiam tota jam æternitate extitisse potuerit minime comprehendat; certum tenet, esse invisibile aliquod in visibili natura principium motus, etsi minime intelligat a qua causa, quave ratione in visibili natura motus produci possit; certam tenet veritatem primarii hujus axiomatis, *id de rebus affirmandum esse, quod in earum ideis essentialiter inclusum apparet*, etsi nullam hujus axiomatis directam probationem habere possit, neque hujus judicii sui solidam ullam *a priori* rationem afferre.

IV. Pari modo tandem *Homo prudens* sive philosophus ille sit, sive non, nullatenus existere materiam, animam, cogitationes suas, ens increatum & omnia creans, in dubium revocat,

cat, etsi neutiquam apte comprehendere possit, quænam sit essentia, & natura seu materiæ, sive animæ; quid sint, aut quomodo fiant suæ cogitationes, & sensationes; quænam sit Entis increati, & creantis natura, cujus attributum insigne est, esse aliqua ratione incomprehensibile essentia, actione, finibus.

CAPUT II.

VARIÆ DEMONSTRATIONUN SPECIES.

58. DEFINITIO. D*emonstratio* dicitur ratiocinatio, seu ratiocinationum collectio invicem connexarum, propositionem aliquam invicta ratione probans; seu quæ plena, perfectaque certitudine propositionem eam veram esse ostendit: quodcumque tandem sit ejus propositionis objectum, quod æque veritas facti, ac veritas theoriæ esse potest.

Propositio convincenti ratiocinatione, aut convincentium ratiocinationum serie probata, atque statuta, *propositio demonstrata* dicitur; propositio vero a demonstrata propositione deducta, & ab ipsa descendens, ea quoque vera est, & certa, cui *Corollarii* nomen damus.

Veritas aliqua aut directe, aut indirecte statui, ac demonstrari potest: hinc demonstrationes directæ, & indirectæ, de quibus quamprimum agemus.

59. NOTA I. In quavis demonstratione illud quæritur, ut notam, receptamque veritatem cum alia veritate, quam notam, aut certam, & inconcussam reddere volumus, connectamus; hoc assequimur *veritates medias* inter utramque illam veritatem investigando, & inveniendo, inter notam scilicet, & eam, quam notam reddere volumus.

Mens nostra, quæ veritates has medias veluti per-

percurrit, quæ eas successive invicem confert, quæ quantum opus est unamquamque perpendit, ut mutuam earum relationem deprehendat, & prodat, quæ primæ cum sequenti, hujus cum tertia, & sic deinceps nexum adnotat, eo tandem pervenit, ut ex iis quandam veluti *perpetuam catenam* conficiat, quæ primam veritatem cum postrema nectat; tunc vero demonstratio confecta est.

De veritatibus hisce mediis, deque earum perpetuo nexu fusius agemus in Tractatu de Dialectica (516 & 522).

60. NOTA II. Demonstratio, ut notat Aristoteles, & ut videre facile est, semper necessario intellectus cujusvis illam percipientis *intimum assensum* trahit.

At non item externum assensum necessario trahit; nihil enim est ita firmiter statutum, atque aperte demonstratum, quod a pertinaci animo, & ea quoque impugnare parato, de quibus intime convictus, & persuasus est, impudenter negari nequeat. Testis esto Pyrrhonicorum secta, quæ veritates omnes morales, physicas, geometricas in dubium revocare affectavit. Testis Carneades philosophus, qui principium, Dialecticæ fundamentum, idemque unum ex Geometriæ fundamentis, dubium, atque suspectum reddere conatus est, pronuncians, atque contendens, nullatenus certum esse, duo æqualia uni tertio inter se æqualia esse. Testis Zeno Eleensis, qui omni nisu motum nec haberi, nec haberi posse propugnavit; quique dicitur scepticismum eo usque produxisse, ut asserere ausus fuerit, nihil omnino ullibi re vera existere.

I. Sæpius dictum est, *geometriam unicam esse scientiam veris demonstrationibus innixam*; & qui hoc protulerunt, plane decepti sunt.

Dialectica demonstrationibus æque firmis, æque perspicuis, æque convincentibus, ac Euclideæ sint, innititur.

Dei

Dei Theoria in iis, quæ adorandi hujus entis existentiam respiciunt, demonstrationibus innixa, atque statuta est, ita rigidis, ita assensum trahentibus, ac quælibet geometrica esse possit.

Idem de physica, de morali philosophia, de plerisque aliis disciplinis dici potest, quæ omnes qua parte ad scientiam pertinent, demonstrationibus innituntur.

II. Hoc unicum hac in re inter geometriam, aliasque scientias discrimen est, quod *in Geometria objectis omnia demonstratione collucent; & in aliarum scientiarum objectis non item;* in his enim cum dubitatione, & obscuritate certitudinis, & evidentiæ imperium divisum est.

In Geometria quidquid est ab intellectu est; quare id tantum in ea est, quod intellectus optime novit. Nil mirum itaque, nihil illi in objecto pure ideali hujus scientiæ obscurum, atque incertum occurrere.

Non ita res habet in Dialectica, in Philosophia morum, in Theoria Dei, in Physica. Harum facultatum objectum statutum jam, ac determinatum neutiquam a modo pendet, quo illud nobis libeat considerare: suam habet illud naturam propriam, quam, ut in se ipsa est, investigare debemus; atque hæc *natura cognoscenda* partim obscura, partim elucens, parte aliqua certitudini, evidentiæ, demonstrationi locum dare, alia negare potest.

DEMONSTRATIONES DIRECTÆ, ET INDIRECTÆ.

61. DEFINITIO I. *Directa demonstratio* quæcumque dicitur, in qua veritas quædam sive speculativa, sive facti statuitur, ostendendo, propositionum apte deductarum, apteque invicem colligatarum serie, veritatem illam insolubili vinculo huic aut illi vero, inconcussoque principio connexam esse, quod veritatem prolatam,

tam, five ut veram propofitam fupponit, aut neceffario trahit.

Demonftratio directa veluti genus eft; tres enim demonftrationum fpecies amplectitur, de quibus paulo infra (70); atque hæ funt illæ, in quibus exiftentia caufæ probatur *ab effectu neceffario, aut contingente*; illæ, in quibus *a caufa neceffaria* probatur exiftentia effectus; illæ, in quibus *ab ipfa idea rei* effentialis aliqua ipfius rei proprietas probatur; veluti quum ab idea trianguli tres ejus anguli duobus rectis æquales probantur.

62. DEFINITIO II. *Demonftratio indirecta* quæcumque dicitur, in qua veritas aliqua fpeculativa aut facti probatur, quin ullam directam, propriamque hujus veritatis probationem proferamus, & unice oftendentes aliquam contradictionem, aut abfurdum aliquod fore, nifi res ita effet, uti eam effe contendimus.

Exemplum fit. Materiam effe cœpiffe, aut materiam re ipfa creatam, & ex nihilo eductam indirecte oftendemus, in apertam lucem proferentes manifeftas contradictiones, & abfurda patentia, quæ occurrerent, quoties æterna fupponeretur.

Pari modo geometrica quantitas A geometricæ quantitati B æqualis oftendetur, aliquam ineffe contradictionem, five abfurdum aliquod oftendendo, fi alteram altera majorem, minoremve fupponas.

63. NOTA I. Evidens eft, ut alibi oftendemus (625), duas *propofitiones contradictorias* ambas eodem tempore falfas effe non poffe; *ac unius falfitatem alterius veritatem neceffario trahere*.

Quamobrem quum duarum contradictoriarum propofitionum unam, eam fcilicet, quam impugnamus, falfam effe apte demonftraverimus, abfurda, quæ inde confequuntur, & contradictiones, quas trahit, palam facientes; jam hoc ipfo demonftraverimus, alteram, fcilicet quam tue-

mur,

mur, veram esse: licet fortasse veritas ita indirecte statutæ, ac demonstratæ propositionis in se ipsa non percipiatur, neque sentiatur.

Exemplum. Si ostenderis, absurdum esse tamquam veram propugnare propositionem hanc: *materia nunquam esse cœpit*; hoc ipso ostenderis, veram, & inconcussam hanc aliam esse: *materia aliquando esse cœpit*; propositiones enim hæ contradictorie oppositæ sunt, & primæ falsitas necessario alterius veritatem trahit. (626)

64. NOTA II. Demonstratio indirecta tandem ea ferme est, quam in scholis vocant *Demonstrationem ab impossibili*: habetur autem hæc, quum ostenderis fieri non posse, rem, quam impugnas, ita se habere, ut supponit, aut contendit adversarius, propterea quod, ea posita, contradictiones, & quæ esse nequeunt consequerentur.

Tunc quidpiam falsum esse demonstratum est, quando ex eo quæ esse nequeant, & quę contradictoria sint effluere demonstratum sit. Certum est enim, id, quod re ipsa sit, nihil trahere, quod esse nequeat; a vero nihil contradictorium, nihil absurdum, nihil falsum enasci posse.

Quum vero quid falsum esse ostenderis, hoc ipso oppositum re ipsa verum esse ostendisti: ceterum idem eodem tempore esse simul, & non esse oporteret, ut patet; quod plane, ἀδύνατον, & absurdum est (47 & 625).

65. NOTA III. *Demonstrationes* hæ *indirectæ*, apud veteres, nonnullosque recentiores geometras nimium fortasse frequentes, non nisi, deficientibus directis, usurpandæ sunt. Etsi enim pateat, eas intellectum convincere, atque assensum trahere posse, nil minus patet, parum eas mentem illustrare, & præcipuo scientię fructu fraudare, qui in intuitiva veritatis cognitione situs est.

Neque vero mens nostra plane quiescit si quan-

quando rem quampiam ita esse, aut esse debere intelligens, quare etiam, & qua ratione ita sit non percipiat. Illi itaque non nisi imperfecte satisfacit *demonstratio indirecta*, quæ unice absurda, & τα ἄτοπα in re illi cujus veritatem evincit, opposita ostendit; neque majori claritate mentem illustrat ad id cognoscendum, quod evincit.

IMPOSSIBILITATES, ABSURDITATES, SENSUS COMMUNIS.

66. OBSERVATIO. Quam dedimus, demonstrationis indirectæ notio nitidam, atque præcisam harum vocum, *impossibilitatum*, scilicet, *contradictionum*, *absurditatum*, *sensus communis* significationem, atque explicationem a nobis postulare videtur: postrema hæc natura sua tres primas excludit.

67. DEFINITIO I. *Rei alicujus impossibilitates* ea omnia dicuntur, quæ in ipsa esse, & non esse ejusdem denominationis supponunt; puta, existentiam, & non existentiam, actionem, & non actionem, materialitatem, & immaterialitatem, intelligentiam, & non intelligentiam: uno verbo, quidquid in ea aut causas, aut effectus, aut proprietates quæ absolute, & natura ipsa simul esse nequeant, supponit (47).

Impossibilitates in rebus admittere idem est, ac in iis *contradictiones*, & *absurditates* admittere; & in iis contradictiones admittere idem est, ac in iis impossibilitates admittere: tres hæ voces sive ad res, sive ad humanarum idearum objecta relatæ omnino synonimæ sunt.

68. DEFINITIO II. *Absurditates in humanis ideis* illa dicuntur, quæ aut sibi contradictoria sunt, aut *Sensui communi* opposita. Exempli causa: opinio aliqua absurda est, quum aut contradictionem involvit, aut veritatibus passim receptis, atque admissis opponitur.

Ab-

Absurditas id est, quod proprie, &, ut in scholis ajunt, *formaliter* rem quampiam absurdam esse facit. Hujusmodi sunt, exempli gratia, in quopiam systemate causarum, aut effectuum oppositio; principiorum, & consequentiarum oppositio in affirmatione quavis, sententia, speculatione, in rerum agendarum dispositione, in iis omnibus demum, quæ humanæ mentis opera nuncupantur.

69 DEFINITIO III. *Sensus communis* vocantur principia, & cognitiones, quę communis in hominibus cogitandi, & de rebus judicandi modi fundamentum, & regula sunt; sive horum principiorum, & harum cognitionum in communi hominum agendi modo usus, & applicatio.

Exempli causa. Is dicitur sensu communi carere, qui sive opinando, sive agendo ab iis agendi, aut de rebus sentiendi principiis recedit, quæ passim admissa sunt, quæque homines passim sequuntur: carere nempe is censetur *sano illo rationis lumine*, quo passim homines in iis, quæ agunt, aut approbant, ducuntur, ac diriguntur.

DEMONSTRATIONES A PRIORI, A POSTERIORI, A SIMULTANEO.

70. OBSERVATIO. Tres sunt veritatem aliquam speculativam, aut practicam demonstrandi modi, quos modo indicare, & explicare pergimus. Hinc tria diversa demonstrationum genera, quæ æque omnia plenam, perfectamque pariunt certitudinem; quæ tamen inter se differunt & ratione methodi, qua ad eam procedunt, & ratione *medii*, quod eas fundat, & statuit (61).

71. DEFINITIO I. *Demonstrationes a priori* illæ dicuntur, in quibus a causa nota ad effectum ignotum, quem ea parere debet, descendimus:

mus: illæ ſcilicet, in quibus exiſtentia, & natura effectus cognoſcendi, ac determinandi probatur, atque ſtatuitur per certum, & indubium nexum, quem habet hic effectus cum cauſa, a qua producendus eſt, & cujus actio ut re ipſa exiſtens, aut futura, & neceſſaria cognoſcitur.

Sit exemplum. Demonſtratione *a priori* oſtendetur, corpus libere in vacuo deſcendens duorum minutorum ſecundorum tempore, hoc elapſo, ad ſexaginta pedum ſpatium percurriſſe: plena enim certitudine ſcimus, legem gravitationis, quæ *cauſa eſt neceſſaria*, & *nota*, tali tempore talem effectum producere debere.

Oſtendetur pariter, tali ipſo tempore, ſolis, aut lunæ defectum habitum iri; ordinatus enim aſtrorum curſus cauſa eſt neceſſaria, ac cognita, a qua omni dubio procul iſte defectus pari debet.

72. NOTA. Omnes naturæ leges *demonſtrationum a priori* baſes, & fundamenta eſſe poſſunt: earum enim effectus, qui hujuſmodi demonſtrationum objecta ſunt, neceſſario ex earum influxu, & actione prodire debent (138).

At hæ ipſe naturæ leges demonſtrationibus a priori probari ipſæ, & oſtendi nequeunt; neque enim ipſæ *cauſa alicujus neceſſaria*, & *nota* effectus ſunt, in qua, dubitatione omni remota, earum exiſtentia, & actio videri, & determinari poſſit.

I. *Præſentes naturæ leges* unice infinite liberæ Entis increati, & omnia Creantis voluntate exiſtunt, & agunt; ipſum enim libere has, illaſque leges condens, alias omnino diverſas condere potuiſſet; neque his ipſis legibus, quas conſtanter perſeverantes, & agentes videmus, naturam ſubjecit, niſi *quia præſentem rerum ordinem* a præſentibus legibus emanantem ſtatuere perpetuum voluit, præ alio quovis rerum ordine, quem leges omnino diverſæ protuliſſent, perpetuumque ſervaſſent.

II. *Præ-*

II. *Præsentes* itaque *naturæ leges* in se ipsis probari, & ostendi nequent; in iis nempe, quæ earum existentiam, & actionem respiciunt, nisi demonstrationibus *a posteriori*, de quibus agere pergimus, & in quibus effectus notus ad causæ ignotæ cognitionem adducit.

73. DEFINITIO II. Eæ *Demonstrationes a posteriori* dicuntur, in quibus ab effectu noto ad causam ignotam, a qua est, ascendimus; eæ scilicet in quibus existentia, & natura causæ antea ignotæ demonstratur a nexu necessario, quem cum illa habent hi, vel illi *effectus noti* ex ea emanantes, & producti.

Exemplum. Demonstratione *a posteriori* ostendetur, *ab Intelligentia infinita* visibilem naturam regi, & gubernari; in visibili enim natura *mirum ordinem* videmus, qui nisi a causa infinite activa, & infinite intelligente & esse, & perpetuo idem perseverare nequit.

Pari modo ostendetur in visibili natura *Vim realem* haberi, quæ, (quocumque tandem nomine sive Attractionis, sive Impulsionis, sive alio quo magis libuerit, vocetur) corpora continenter, ac perpetuo premit centra quædam communia versus; propterea quia terrestria corpora videmus ad centrum terræ tendere omnia, & gravitare, quin & planetas omnes ad solis centrum perpetuo tendere, & gravitare.

74. DEFINITIO III. *Demonstrationes a simultaneo*, seu potius passim *demonstrationes per ideam* dicuntur illæ, in quibus rerum proprietates per ideam ipsam, quam de illis nobis efformamus, demonstrantur; illæ, exempli causa, in quibus trianguli proprietates per ideam ipsam, quam trianguli habemus, demonstrantur.

I. Tertium hoc demonstrationum genus, in quibus de rebus affirmamus, quæ penitus in earum idea inclusa videmus, omnes geometricas demonstrationes fundat, est statuit. Nullam aliam rationem habet geometra, aliud fundamen-

mentum nullum, nullumve medium aliud demonſtrationis, ut has, atque illas proprietates triangulo, circulo, quadrato, ellipſi, parabolæ, priſmati, cylindro, ſphæræ tribuat, præter harum figurarum *intrinſecam exigentiam*; neque hæc earum intrinſeca exigentia illi aliunde demonſtratur, & manifeſta fit, quam ex idea ipſa, quam illarum habet.

II. In poſtremo hoc demonſtrandi modo *medium demonſtrationis*, & demonſtratio inde enaſcens in intellectu ſimul exiſtunt; hinc primum orta denominatio, qua illas cum Leibnitio, Lockio, præclariſque aliis metaphyſicis compluribus appellamus.

75. NOTA. Patet, *Demonſtrationem per ideam*, cujus tanta vis, tantuſque uſus in *ideali* rerum *ſtatu*, in quo nullas alias hæ proprietates habent, niſi quas ideæ abſtractæ a nobis mente conceptæ illis tribuunt, neque vim ullam habere, neque habere poſſe in *phyſico* rerum *ſtatu*, in quo earum natura non ſane id tantum eſt, quod menti noſtræ libeat eam eſſe (60).

Quamobrem in ſtatu phyſico prima duo tantum demonſtrationum genera res admittunt; illud nempe, in quo effectus ad cauſæ cognitionem, & alterum, in quo cauſa neceſſaria ad effectus ſui cognitionem perducit,

MEDIUM DEMONSTRATIONIS.

76. DEFINITIO. *Medium demonſtrationis* dicitur veritas nota, & admiſſa ſive ſpeculativa ea ſit, ſive facti, qua utimur, & in qua ſiſtimus ad ſtatuendam, & demonſtrandam ignotam aliquam, & controverſam veritatem. Exempli cauſa: Exiſtentia legis naturalis in homine, & exiſtentia miri ordinis in natura, *duo media* ſunt, alterum quidem ab ordine mo-

morali, alterum a physico desumpta, quibus Dei existentia solide demonstratur.

I. In demonstratione a priori, & in demonstratione a posteriori *medium demonstrationis cognitione prius esse debet re demonstrata:* hoc est, a statuenda, & comprobanda medii veritate, & existentia initium fieri; atque ex hac cognitione ad rei statuendæ, ac demonstrandæ cognitionem deinde nos progredi.

II. Non ita res habet in demonstratione per ideam: in hac cognitio medii, & cognitio rei demonstrandæ *in intellectu simultanee* sunt; siquidem medium demonstrationis nihil est præter ideam ipsam rei demonstratæ.

III. Logicorum sermone *medium argumentationis* dicitur ratio quævis solida, aut futilis, qua utimur ad ea, quę statuere volumus, comprobanda, aut quæ impugnamus evertenda.

Sermone Juris *media in genere* dicuntur rationes, probationesque quæcumque allatæ aut ad propria jura tuenda, aut ad adversariorum rationes proterendas.

CAPUT III.

NOTIONES GENERICÆ, ET PRIMARIÆ.

Post jam datam & axiomatum, quæ cognitionum nostrarum fundamenta sunt, & diversarum demonstrationum, quæ illas certas faciunt, genericam notionem, opportunum hic erit quasdam magis usitatas voces explicare, quæ principiorum omnium, & metaphysicarum meditationum veluti necessaria quædam mantissa sunt.

SUB-

SUBJECTUM, ET OBJECTUM.

77. DEFINITIO. *Subjectum*, ſtylo metaphyſico eſt, quod proprietatem aliquam, aut modificationem in ſe continet. *Objectum* eſt, ad quod aliqua ex facultatibus, aut potentiis noſtris dirigitur. Subjectum accipit: objectum terminat. Exempli cauſa:

Anima *ſubjectum* eſt ſuarum cogitationum, ſuarum ſenſationum, ſuorum judiciorum, ſuarum determinationum, diverſarum ſuarum facultatum: materia modificationum, & proprietatum ſibi congruentium ſubjectum eſt.

Bonum eſt *objectum* potentiarum noſtrarum affectivarum; verum potentiarum intellectivarum.

Subjectum in phyſicum, & metaphyſicum dividitur; quorum notionem modo ſubjiciemus (a).

78. DIVISIO I. *Subjectum phyſicum* dicitur, quod aliquam proprietatem, ſeu modificationem ſibi accidentalem recipit, aut in ſe continet.

Exemplum. Homo eſt ſubjectum phyſicum ſuarum virtutum, ſuorum vitiorum, ſuarum voluptatum, ſuorum dolorum, coloris ſui ſive Europæi, ſive Affricani, & ſic de ceteris; atque hoc propterea quia nullum horum hominis eſſentiam ingreditur, quum omnia hæc hominis eſſentiæ accidentalia, ac veluti acceſſoria ſint.

79. DIVISIO II. Illud dicitur *Subjectum metaphyſicum*, quod aliquam intrinſecam proprietatem in ſe continet ſibi eſſentialem, quamque omittere nequit, quin ceſſet eſſe.

Exemplum. Deus ſapientiæ, & potentię ſuæ *ſub-*

(a) *ETYMOLOGIA*. *Subjectum*, quod jacet, aut jacitur ſub alio. *Objectum*, quod jacet, aut jacitur ob aliud, ſeu ante aliud.

subjectum metaphysicum est, quae in ipso cum ejus natura identificatae sunt: homo animalitatis, & rationalitatis suae subjectum metaphysicum est, quae in homine sunt homo ipse diversis modis acceptus.

Subjectum metaphysicum idem ferme est, atque Totum, & Concretum metaphysicum de quo statim (84 & 89).

ABSTRACTUM, ET CONCRETUM.

80. DEFINITIO. Ideae nostrae objectum habere possunt, sive *subjectum cum forma, qua illud tale subjectum esse facit*, sive *formam hanc subjectum ita ab aliis distinguentem*, sejunctam, & veluti a subjecto suo abstractione metaphysica avulsam. Primo casu ideae objectum Concretum est, altero Abstractum (*a*).

Quare *Concretum* est subjectum conjunctum formae, seu qualitati, quae illud tale esse facit. *Abstractum* est forma, aut qualitas determinans, quae veluti extra subjectum suum consideratur, seu quam, abstractione a subjecto facta, consideramus.

Exemplum. Idea *justi* Concretum objectum habet: exprimit quippe quempiam justitia praeditum. Idea *justitiae* Abstractum objectum habet: exprimit siquidem formam, seu qualitatem, quae justum efficit subjectum, cui inhaeret, & a quo abstractione metaphysica separatur (35 & 336).

Concretum in physicum, logicum, & metaphysicum dividitur.

81. DI-

(a) ETYMOLOGIA. Concretum *a concresco: quasi ens, quod concrevit, & conflatum est ex subjecto, & forma.* Abstractum *ab abstraho: quasi ens, quod a subjecto per mentem abstractum est, seu quasi forma a subjecto abstracta.*

81. DIVISIO I. *Concretum physicum* est subjectum formæ sibi intrinsecæ, & accidentali conjunctum. Exempli causa; objectum hujus ideæ *Sapiens*, seu quispiam sapientia præditus, quæ ipsi intrinseca est, & a quo separari potest, est concretum physicum.

Ita quoque objectum hujus ideæ *ferrum candens*, seu *pannus ruber*, est concretum physicum; est enim subjectum consideratum ut formæ, seu qualitati sibi intrinsecæ, & accidentali conjunctum.

82. DIVISIO II. *Concretum logicum* est subjectum formæ sibi extrinsecæ, ac propterea accidentali conjunctum. Exempli gratia, objectum harum vocum *visus* & *commendatus*, sive subjectum, quod respiciunt Visio, & Commendatio, quę illi sunt extrinsecæ, est concretum logicum.

Ita quoque objectum hujus ideæ *homo*, sive, *Leo*, &c. consideratum tamquam natura unica, tamquam *natura, qua de pluribus affirmari potest*, est ipsum quoque subjectum logicum.

83. NOTA. In postremo hoc exemplo concretum logicum *subjectum* habet, quod est *talis natura species*. Habet quoque *formam extrinsecam*, quę illud unum efficit, & aptum, ut de pluribus affirmetur, puta, de pluribus speciebus, aut de pluribus individuis; atque hæc forma est idea præcisiva, qua fit pluribus commune, qua fit de pluribus aptum affirmari, qua objective est unum, & multiplex (318 & 336).

Concretum logicum hoc postremo modo consideratum, est ferme idem ac Totum logicum, de quo paulo infra. (91.).

84. DIVISIO III. *Concretum metaphysicum* est concretum conjunctum formæ sibi essentiali, & secum identificatę. Exempli causa, objecta harum idearum: *homo*, sive subjectum habens humanitatem, *animal*, sive subjectum habens ani-

ma.

malitatem, *Deus*, sive subjectum habens divinitatem, *spiritus*, sive subjectum habens spiritualitatem, sunt concreta metaphysica.

In omnibus concretis metaphysicis subjectum, & forma re ipsa sunt *una*, *eademque res in se ipsa indivisibilis*, quam abstractio metaphysica extrinsece dividit. Mens nostra, quæ rem hanc unicam, atque individuam sibi repræsentat tamquam *concretum*, concipit primo per ideam præcisivam *subjectum vagum*, & *indeterminatum*, cui postea *formam conjungit*, quæ illud debet determinare, ut sit aut habens humanitatem, aut animalitatem, aut spiritualitatem, aut divinitatem; atque ita de ceteris.

85. NOTA. In scientia quaque numerorum abstracti, & concreti mentio fit. *Numeri abstracti* dicuntur, qui nulli specificæ quantitati sunt adscripti; *numeri* vero *concreti*, qui specificis quantitatibus applicantur.

Exemplum. Hæ ideæ: *tria*, *viginti*, *mille*, *millies mille*, numeros abstractos objectum habent; qui neque homines, neque hexapedas, neque libras exprimunt, neque magnitudinem ullam, cujus natura assignata, & distincta sit.

Contra vero hæ ideæ: *tres hexapedæ*, *centum libræ*, *mille homines*, *millies mille leucæ* numeros concretos objectum habent; seu numeros peculiaribus magnitudinibus, quarum natura assignata, & distincta est, adscriptos, atque appositos.

TOTUM, ET PARS.

86. OBSERVATIO. Compositum ex rebus pluribus simul conjunctis, aut quæ ut simul conjunctæ considerantur, *Totum* dicitur: res conjunctæ, aut quæ tamquam conjunctæ considerantur, ejus *partes* sunt (49).

Totum in physicum, metaphysicum, & logicum dividitur.

87. DEFINITIO I. *Totum physicum* est totum compositum partibus re ipsa invicem distinctis. Exempli causa, homo consideratus ut anima, & corpore compositus est totum physicum. Ita arbor, mons, domus, regio, pecudum grex, aquæ amphora, sunt totidem Tota physica.

88. NOTA. *Totum physicum* dividi potest in totum naturale, in totum factitium, & in totum conventionis.

I. *Totum naturale* est compositum pluribus distinctis rebus sive similibus, sive dissimilibus, quas natura invicem coadunavit, atque conjunxit, & quarum collectio ens unum efficit, naturæ, non artis opus. Hujusmodi est brutum, planta, planeta, sidus, &c.

II. *Totum factitium* est compositum pluribus rebus, quæ potiori parte sunt totidem tota naturalia diversa; quæque non evadunt ens unicum, opus artis, nisi earum conjunctione, & collectione, unde quiddam emergit ad finem partibus omnibus communem destinatum. Hujusmodi est domus, tabula, liber, ensis, horologium, currus, &c.

III. *Totum conventionis* est plurium rerum societas, sive eæ similes sint, sive dissimiles, e quibus nunquam natura, aut ars ens unicum effecerunt, quæque *unitatem extrinsecam* acquirunt tantum a relationibus quibusdam naturalibus ex earum constitutione enascentibus; sive a relationibus factitiis, quas ex divina, aut humana institutione assequuntur; sive ab imaginariis relationibus, quas mens nostra illis appingit proprias ideas veluti in varios manipulos distribuens, ut objecta melius percipiat, & retineat.

Hujusmodi sunt familia, natio, religiosa societas, exercitus. Hujusmodi est classis pluribus navibus composita; signum cæleste pluribus sideribus; prædium pluribus jugeribus constans; provincia his, atque hisce finibus circumscri-

pta,

pta; una ex quatuor mundi partibus, quæ est portio veluti arbitraria terrestris superficiei; Zodiacus, qui Zona est arbitrio tantum in cœli cavitate posita, & designata.

89. DEFINITIO II. *Totum metaphysicum* est totum pluribus partibus compositum, quæ invicem distinctæ non sunt, nisi per ideas præcisivas, a quibus repræsentantur.

Exemplum. Homo consideratus ut *animal rationale*, sive ut totum a facultate sentiendi, & a facultate ratiocinandi resultans, est totum metaphysicum; siquidem homo, animal, & rationale, seu facultas sentiendi, & facultas ratiocinandi eadem una, & individua res sunt; natura humana scilicet, tum respectu sensationum suarum, tum suarum ratiocinationum respectu considerata.

Exemplum alterum. Deus consideratus ut *omnium infinitarum perfectionum cumulus* est totum metaphysicum; diversæ enim perfectiones, quas in hoc Ente summe colendo mens nostra detegit, & contemplatur, in eo non sunt, nisi una, & eadem res in se infinite simplex; natura nempe divina considerata respectu effectuum potentiæ, sapientiç, beneficentiç, justitiæ, ceterorumque ex illa emanantium, quique nobis aut simul, aut successive patefiunt.

90. NOTA. *Totum metaphysicum* evidenter esse potest *res physice existens*, ut facile ex dictis videre est; neque enim naturam simplicem, & in se individuam existere repugnat.

At vero, si res physice existens partes non habeat invicem re ipsa distinctas, perspicuum est eam non nisi totum metaphysicum esse posse; in sua enim existentia physica eo caret, quod *totius physici essentiam* constituere debet, seu totum partibus constans re ipsa invicem distinctis.

Quare Deus, angelus, anima humana sunt *entia physica*, non vero *tota physica*; atque hæc

entia physica ratione modi, quo ea consideramus per diversas earum proprietates, tota metaphysica evadunt.

91. DEFINITIO III. *Totum logicum* est objectum ideæ precisivę, quod in statu precisionis, aut abstractionis de pluribus affirmari potest, quorum unum non est aliud, seu quę invicem re ipsa distincta sunt. Totum hoc est aut genus, cui plures species subijciuntur, aut species est, in qua plura individua continentur.

Exemplum. Objectum ideę hujus precisivę: *animal* est totum logicum, quod hominem, & brutum complectitur: hęc duo binæ ejus partes sunt.

Objectum pariter ideæ hujus precisivæ *homo* est totum logicum, quod humanę speciei individua complectitur: quodvis hujus speciei individuum, sive singuli homines Totius hujus logici partes sunt (*a*).

§. III.

RERUM EVIDENTIA, ET VERITAS.

TErtio hoc paragrapho eorum omnium, quæ ad evidentiæ, & veritatis naturam generatim spectant, accuratam, & precisam notionem trademus: utramque in earum objecto, & subjecto considerantes.

CA-

(a) *ETYMOLOGIA. Totum logicum: totum prædicabile affirmabile, a λογὸς, sermo, enunciatio, & a λογικος, affirmabilis, prædicabilis.*

CAPUT PRIMUM.

RERUM EVIDENTIA.

92. DEFINITIO I. R*Erum evidentia* aut in ſubjecto ſuo, aut in objecto conſiderari poteſt (77).

I. Rerum evidentia *in ſuo ſubjecto* conſiderata, ſive in mente noſtra, eſt clara, & certa objecti cognitio: ea eſt in anima lux quędam certa, quam ſentire facilius eſt, quam definire, qua veluti intuitive proprietates objecti, quod attingit, *caracteriſtica* conſpiciuntur. Hæc evidentia plenam, perfectamque de objecto certitudinem animę impertitur.

II. Rerum evidentia *in objecto ſuo* conſiderata, eſt clara, & nitida objecti hujus intelligibilitas: modus nempe quidam in objecto exiſtendi, & apparendi, qui illud intellectui ſubjicit, & cujus ope percipi, ut eſt, & dignoſci poteſt tanta certitudine, & firmitate, ut nullam in anima illud percipiente, & perpendente dubitationem relinquat.

Rerum evidentia, qualem definivimus, omnibus geometrię objectis convenit; at non his tantum (60).

93. DEFINITIO II. Evidentia rerum in objecto conſiderata aut intrinſeca eſt, aut extrinſeca.

I. *Evidentia eſt intrinſeca*, quum ab ipſa objecti natura emanat, quod plena claritate, ac animi firmitate ita neceſſario eſſe debere, nec ullo pacto diverſum eſſe poſſe cognoſcitur.

II. *Evidentia extrinſeca eſt*, quum a claritate, & a ratione objecto extranea proficiſcitur, quæ tamen evidenter, & certiſſime cum veritate objecti connexæ ſint.

nem trahit; perſpicuum eſt enim, nunquam te de aliqua veritate plane convictum eſſe poſſe, quin intime de illa ſis perſuaſus.

At practice non ſemper convictio perſuaſionem trahit, cuę ſępius magis ad ſenſibilem, quam ad intelligentem animæ partem attinet. Nimium ſæpius enim contingit, nos de rei alicujus faciendæ obligatione plane convictos eſſe, quin nos ipſos ad id, quod debemus, exequendum efficaciter motos, ac determinatos eſſe ſentiamus.

COGNITIONES INTUITIVÆ, DEMONSTRATIVÆ, DERIVATIVÆ.

95. DEFINITIO. *Cognitionum* noſtrarum *evidentium* aliæ intuitivę ſunt, aliæ demonſtrativæ, alię derivativæ.

I. *Cognitiones intuitivæ* dicuntur illæ, quibus mens noſtra dilucide, & immediate res videt in ideis ipſis, quas rerum habet: in quibus nulla interveniente idea media, quæ menti ſit veluti terminus comparationis, ipſa, ſimplici attentione ad ideas, quas rerum habet, percipit, ac dignoſcit earum naturam, proprietates, relationes, identitatem, aut non identitatem, convenientiam, aut non convenientiam, & reliqua.

Exemplum. Mente conceptam habeam ideam trianguli, & ideam quadrati: ſimplici mentis meæ attentione ad has duas ideas *cognitionem intuitivam* habebo, qua videbo, objectum primæ non eſſe alterius objectum: primæ objectum, ſi in natura exiſtit, neceſſario tres angulos, & tria latera habere aut ęqualia, aut inæqualia; objectum alterius ideæ, ſi in natura exiſtit, neceſſario quatuor æquales angulos, & quatuor æqualia latera habiturum.

Inter intuitivas cognitiones eæ omnes recenſeri poſſunt, quarum objecta ſunt axiomata meta-

taphysica, seu mathematica; eę omnes quoque, quarum objecta sunt veritates illæ quæcumque sive hypotheticæ, sive absolutæ, quibus evidentia intrinsece inhęret, neque ulla extranea probatione indigent, ut passim tamquam certæ, & indubitatæ admittantur; cujusmodi sunt, exempli gratia: duo, & duo efficiunt quatuor: si existit Ens infinite perfectum, in eo infinita sapientia, atque infinita potentia existit.

II. *Cognitiones demonstrativa* vocantur, in quibus rerum naturam, proprietates, relationes mens nostra videt non in ipsa idea, quam rerum habet, at prælucente, & adjuvante *idea* aliqua *media*, cum qua confert, & comparat rerum cognoscendarum ideam, quarum nempe cognoscere studet æqualitatem, aut inæqualitatem, identitatem, aut distinctionem, convenientiam, aut non convenientiam, veritatem, aut falsitatem, & similia: quod fusius in Dialectica explicabimus (672 & 678).

Exemplum. Sint triangulum, & quadratum ejusdem basis, & altitudinis: quæro quamnam inter se horum superficies rationem habeant; at hoc in simplici figurarum idea immediate dignoscere nequeo. Ut id assequar, triangulum in parallelogrammum per ideam immuto; & jam veluti intuitive video, me illud duplicare, illudque ita duplicando æquale quadrato reddere. Hinc evidenter video, quadrati superficiem superficiei trianguli duplam esse. In hac mentis operatione *parallelogrammum ideale* mihi fuit idea media, seu terminus comparationis ad detegendam in quadrato, & triangulo ejusdem basis, & altitudinis superficierum rationem.

Inter cognitiones demonstrativas recenseri possunt eæ omnes, quæ licet in se, & per se minime evidentes, tales tamen nobis evadunt ope idearum quarumdam mediarum, seu probationum quarumdam plane convincentium, ac persua-

suadentium, speculationis, aut facti, quæ nos indubitate, perfecteque certos faciunt de sui objecti veritate. Hujusmodi nobis sunt, aut esse possunt, non tantum Geometrica lemmata, atque theoremata omnia, verum etiam innumeræ aliæ veritates, quæ metaphysicam, quæ physicam, imo & quæ mores spectant (60 & 1209).

III. *Cognitiones derivativa* dicuntur, quæ a propositione solide statuta, ac rigide demonstrata evidenter fluunt. Exemplum. Quum summa firmitate probatum, ac demonstratum sit, sphæræ cujuspiam superficiem superficiei laterali cylindri circumscripti æqualem esse; hinc evidenter consequitur, millesimam superficiei hujus sphæræ partem millesimæ lateralis superficiei hujus cylindri parti æqualem esse; & sic de ceteris.

Cognitio hæc derivativa, quæ a propositione demonstrata evidenter fluit, & consequitur, *corollarium* dicitur; atque inter derivativas cognitiones censeri possunt eæ omnes, quarum objectum sunt veritates nonnullæ aut obscuræ, aut a se elucentes, quas evidenter ab aliqua alia veritate invicte statuta, ac demonstrata emanare videmus.

COGNITIONES ACTUALES, ET HABITUALES.

96. DEFINITIO. Ex cognitionibus nostris evidentibus aliæ actuales sunt, aliæ habituales.

I. *Cognitio actualis*, est perceptio præsens relationis inter res duas intercedentis. Exempli causa: hoc momento temporis cognitione intuitiva, & immediata, nulliusque ideæ mediæ ope, video, totum sua parte majus esse: *cognitio* hæc *intuitiva* est cognitio actualis.

Pari modo: ideam habeo trianguli, & quadrati ejusdem basis, & altitudinis; & idea me-

dia interveniente, qua triangulum in parallelogrammum mente converto, actu video superficiem trianguli dimidiæ quadrati superficiei æqualem esse: hæc *cognitio demonstrativa* & ipsa actualis est.

Item tertio: si hanc, vel illam veritatem a propositione prius demonstrata fluentem attendas: hæc *cognitio derivativa* ipsa quoque erit actualis cognitio.

II. *Cognitio habitualis*, est veritatis alicujus jam demonstratione perceptæ constans, & certa recordatio; etsi jam hujus demonstrationis media, & rationes mente exciderint. Exempli gratia: memini, me decem aut duodecim jam ante annos rationem superficierum sphæræ, & cylindri circumscripti investigasse; tunc vero omni evidentia deprehendisse, atque hoc accurata, & rigida demonstratione, sphæræ superficiem laterali hujus cylindri superficiei prorsus æqualem esse: hæc recordatio est cognitio habitualis.

Hæc habitualis cognitio nunc temporis mihi æque certa est, ac fuerit quum actualis erat. Omnino enim, & indubitanter certus memoria sum, alias rei hujus plenam me, accuratissimamque demonstrationem habuisse; ratione vero certissimus sum easdem, quæ tunc, nunc etiam sphæræ, & cylindri relationes esse. *Earundem relationum immutabilitas* inter res easdem immutabiles est idea media, qua actu convincor, & persuadeor, si sphæra, & cylindrus hic aliquando fuerunt superficie æquales, nunc etiam esse, semperque fore.

Ditissimus cognitionum nostrarum thesaurus sunt quas nunc dicimus *cognitiones habituales*. Quoniam non nisi in rem unicam, & singillatim clara, nitidaque idea intendere mens nostra potest; si tantum actualis objecti cognitionum nostrarum scientiam haberemus, scientia nostra nihilo æqualis esset; & hominum doctissimus unam ad summum veritatem sciret.

CRI-

CRITERIUM EVIDENTIÆ.

97. DEFINITIO. *Criterium evidentiæ* id dicitur, quod eam exiſtere nobis ineluctabiliter conteſtatur, quod eam nobis indubitanter cognoſcere, & ſentire facit; id demum, quo ipſa veritas apertiſſime a falſa veritatis ſpecie differt.

I. In cognitionibus noſtris intuitivis evidentiæ criterium eſt viſio ipſa immediata, & elucens objectorum, quæ a claris, atque diſtinctis ideis repræſentantur. Exempli cauſa: habeo ideam trianguli, & ideam quadrati; atque intuitive video, ſi in natura duo objecta ſint iis, quorum ideam, atque imaginem habeo, plane ſimilia, hæc duo objecta has, & has proprietates habitura.

Viſio hac intuitiva, & immediata rerum in earum ideis claris, atque diſtinctis eſt ipſiſſimum evidentiæ criterium in noſtris cognitionibus intuitivis.

II. In *cognitionibus* noſtris *demonſtrativis* evidentiæ criterium eſt evidens identitatis, aut æqualitatis relatio, quam mens percipit, ac videt inter ideas medias, quæ termini comparationis munus præſtant, & ideas extremas, quas idearum mediarum ope inter ſe comparamus. Exemplum ſit: habeo ideam trianguli, & quadrati ejuſdem baſis, & altitudinis, quæ invicem immediate comparare nequeo. *Ideam* itaque *mediam* creo, quæ mihi ſit terminus comparationis inter ideam trianguli, & ideam quadrati; quod aſſequor triangulum in parallelogrammum convertens. Hac idea media interveniente, parallelogrammum cum triangulo, & quadrato ſucceſſive comparans, clare video, parallelogrammum neceſſario, & eſſentia ſua eſſe æquale quadrato, & duplum trianguli; adeoque quadratum evidenter trianguli duplum eſſe.

Relatio hæc *ſenſibilis*, & *evidens* ideæ mediæ cum duabus extremis eſt ipſiſſimum evidentiæ criterium in cognitionibus noſtris demonſtrativis.

III. In *cognitionibus* noſtris *derivativis* evidentiæ criterium eſt ipſe evidens nexus inter veritatem ſolide ſtatutam, ac demonſtratam, & aliam veritatem ab hac ita ſtatuta, ac demonſtrata effluentem intercedens. Exempli gratia: poſita demonſtratione æqualitatis angulorum cujuſcumque trianguli duobus rectis; ex hac veritate demonſtrata evidenter fluere video, triangulum angulum unicum habere poſſe aut rectum, aut obtuſum.

Nexus hic *evidens* inter veritatem demonſtratam, & veritatem ex ea fluentem eſt ipſiſſimum evidentiæ criterium in cognitionibus noſtris derivativis.

98. NOTA. Ita anima noſtra apta eſt *exiſtentiam evidentiæ* ſentire in ſuis cognitionibus intuitivis, ſeu demonſtrativis, ſive derivativis, ut ſuarum ipſarum idearum exiſtentiam ſentire apta eſt. Quum vero evidentiæ ſenſum habet, ſenſum eum, inquam, firmum, tutumque, a claritate emanantem, qui attentione, & animadverſione roboratur, quod nulla obſcuritate, aut dubitatione incertum redditur, aut vacillans, jam de rerum, quas certas, atque evidentes judicat, veritate, æque certa eſt, ac de ipſa ſuarum idearum, & cogitationum exiſtentia eſſe poſſit.

I. Exemplum. Quum *trianguli æquilateri* ideam, aut imaginem in mente habeo, æque certus ſum, ſi in natura exiſteret objectum illi omnino ſimile, quod mente concepi, illud tres æquales angulos, & tria æqualia latera habiturum, ac certus ſum, me trianguli æqualibus lateribus, atque angulis compoſiti ideam in mente habere.

II. Rerum evidentia extra nos conſiderata potius hypothetica eſt, ut patet, quam abſoluta.

Mens

Mens nostra judicat summa certitudine, summaque evidentia, si res, quarum essentiam percipit, seu quibus hanc, vel hanc essentiam tribuit, ita re ipsa essent, ut in idea perceptæ sunt, eas necessario, & omnino eamdem naturam, easdemque proprietates habituras; atque in hoc fieri nequit, ut decipiatur.

CAPUT II.

RERUM VERITAS.

99. DEFINITIO. V*eritas* semper est conformitas inter duo. Hæc aut expressiva est, aut objectiva.

Veritas expressiva est conformitas ideæ, aut judicii, aut propositionis, aut picturæ, aut signi cum objecto expresso. *Veritas objectiva* est in objecto expresso existendi modus expressioni conformis.

Veritas ideæ est veritas repræsentationis. Veritas judicii est veritas assertionis mentalis. Veritas propositionis est veritas enunciationis. Veritas tabulæ est veritas imitationis. Veritas signi est veritas significationis.

Idea vera est, quum ejus objectum est ut ab idea repræsentatur. Judicium verum est, quum ejus objectum est ut mens illud esse judicat, seu quum mentis expressioni conforme est. Propositio vera est, quum ejus objectum est ut ab illa enunciatur. Tabula vera est, quum ejus objectum est ut in tabula coloribus expressum est. Signum verum est, quum ejus objectum est, ut signum, sive natura sua, sive hominum institutione, illud significat. Homo verus est, quum quod in illo re ipsa est, iis quæ apparent, conforme est.

PRO-

PROPOSITIONUM VERITAS, ET FALSITAS.

Veritas, & falsitas propositionum peculiari studio tractandæ sunt, & dilucide quid de his sentiendum sit explicandum, ut innumeræ cavillationes, quibus ansam præbere possunt, radicitus extirpentur.

100. EXPLICATIO I. *Veritas propositionis* in conformitate cum objecto suo sita est, quod ita sit, ut a propositione enunciatur. Hæc conformitas inter propositionem, & ejus objectum est *conformitas enunciationis* non vero conformitas naturæ, & existentiæ.

I. Perspicuum est, objectum enunciatum non esse unum ex intrinsecis constitutivis expressivæ veritatis, quæ tota consistit in *relatione conformitatis* inter propositionem, & objectum intercedente; cujus relationis propositio subjectum est, objectum vero terminus.

Existente igitur hac relatione conformitatis, propositio actu, & re ipsa veritatem habet, quæcumque sit, aut esse possit sui objecti natura; sive propositionis objectum existat, sive non, sive objectum re ipsa aliquid sit, sive tantum sit entis negatio, & in se nihil sit.

II. Evidens est, propositionem habere posse cum objecto non existente, cum negatione entis, cum nihilo *realem* conformitatem expressionis, aut enunciationis. Exempli causa: hæc propositio: *ante creationem mundus non existebat*, est actu vera, ratione conformitatis cum objecto suo, quod est non existentia mundi ante creationem.

Hæc quoque propositio: *Antichristus peccabit*, est actu vera, ratione conformitatis cum objecto suo, quod est peccatum futurum Antichristi; quod peccatum actu existentiam non habet, at habebit statuto tempore existentiam a propositione enunciatam,

101. EX-

101. EXPLICATIO II. *Falsitas propositionis* in defectu conformitatis cum objecto suo sita est, quod aliud est, ac a propositione enunciatur.

Posito hoc *conformitatis defectu*, propositio actu falsitatem habet, quæcumque sui objecti natura sit, quod æque ens *reale*, & positivum esse potest, ac pura entis negatio.

102. NOTA I. *Actio præsens quæcumque*, puta præsens Aristi deambulatio, tres propositiones veras reddit, quarum objectum erit præsens, præteritum, & futurum.

I. Hec actio presens primo veram reddit hanc propositionem, quam actu elicio: *Aristus ambulat*. Preterea veram efficit hanc aliam, quam heri elicui: *cras Aristus ambulabit*. Tandem hanc tertiam veram faciet, quam cras proferam: *Aristus heri ambulavit*.

II. Defectus, seu non existentia hujus ejusdem actionis has easdem tres propositiones falsas redderet; quippe quę non amplius cum suo objecto eandem *relationem conformitatis* quoad enunciationem haberent.

103. NOTA II. *Propositio vera* nunquam falsa evadere potest: semper enim *essentialiter* relationem dicit & ad circumstantias, in quibus effecta fuit; & ad circumstantias, propter quas effecta fuit; & fieri nequit, suum objectum simul, & in iisdem circumstantiis esse, & non esse ut a propositione enunciatur.

Atque hæc ratio est, quare *propositiones prophetica*, quę Salvatoris nostri futurum adventum enunciabant, nunc quoque eandem habeant veritatem, quam ante Salvatoris adventum habebant.

104. NOTA III. Inter propositiones veras, alię ęterna veritate, alię veritate contingente verę sunt.

I. *Propositiones æterna veritatis* eę dicuntur, quarum objectum nunquam aliter esse potuit, ac

ac a propositione enunciatur: eę, inquam, quę in nulla *hypothesi possibili* falsę esse possunt.

Exemplum. Hę propositiones: *Totum omnibus sui partibus simul sumptis æquale est. Deus potens, & sapiens est. Quadratum quatuor latera æqualia, & quatuor angulos æquales habet*; sunt propositiones ęternę veritatis; nulla enim fieri potest suppositio, hypothesis nulla effingi, in qua falsę sint.

II. *Propositiones veritatis contingentis* eę sunt, quarum objectum est, ut a propositione enunciatur; at quarum objectum aliter esse potuisset, ac a propositione enunciatur.

Exemplum. Hę propositiones: *terrestria corpora ad centrum terræ gravitant. Homo & mortalis, & peccator est. Alia vita erit aliquibus beata, aliquibus misera*; propositiones quidem verę sunt, sunt enim objecto suo conformes; at non nisi contingente veritate verę sunt. Si enim Deus mundum non creasset, aut si in mundo, quem creavit, alium rerum ordinem statuisset, propositiones hę modo verę, falsę fuissent.

§. IV.

RERUM POSSIBILITAS, ET EXISTENTIA.

QUarto hoc paragrapho de *Rerum essentia* agemus tum in earum statu possibilitatis, tum in earum statu existentię.

CA-

CAPUT PRIMUM.

RERUM ESSENTIÆ.

105. DEFINITIO. *Essentia rei* in genere ea dicuntur constitutiva intrinseca, quę necessario suum esse efficiunt, sine quibus prorsus existere nequit, & sine quibus mente concipi non potest.

Ex hac definitione sequitur, *entis cujusque essentiam sive notam, sive ignotam nihil esse ab hoc ente distinctum*: hęc est pars huius entis distinctiva, ab eoque inseparabilis, nisi etiam totum hoc ens ipsa sit (*).

ESSENTIA ENTIUM PHYSICORUM, ET ENTIUM ABSTRACTORUM.

106. EXPLICATIO. Res, quarum essentia investigatur, atque perpenditur, aut *Entia physica* sunt, quę essentiam ab ideis nostris minime dependentem habent; aut *Entia abstracta*, quę nullam aliam essentiam habent, nisi quam illis tribuit, aut assignat mens nostra per ideas, quas de iis sibi efformat.

I. *Essentia entium physicorum*, sive materia constent, sive non, nihil est aliud, nisi constitutivorum intrinsecorum collectio illis a natura datorum, unde proprietates, quas in iis deprehendimus, emanant.

Exemplum: *Leonis essentia* est hęc intrinsecorum constitutivorum collectio, quę illi has peculiares qualitates, has proprietates, hunc peculiarem

(*) *ETYMOLOGIA. Essentia: brevi: Essentia entium est id, quod intrinsece facit* esse entia.

rem existendi, & agendi modum impertiuntur.

Pari modo, *essentia auri* est intrinsecorum constitutivorum collectio, quę efficiunt, ut quęlibet hu'us metalli portio hanc peculiarem habeat duritiem, gravitatem, ductibilitatem, fusibilitatem, densitatem, hunc peculiarem colorem, hunc in se, & respectu nostrum existendi modum.

II. *Essentia entium abstractorum* est collectio constitutivorum intrinsecorum, quę mens nostra in suarum idearum abstractarum objectis percipit, aut iis affingit.

Exemplum. Trianguli rectilinei mihi ideam efformo; & noto quęnam proprietates essentiales, & minime separabiles ab hoc ideę meę objecto emanent, aut enascantur, sive hoc objectum existat, sive non extra mentem meam existat. Hęc *constitutivorum intrinsecorum collectio*, quam in hoc *ideali* triangulo noto, aut illi affingo, est hujus objecti metaphysici, trianguli hujus scilicet in idea mea abstracta repręsentati, essentia.

107. NOTA I. Mens nostra entium abstractorum essentias optime percipit; at non nisi imperfecte admodum entium physicorum essentias dignoscit. Unde nam in duabus hisce cognitionum speciebus tanta diversitas?

I. Ideo mens nostra *essentias entium abstractorum*, cujusmodi sunt objecta Geometrię, & moralis philosophię, tanta perspicuitate dignoscit, quia hęc entia nil aliud sunt, pręter suarum idearum objecta; neque hęc aut sunt, aut quidpiam in se habent, nisi quod illis mens ipsa tribuit, quodque intuitive percipit.

Exemplum. Habeo ideam circuli, seu figurę planę, cujus omnia peripherię puncta a quodam puncto, quod centrum est, ęque distant: hoc ideę meę objectum est ens abstractum, ac metaphysicum, quod a natura nihil habet, neque alia habet constitutiva, pręterea, quę ego illi ap-

appono, aut in eo adnoto, & summa perspicuitate percipio. Summa igitur, perfectaque evidentia video, si extra me circulus existeret illi, cujus ideam habeo, omnino similis, circulum hunc necessario hanc determinatam essentiam, has ipsas peculiares proprietates habiturum: atque hoc tantum, nec ultra quidquam, de illo mente affirmo, prescindendo ab iis omnibus, quę preterea extra mentem in statu physico habere posset (60).

II. Ideo *entium physicorum essentias* tantum imperfecte admodum mens nostra dignoscit, uti Deum, materiam, animam hominis, aut brutorum (90); quia entia hęc essentiam habent ab ideis nostris minime pendentem, quamque, non nisi summa difficultate, observationes, meditationesque nostrę attingere possunt.

Exemplum. Perspicuum est, essentiam materię, spiritus, auri, æris, hominis, leonis, aquę, aeris, aliorumque nec esse, nec esse posse nisi horum diversorum entium intrinseca constitutiva; quę quidem mens nostra scrutari potest, at quę mens ipsa iis non affingit; quę in iis ab eorum sensibilibus effectibus, aut a sensibilibus eorum qualitatibus nos quidem dignoscere, aut arguere possumus: at quę in se ipsis intueri, & clare inspicere nequaquam possumus; mentis enim aciem, qua intuitu immediato deprehendantur, effugiunt.

108. NOTA II. *Essentia entium abstractorum*, cujusmodi sunt Geometrię objecta omnia, dialecticę ferme omnia, moralis philosophię nonnulla, passim est *objectum cognitionis intuitivæ*, quę immediate videt constitutiva rerum intrinseca, in ideis ipsis, quas rerum habemus (95).

Essentia entium physicorum, cujusmodi ea omnia sunt, quę extra ideas nostras existunt; est, aut esse potest *objectum cognitionis demonstrativæ*, quę ex effectibus notis ad causas ignotas ascendit, queque modo majori, modo mino-

ri

ri claritate ignotam rerum essentiam detegit a sensibilibus proprietatibus, quas ex iis enasci, aut iis adhærere videt.

ESSENTIA PHYSICA, ET ESSENTIA METAPHYSICA UNIUS, EJUSDEMQUE REI.

109. EXPLICATIO. Rerum essentia sive nota, sive ignota ea sit, in physicam, & metaphysicam dividitur; & hoc ratione diversi status, in quo considerari possunt intrinseca, & essentialia constitutiva ejusdem entis aut existentis, aut pure possibilis.

I. Essentia entis dicitur *essentia physica*, quum entis hujus essentialia constitutiva, nulla abstractione, ut in se ipsa sunt considerantur. Exempli causa: corpus organicum, & anima spiritualis essentiam physicam hominis sive existentis, sive possibilis mutua unione constituunt. Ita, tres anguli, & tria latera trianguli sive existentis, sive possibilis physicam essentiam constituunt.

II. Entis essentia dicitur *essentia metaphysica*, quum hujus entis constitutiva essentialia in abstractionis statu considerantur per ideas proprietatum genericarum, & differentialium. Exempli causa: sentiendi facultas per organa, qua cum brutis confunditur, & ratiocinandi facultas, qua a brutis distinguitur, metaphysicam hominis sive existentis, sive possibilis essentiam constituunt.

110. NOTA I. *Physica entis cujuscumque essentia, non est ab ejus essentia metaphysica re ipsa distincta*: non enim est nisi una eademque res diverso modo considerata; neque intrinseca rei hujus constitutiva naturam mutant propterea quia diverso modo considerentur; modo scilicet in abstractionis statu, modo extra hunc abstractionis statum.

111. NOTA II. *In ente quocumque essentia*

post

possibilis a possibili existentia non est distincta; neque essentia creata, seu producta, ab existentia physica. Essentia enim, & existentia cujuscumque entis nihil sunt præter eadem constitutiva modo considerata ut pure possibilia, modo ut re ipsa existentia.

ESSENTIARUM PHYSICARUM COGNITIO.

112. PROBLEMA. *Quomodo mens humana ad entium physicorum, sive entium extra ejus ideas existentium essentiam dignoscendam, uti spirituum, corporum, diversarum brutorum, aut plantarum specierum, pervenire possit, explicare.*

SOLUTIO. Facile sane est generalia principia, quæ præclaro huic problemati solvendo inservire possunt, indicare. At non ita facile est ostendere, generalia hæc principia apte ad perfectam ducere problematis solutionem (90 & 106).

Nobis minime datum est *entium physicorum essentias* in se ipsis intuitive conspicere; reliquum itaque nobis est, ut has entium physicorum essentias percipiamus, si fieri potest, ac detegamus vel per *sensibiles qualitates*, quas illis constanter adhærere videmus, vel per *sensibiles effectus*, quos ex iis produci constanter videmus. Unicum hoc fundamentum est cognitionum quarumcumque magis, minusve certarum, quibus essentias, sive intrinseca, & inseparabilia entium physicorum constitutiva attingere possimus.

I. Rebus nos circumsepi videmus, quas corpora vocamus; quæque nobis sensibiles fiunt diversa resistentia, diversa figura, diversa gravitate, aliisque hujusmodi (107).

Hinc idea, quam nobis *essentia corporum* efformamus; quam essentiam concipimus sive ut subjectum physicum, cui diversæ hæ qualitates sensibi-

sibiles inhærent, sive ut causam physicam, a qua diversi hi sensibiles effectus producuntur.

II. In nobis vero notamus esse & cogitationes invicem colligatas, & opiniones quas animadvertimus, & ratiocinia continenter producta, quæ nobis *experimentali sensu* sensibilia fiunt, quæque neque pure materialis substantiæ sensibilem effectum, neque sensibilem proprietatem esse ineluctabiliter judicamus.

Hinc *essentia spirituum*, quam nobis efformamus, idea; quam essentiam concipimus tamquam subjectum physicum, & immateriale, cui hæ cogitationes, hæ opiniones, hæc ratiocinia adhærent, sive ut causam physicam, a qua proveniant.

III. In nobis, & in nostrum similibus sensibiles qualitates, effectusque sensibiles observamus, quæ omnia substantias duas, corpoream unam, spiritualem alteram enunciant.

Hinc idea, quam nobis efformamus, *essentia hominis*; quam essentiam concipimus ut subjectum mixtum, atque compositum, cui adhæret, aut tamquam causa mixta, atque composita, unde fluit quidquid proprietatum sive materialium, sive spiritualium in homine detegimus.

IV. In brutis observamus voluptatis quosdam, ac doloris sensus, qui a corporea substantia proficisci nequeunt; non ita tamen in iis deprehendimus cogitationes reflexas, quæ spiritualis substantiæ ministerio fieri deberent.

Hinc idea, quam *essentiæ animæ brutorum* nobis effingimus, quam essentiam concipimus ut subjectum physicum, sive ut causam physicam sensus; non vero quoque ut subjectum physicum, aut ut causam physicam cogitationis.

Hinc idea essentiæ mediæ inter spiritus, & corporis essentiam; *essentia sensibilis, & non intelligentis*, quæ neque corpus, neque spiritus est.

V. In magna naturæ visibilis universitate mi-

miram harmoniam observamus, quæ Principium infinite activum, & infinite intelligens supponit, a quo partes omnes effectæ, ac coordinatæ fuerint, quodque necessario, & a se æternum extiterit.

Hinc idea, quam nobis efformamus *essentiæ entis increati, & creantis*; quam essentiam concipimus sive ut subjectum æternum omnium infinitarum perfectionum, quæ a visibilis naturæ productione, & conservatione enunciantur, & supponuntur; sive ut causam æternam mirabilium sapientiæ, & potentiæ effectuum, qui aliquando ex infinitis hisce perfectionibus prodierunt.

VI. Nos ubique videmus diversas brutorum, stirpium, fossilium species, quæ nos diversis modis afficiunt resistentia, figura, colore, sono, sapore, aliisque, atque aliis nascendi, vegetandi, sibi similia producendi, putrescendi, pereundi modis.

Hinc idea, quam nobis effingimus *essentiæ diversarum specierum*, animalium scilicet, vegetabilium, fossilium; quam essentiam concipimus sive ut subjectum physicum, sive ut causam physicam collectionis hujus qualitatum sensibilium, sive effectuum sensibilium, quibus species quæque distinguitur.

Exempli causa, leonem videmus easdem constanter qualitates habere, eandem figuram, easdem proprietates, eundem existendi, & agendi modum; nosque id vocamus *leonis essentiam*, unde venit, aut in quo residet id omne, quo species ista animalis ab aliis distinguitur.

Non secus aurum videmus constanter eadem duritie, ductibilitate, specifica gravitate, in igne densitate, aquæ regiæ affinitate præditum; & *essentiam auri* dicimus id in quo residet, aut a quo enascitur id omne, quo hanc metalli speciem ab aliis distingui videmus.

113. NOTA. Cognitiones nostræ *rerum es-*

sentias respicientes magis, magisque perfici possunt; semper enim in rebus aut alias sensibiles qualitates, aut alios, atque alios sensibiles effectus detegere possumus, qui earum essentias indicent, nobisque magis, magisque patefaciant. At nova, ac nova hæc ad essentias rerum dignoscendas adjumenta comparando, non propterea *novas* in iis *essentias* detegimus: tantum jam notas essentias aptius cognoscimus; neque enim quod ignotum in rebus erat destruit quod notum erat. Exempli gratia: telescopia, & microscopia serius inventa novis innumeris cognitionibus hominum mentes ditaverunt; non tamen ullam ex antiquis cognitionibus destruxerunt.

I. Pari modo, si planetas incolunt, ut tam sæpe objicitur, creata intelligentia, quæ *majorem sensuum numerum*, quam nos habeant, minime dubium est, ea naturam modis nobis omnino ignotis dignoscere; non tamen profecto in ea quidpiam vident cognitionibus oppositum, quas nos habemus, quasque nobis quinque nostri sensus impertiuntur (14).

II. Item, quascumque vicissitudines humanæ cognitiones subituræ sint, certi tamen sumus, novas in rebus essentias minime detectum iri, neque in natura *novam naturam*; nam cognita, in eo, quod sunt, cognita sunt; licet non in iis omnibus, quæ sunt, cognita sint.

III. Tandem, quidquid tam acute excogitatum, tanta verborum pompa prolatum, tandiu repetitum ac recusum est a Lockio, ut probaret, rerum essentias nihil esse, nisi *ideas conventionis*, quarum ope in species distribuuntur; nihil in ullo individuo esse illi essentiale; si intimam hominis constitutionem perfecte dignosceremus, nos ejus essentiæ ideam habituros omnino ab ea diversam, quam nunc habemus: hæc omnia, inquam, nil sunt omnino, nisi pura puta idearum paradoxa, in quibus om-

nia

nia præpostere visa sunt, omnia falso innituntur.

114. ASSERTIO. *Individuales rerum essentiæ sive notæ sint, sive ignotæ, sunt reales, distinctæ, necessariæ, immutabiles, æternæ.*

EXPLICATIO. *Individuales rerum essentiæ* sunt ea constitutiva intrinseca, & inseparabilia, sine quibus eæ existere nequeunt, neque concipi possunt. Hic tantum ostendendum est quo sensu illis conveniant eæ proprietates, quas in assertione nostra indicavimus.

I. *Individuales rerum essentiæ sunt reales*; hoc est, non sunt hæ tantum *ideæ conventionis*, quarum ope in species referantur; neque puræ rerum denominationes, seu, ut eas vocat Lockius, *essentiæ nominales*; imo sunt vere, & re ipsa existentes, sunt rerum constitutio intrinseca, & ab iis inseparabilis, a qua emanant, aut cui adhærent proprietates, quas in ipsis detegimus (112).

Hæ reales rerum essentiæ sæpius parum, aut male admodum a nobis dignoscuntur; neque enim intimam hanc constitutionem, in qua sitæ sunt, dignoscere possumus, nisi quorundam indiciorum ope, a quibus sæpe non nisi summa obscuritate, & admodum imperfecte enunciantur. At sive notæ sint, sive ignotæ, non propterea quid reale in rebus esse desinunt; quandoquidem nihil ipsæ sunt, nisi hæc constitutiva intrinseca, & inseparabilia, per quæ res existunt, aut existere possunt.

II. *Individuales rerum essentiæ sunt distinctæ*; una essentia scilicet nullo pacto est alia essentia: hominis essentia, exempli causa, nullo pacto aut alterius hominis, aut leonis essentia est; neque *essentiæ communes* habentur, quas participent aut species diversæ, aut diversarum specierum individua (331 & 341).

In una, eademque specie individuorum essentiæ similes sunt respectu nostrum, nobisque se-

se offerunt tanquam unum, idemque objectum; nihil enim earum *alteritatem*, aut differentiam nobis indicat. At re ipsa non ideo essentiæ hæ similes minus invicem perfecte distinctæ sunt aut simplici alteritate, aut imperceptibili differentia; & essentia hominis A non magis est essentia hominis B, quam primus alter sit.

III. *Individuales rerum essentiæ sunt necessaria*. Non sane hoc sensu, ut sint nempe necessario existentes; & hoc alio, ut scilicet, si reapse existant, illæ hæc, & hæc determinata constitutiva habere debeant, sine quibus fieri nequit, ut existant.

Exempli gratia: non sane necesse est triangulum existere; at si existat, necessario tres angulos, & tria latera habere debet; secus esset triangulum suppositione, & re ipsa triangulum non esset.

Pari modo, minime necesse est hominem existere; at si existit, necessario & corpus organicum, & animam spiritualem habere debet; alioqui homo esset, & non homo.

IV. *Individuales rerum essentiæ sunt immutabiles*. Intellige, rei alicujus essentiam in alterius essentiam mutari non posse; secus res esset quod est, & non esset quod est.

Exemplum. Deus hominem actu existentem ad nihilum redigere potest, & ejus loco leonem, qui adhuc non existit, creare; at essentiam hominis in leonis essentiam mutare nequit, seu facere ut essentia hominis evadat essentia leonis; essentia enim hominis natura sua essentiam leonis necessario excludit, uti leonis essentia natura ipsa sua essentiam hominis necessario excludit.

Ita loco trianguli, quod deleo, quadratum describere possum; at efficere nequeo, ut triangulum sit quadratum, aut quadratum triangulum; res enim hæ sunt, quarum una alteram natura sua, & necessario excludit.

V.

V. *Individuales rerum essentiæ sunt æternæ.* Ne intelligas eas æternum fuisse quid physicum, & existens: verum intellige, eas nunquam esse posse cœpisse: eas semper objectum intelligibile fuisse, objectum verum, objectum idearum divinarum: eas omni tempore, & in omni hypothesi tales esse debuisse, quales concipiuntur, si eas Creator existere fecisset.

Quidnam erat mille ante annos, millies mille ante annos individualis essentia mea? Nihil physicum, aut existens; at ea erat mea ipsa constitutiva intelligibilia; erat talis corporis, & talis animæ conjungibilitas; erat tale objectum idearum, & finium creatoris ante omnia tempora existentia, ante omnia tempora intelligibilia. Hæc eadem essentia intelligibilis, a tota æternitate possibilis, statuto tempore existens effecta est. En unum idemque ens intelligibile in duplici diverso statu: *in statu* scilicet *existentiæ*, & *in statu puræ possibilitatis*, quæ duo paulo infra explicabimus.

QUÆ ESSENTIARUM IMMUTABILITATI OPPONUNTUR.

115. OBJECTIO. Pleræque diversę substantiarum species, quę observationum, atque investigationum nostrarum objecta sunt, perpetuis mutationibus sunt obnoxię, quę in iis perpetuam *essentiæ mutationem* necessario trahere videntur; substantiarum enim harum essentia nequit esse ab earum intrinsecis constitutivis re ipsa distincta; non igitur rerum essentię sunt immutabiles.

Exempla. Glans, seu fructus quercus primum in arbusculam mutatur, deinde in ingentem ejusdem naturæ arborem. Ovi sive gallinæ, sive columbæ germen fœcundatum fit animal illius speciei. Aer, aqua, sales, terrestres succi in diversas regni tum animalis, quum vegeta-

bilis substantias trasformantur; atque hæ utriusque regni substantiæ quum dissolvuntur, & in partes minimas abeunt, aeri, aquæ, terræ immiscentur, ubi ad novas metamorphoses aptantur, & disponuntur. Quomodo inter tot, tantaque phœnomena individualium essentiarum immutabilitatem in natura admittas?

RESPONSIO. Ut omnibus, quæ contra *essentiarum immutabilitatem*, quæ humanarum cognitionum basis, & fundamentum est, ad radicem securim ponamus, nonnulla generatim adnotemus oportet, quæ ad ejus ideam apte statuendam plurimum valent.

I. *Immutabilitas essentiæ* in eodem ente individuo est tantum *immutabilis permansio constitutivorum essentialium hujus entis*, quamdiu hoc ens existit, & perseverat: sive constitutiva hæc sint substantia quædam simplex, atque individua, quæ nullius intrinsecæ alterationis, aut partium additionis, & deperditionis capax sit; sive ex determinata quadam diversarum substantiarum collectione fiant, quæ invicem sejunctæ esse possint.

Qua ratione ad rerum essentias cognoscendas perveniamus, quantaque, & quænam sit nostra hujusmodi cognitio, jam supra ostendimus (112 & 36).

In quo sita sit, & quomodo subsistat *identitas essentiæ, seu naturæ individualis* in eodem, & unico individuo, alibi explicabimus: puta, in eodem spiritu, in eodem homine, in eadem planta, & sic de ceteris; quomodo quoque ab uno in aliud individuum *identitas essentiæ, seu naturæ specificæ* transmittatur, & propagetur, in rebus ejusdem speciei, quæ per se ipsas iterum producuntur: exempli gratia, a patre in filium, a gallina ad pullum, a planta ad germen, quod ab ea assurgit, & ejus existentiam multiplicare, ac veluti æternam reddere videtur (135 & 334).

II. Na-

II. Naturæ, & essentiæ immutabilitas nulli opposito obnoxia esse potest in substantiis simplicibus, & indivisibilibus, ac propterea ab omni alteratione, & corruptione immunibus; cujuscmodi spiritus quoscumque esse supponemus.

Perspicuum est, *essentiam individualem*, quæ in simplici, indivisibilique natura consistit, quæ nulla elementarium partium conjunctione componitur, nulli intrinsecæ mutationi obnoxiam esse posse, qua naturam mutet; patet etiam, si hujusmodi essentia ita existit, ut essentialem, & inamissibilem existentiam non habeat, eam ad nihilum redigi posse, & esse desinere, non vero cum natura a sua diversa existere unquam posse.

III. Essentiæ, & naturæ immutabilitas in *rebus* quoque *compositis* persistit, in iis scilicet, quæ ex determinata partium constituentium conjunctione habentur; exempli gratia, in triangulo, in vitis palmite, in æris, aut ferri massa, in aeris, aut aquæ portione quapiam; ex ipsa etenim rerum idea repugnat, essentiam individualem esse unquam, aut fieri id, quod ipsa a se necessario excludit; & quævis individualis essentia quamlibet aliam diversam essentiam a se necessario excludit.

Exemplum. Fieri quidem potest, tres lineas triangulum componentes, quæ trianguli essentiam constituunt, tres evadere ex iis, quæ parallelogrammum, sive trapezium efficiant; at non propterea minus verum est, *repugnare triangulum fieri unquam aut parallelogrammum, aut trapezium*; idea enim trianguli non tantum tres lineas includit, at talem trium linearum quoque dispositionem; repugnat vero talem trium linearum dispositionem esse unquam aliam quatuor linearum dispositionem.

Pari modo, facta hypothesi, materiam & homogeneam, & indefinite divisibilem esse, diversitatem vero corporum a diversa figura, di-

versaque suarum partium elementarium mixtione, & conjunctione duntaxat enasci (*Phys.* 144, 189, 192); fieri omnino potest, aereæ substantiæ portionem in aqueam substantiam transformari; marmoris frustum in ferri, aut argenti massam immutari: idem de aliis dicas; at vero non propterea minus repugnat, *aeris essentiam* esse, aut fieri unquam essentiam aquæ, *marmoris essentiam* esse, aut fieri unquam ferri, aut argenti essentiam; idea siquidem portionis aeris, aquæ, marmoris, ferri, argenti semper necessario includit, aut supponit non modo substautiam extensam, at quoque talem determinatam figuram, talem determinatam mixtionem, & conjunctionem partium elementarium substantiæ aeris, aquæ, marmoris, ferri, argenti; repugnat vero, talem determinatam figuram, conjunctionemque partium elementarium determinatam substantiarum speciem constituentium esse unquam aliam figuram, aliamque harum ipsarum partium elementarium conjunctionem.

116. NOTA. I. In eadem individuali substantia, quæ a plurium substantiarum materialium congregatione componitur, *constitutiva* alia *essentialia* sunt, quæ amittere nequit, quin id, quod est, esse desinat; alia *accidentalia constitutiva* sunt, quæ amittere potest, quin esse desinat id, quod est.

Exemplum. Patet hominem firma ætate valentem unam, aut alteram sanguinis libram, seu pinguedinis portionem aliquam, quin & virium partem amittere posse, quin *humana essentia* suæ quidpiam amittat; hæc enim amissio ab eo tantum aufert constitutiva quædam naturę suæ accidentalia; iis quippe amissis, quidquid humanam naturam essentialiter constituit, atque distinguit, omnino servat, ac retinet (105).

Nec secus, marmoris frustum recens e lapi-
di-

dicina eductum partem humidæ substantię suę amittere potest in aperto aere durescens, quin *natura*, & *essentia lapidis* quidquam amittat. Hæc enim superabundans humidis pars ejus naturæ accidentalis est.

Idem dicas de aquæ phiala, quæ non propterea naturam aut *essentiam aquæ* amittit, quod sibi immisceat quandam heterogenearum substantiarum portionem, quas dissolvit sive a majori caloris gradu, quo liquida est, ad minorem caloris, sive ad majorem frigoris gradum transeundo, quo concrescit, & in glaciem vertitur: diversæ enim hę partes heterogeneę, quę integrantibus aquę partibus immiscentur, intrinseca constitutiva non immutant, quæ ejus naturam, atque essentiam efficiunt.

117. Nota II. Non ita res haberet, si marmor hoc, & hæc aquæ phiala ita in *partibus constituentibus* immutarentur, ut ratione homogeneitatis, & indefinitæ materiæ divisibilitatis, molecularum congeries aquea elementa in aqua constituens, & molecularum congeries marmorea elementa efficiens in marmore in aliam molecularum congeriem immutaretur, atque transformaretur aptam efficere elementa aerea, aut ignea, aut metallica, aut alia alius speciei elementa.

In hac enim hypothesi *individualis* aquæ, aut marmoris *essentia* jam destructa esset, ejusque loco alia individualis essentia producta: quod profecto non est essentiam in essentiam alteram mutare; at essentiæ, quæ destrui potest, aliam essentiam, quæ produci potest, subrogare.

118. NOTA III. In substantiis quibuscumque vitalem organorum structuram habentibus, quæque aliquandiu crescunt, aliquando depereunt, *essentia individualis ejusdem entis*, majorem, minoremve vigórem, extensionem, perfectionem adipisci potest; at re, & natura semper eadem

perseverat, donec eadem essentialia constitutiva, & eadem vitalia organa perseverant.

In materialium substantiarum speciebus *essentia individuales* modo lentius, modo celerius destruuntur; ac fere semper frustatim, & per partes pereunt antequam penitus destruantur.

Passim quoque essentiæ individualis destructio alterius individualis essentiæ formationi, sive conservationi locum parat; quod minime sane probat, essentiam unam in aliam converti, & commutari: at unice tantum, naturam sive essentiam depereuntem id præstare, quo alia sive essentia, sive natura exoriatur, aut conservetur.

NATURA, ET TRANSFORMATIO CORPORUM.

119. OBSERVATIO I. Norunt naturæ studiosi in magna materialis naturæ officina *novas transformationes* continenter fieri: exempli caussa, hic terram lapidescere, illic lapidem in terram verti; in universa trium terrestrium regnorum ditione plurimas materiales species in alias materiales species assidue immutari. Quid ad hoc opus est, posita materia eas constituente homogenea? pura ad hoc partium integrantium, & partium constituentium dissolutio sufficit.

I. Exemplum. Pone *alicujus salis essentiam* a tali alkalicarum, & acidarum partium quantitate constitui. Ope chemiæ acidas ab alkalicis separa. Non jam priorem salis speciem habebis; tunc enim hæc esse desiit, quum acidæ alkalicis particulis alligatæ esse desierunt; & prioris hujus speciei salis loco duas alias habebis, quæ ex partium integrantium, & priorem constituentium separatione prodierunt (*Phys.* 7, 173, 174).

II. Exemplum alterum, Corpus quodcumque men-

mente concipiamus primo, sive illud re ipsa, sive tantum in idea sit, elementis tantum cubicis, & naturali affinitate intime invicem colligatis compositum. Corpus hoc *propriam*, & *determinatam essentiam* habebit, quæ ex figura, & conjunctione suarum partium elementarium exorietur.

Concipiamus inde, naturam, sive ejus Auctorem, omnia hujus ejusdem corporis cubica elementa in innumera sphærica elementa mutare, iis eam omnem contiguitatem concedendo, quam nova hæc eorum forma habere potest. Hac mutatione novam habebimus corporis speciem, quod *aliam propriam*, *ac determinatam essentiam* habebit a nova partium elementarium figura, ac dispositione procedentem (*Phys.* 189, 192).

120. OBSERVATIO II. Ut hanc *naturæ diversitatem* simplici admodum, obviaque idea percipiamus, quam porro diversitatem nos in materialibus substantiis passim videmus, & sive diversæ figuræ, sive diversæ mixtioni, & conjunctioni partium elementarium, sive ambabus simul hisce causis tribuimus; concipiamus, quos casus offeret, quatuor literarum typos, puta hos: *a*, *m*, *o*, *r*; qui & atomos diversa singulas figura donatas, & atomos simul diversis modis conjungi aptas referre possunt.

I. Patet primo, quatuor hos typos diversa singulos figura donatos, diversa in rectum positione juxta collocatos, hanc primam seriem exhibere *amor*, aut hanc alteram *roma*, aut tertiam hanc *maro*, aut quartam *mora*, aut quintam *oram*, aliasque; patet insuper, unamquamque ex his collectionibus aptam esse diverso modo in me afficere tum visus, tum tactus organum; & in me, in mea nempe intelligente, sensibilique substantia, diversam figuræ, & resistentiæ perceptionem excitare.

Vides jam qua ratione naturæ Auctor, in

materiæ homogeneæ hypothesi, ex dato diversæ figuræ elementorum numero innumera diversa corpora effingere potuerit, quorum diversitatem diversæ, quibus organa nostra afficient, impressiones, diversæ, quas in anima excitabunt, perceptiones, prodent, & enunciabunt; sive id ut causæ efficientes, sive ut causæ occasionales præstituræ sint.

II. Patet præterea, data quavis peculiari quatuor horum typorum compositione, puta hac: *amor*, huic appositam fore determinatam naturam, *peculiarem essentiam*, quæ in hoc sita erit, ut apta sit definito quodam modo sensus nostros afficere, & definitas quasdam ideas in anima excitare.

Vides hinc iterum qua ratione, a determinata quorumdam elementorum conjunctione emerget *peculiaris cujusque corporum speciei essentia*; quæ in unaquaque hujusmodi collectione nihil est aliud, nisi peculiaris, & permanens dispositio ad excitandas in nobis definitas quasdam organicas affectiones, & definitas quasdam mentis sensationes; quæ omnia præstat figura, elementarium partium conjunctione, aptaque mixtione, quin & naturæ Auctoris ita ab initio generatim statuentis, & perpetuo esse volentis decreto.

III. Neque minus perspicuum est, typos quatuor hanc peculiarem, ac determinatam seriem *amor*, componentes, aut calore dilatari, aut frigore constringi, aut humiditate invicem removeri, aut a tempore omnia conterente sensim corrodi posse, quin *peculiaris* determinatæ hujus collectionis *essentia* re ipsa immutata sit: & si quatuor hi typi, ut actu sunt dispositi, vitalia organa haberent, quæ, ut plantis, ac brutis, & augmentum omnibus partibus consentaneum consequenter præberent, & decremento, ac dissolutione pariter partium omnium tandem perirent; in his succedentibus status

vi-

vicissitudinibus peculiaris hæc essentia naturam prorsus non immutaret, imo re ipsa *eandem* semper *moralem identitatem* servaret, quin illi accidentales hæ mutationes officerent; semper enim ab eadem determinata partium conjunctione, & mixtione emanaret, & eandem semper intrinsecarum proprietatum speciem retineret, eandemque vim ad determinatas organicas impressiones, easdemque in mentem perceptiones excitandas.

Vides preterea qua ratione mutationes quedam accidentales in pluribus materialibus substantiis evenire possint, præcipue vero in animalibus, & vegetabilibus substantiis, quin harum naturam, & essentiam reapse immutent; hæ quippe semper *moraliter* eædem perseverant, quamdiu sive sub majori, sive sub minori partium integrantium, & constituentium massa easdem elementorum species servant, eandemque harum elementorum dispositionem.

IV. Neque vero minus in aperto est, in hac determinata typorum dispositione, *amor*, peculiarem in expressionis, & significationis genere essentiam constituente, me cuilibet ex his typis alium ejusdem materiæ, & formæ typum posse sufficere, quin essentia hujus typorum collectionis re ipsa immutata sit; quandoquidem post hanc etiam mutationem eadem etiam apparebit, & pari ratione idem significabit, & eadem prorsus munera præstabit.

Hinc collige, in quibusdam corporum speciebus, quorum natura perpetuo quodam molecularum nutrientium accessu, fluxuque perseverat, *essentiæ identitatem* perpetua additione, ac emissione substantiarum naturę suæ analogarum nequaquam destrui.

V. Patet tandem, si in eadem determinata typorum dispositione eos ita loco mutem, ut hac alia omnino diversa componantur, *roma*; me primum existendi modum, atque hoc ipso

pri-

primam eorum *essentiam* radicitus destructurum; primam enim dispositionem amittentes, novaque collocati, non amplius easdem in organis impressiones efficere, nec easdem in anima perceptiones excitare apti erunt; nosti siquidem, in hac intrinseca proprietate, qua ita sensus nostros afficere poterant, eorum peculiarem essentiam in genere collectionis sitam esse.

Eadem quoque haberetur *essentiæ destructio*, imo potiori jure, si huic quatuor typorum collectioni novus aliquis typus, aut plures adderentur. Tunc enim ex præcedenti collectione *amor*, efficere possem, *romam*, *normam*, & alia hujusmodi, quę multo longius a prima distarent. Idem contingeret, eademque essentiæ destructio haberetur, simplici unius ex his typis subductione, puta, secundi; tunc enim e voce *amor* efficere possem *ora*, quę vox neque oculo, neque menti eandem imaginem, eandemque ideam exhiberet.

Vides jam qua ratione in his materialibus substantiis, quas natura assidue componit, dissolvitque *primitivæ essentiæ* alia essentia succedat existere incipiens. Ad hoc essentialis in primitiva compositione mutatio satis est, sive mutatio ista fiat primorum constitutivorum, quibus subjectum distinguebatur, amissione, quin nova his similia, quæque his suffici possint, adipiscatur; sive primis distinguentibus constitutivis adhuc perseverantibus, nova, & diversæ speciei constitutiva obtineat, quæ in illo *novum aggregatum* efficiant, & a prima diversam compositionem, quæ ad primas affectiones organorum excitandas inepta, novas & omnino diversas in iis excitare apta sit. In utroque casu prima compositio, prima constitutio, essentia prima jam periit; atque his nova compositio, nova constitutio, novum aggregatum, essentia nova successit.

CA-

CAPUT II.

RERUM POSSIBILITAS.

121. DEFINITIO. ID omne *Possibile* dicitur, quod est existentię capax. Exempli gratia: Deus est possibilis; habet enim, ac proinde habere potest æternam, & essentialem existentiam. Entia omnia creata possibilia sunt; habent enim, ac proinde habere possunt contingentem, & accidentalem existentiam. Omnes homines intelligibiles, qui aliquando existent, aut existerent si Creatori liberet eos existentes reddere, possibiles sunt; capaces enim sunt existentię, quam non habent, ab Omnipotentis actione creatrice suscipiendæ. Hinc colliges quid *impossibile* dici debeat, id nempe omne, quod existentię incapax est.

I. *Entis* cujuscumque *possibilitas* id est, quod illud efficit intrinsece, & formaliter possibile, seu existentiæ capax; pari ratione *Entis* cujuscumque impossibilitas id est, quod illud reddit intrinsece, & formaliter impossibile, sive existentiæ incapax.

II. At vero hic caute distinguas oportet *possibilitatem extrinsecam*, *& causalem* a *possibilitate intrinseca*, *& formali*.

Prima potentiam causę existentiam tribuendi, directe exprimit; altera facultatem, quam subjectum habet existentiæ recipiendæ, directe exprimit. Porro *facultas* hęc *existentiæ recipiendæ* est possibilitas formalis entium omnium contingentium, seu veluti forma intrinseca, quæ ea reddit possibilia in se ipsis.

Cartesius, & Leibnitius rerum possibilitatem in *Dei omnipotentia* statuentes, possibilitatem causalem pro formali possibilitate evidenter po-

sue-

fuerunt (*a*). Hinc in eorum principiis, horumque usu ambiguitates innumeræ, errorefque quamplurimi deprehenduntur, quibus fieri nequit, quin tenebræ affundantur objecto metaphysico, quod necessario summam claritatem, verborumque proprietatem postulat.

122. NOTA. Ut rerum possibilitatis & impossibilitatis ideas aptius habeamus, non inutile arbitror hæc duo objecta metaphysica peculiaribus quibusdam exemplis proponere, quæ deinde facile quisquam ad alia extendet.

I. Triangulum est *intrinsece possibile*; neque enim trium linearum, ac trium angulorum conjunctio in se repugnat.

Triangulum est *extrinsece possibile*; illud enim manus mea, aut alius cujuspiam potest describere.

Si nulla adesset causa apta hoc triangulum efficere, illud possibilitatem extrinsecam habere desineret, quę ejus possibilitas causalis est; possibilitatem tamen intrinsecam haberet adhuc, quę ejus possibilitas formalis est.

Hanc distinctionem omiseris, aut neglexeris? omnia facile perturbabis, & in paralogismos ista pertractans facile incides.

II. Aliquid *possibile concipitur*, per hoc quod ejus constitutiva intrinseca, aut ejus attributa nihil exhibent quod stare nequeat, aut repugnet, neque ulla, quę se invicem excludant, & destruant.

Exempli causa, alter sol concipitur, & censetur possibilis: in intelligibilibus enim *globi* hujus *lucidi* constitutivis nihil est, quod absolute existentiam excludat, qua illum Creator do-

(a) Deus, *inquit Leibnitius*, essentia sua est fons possibilitatum; voluntate sua essentiarum. *Eadem ferme de rerum possibilitate Cartesii sententia est.*

donare potest; seu quia idea globi nihil exhibet, quod cum idea luminosi stare nequeat. Duorum horum objectorum *compatibilitas* est, eorum intrinseca possibilitas.

III. Aliquid *impossibile concipitur* per hoc, quod ejus attributa intelligibilia apparent *incompatibilia*.

Exemplum. *Circulus quadratus* concipitur, & censetur impossibilis; constitutiva enim intrinseca figuræ quadratę essentia sua rotunditatem excludunt; & intrinseca circularis figurę constitutiva cum iis figurę quadratę essentia ipsa incompatibilia sunt.

Alterum. *Homo leo*, sive Totum unicum, quod simul sit id, quod hominem, & id, quod leonem dicimus, est quid impossibile; idea quippe hominis necessario continet, & prę se fert & aliquid positivum, naturam humanam scilicet, & aliquid negativum, exclusionem nempe alius cujuscumque naturę; quare & naturæ leonis: ita quoque & idea leonis aliquid positivum continet, nempe leonis naturam, & aliquid negativum, nempe cujuscumque alius naturę, & propterea etiam humanæ exclusionem.

A pręcedenti definitione, ejusque hactenus data explicatione sequens possibilitatis rerum theoria evidenter fluit.

123. COROLLARIUM I. *Intrinseca rerum possibilitas in convenientia, seu compatibilitate suorum intrinsecorum constitutivorum, seu intelligibilium attributorum constituenda est.*

EXPLICATIO. Exempli causa: intrinseca *plani circularis* possibilitas in intrinseca horum duorum, figurę planę scilicet, & figurę circularis compatibilitate sita est. Ita intrinseca *Animalis rationalis* possibilitas in intrinseca horum duorum compatibilitate, nempe subjecti sentiendi capacis, & subjecti ratiocinandi capacis sita est.

124. COROLLARIUM II. *Intrinseca rerum* im-

impossibilitas in suorum intrinsecorum constitutivorum, sive intelligibilium attributorum repugnantia, sive incompatibilitate est statuenda.

EXPLICATIO. Exempli causa: intrinseca *culi sphærici* impossibilitas in horum duorum, solidi cubici, & solidi sphærici incompatibilitate consistit. Ita quoque intrinseca *Dei injusti* impossibilitas in intrinseca horum duorum incompatibilitate consistit; subjecti omnes perfectiones habentis, & subjecti justitiam, quæ perfectio est, non habentis (47).

125. COROLLARIUM III. *Intrinseca entium nondum existentium possibilitas, non est quid existens, sed tantum quid intelligibile.*

EXPLICATIO. Exempli causa: intrinseca pueri post annos decem nasciturì possibilitas nihil est modo existens: est tamen quid intelligibile; neque enim solis existentibus intelligibilitas est alligata.

126. COROLLARIUM IV. *Subjecti possibilitas a subjecto possibili non distinguitur.*

EXPLICATIO. Ex eo ipso, quo subjectum possibile concipio, suam possibilitatem, sive suorum attributorum compatibilitatem concipio; & per id ipsum, per quod hanc possibilitatem, seu attributorum compatibilitatem concipio, subjectum possibile concipio.

Inter duas has ideas objectivas, quarum una sine altera haberi nequit, distinctio realis non intercedit: quare possibile respectu suæ possibilitatis est subjectum metaphysicum (81).

CA-

CAPUT III.

EXISTENTIA RERUM.

127. DEFINITIO I. Id omne *existens* dicitur, quod extra puræ possibilitatis statum est. Exempli gratia, mundus iste visibilis priusquam a creatrice Omnipotentis Dei actione e nihilo educeretur erat pure possibilis: actio hęc creatrix illum existentem effecit. Ita quoque idea, seu sensatio, quam hodie primum habeo, non nisi pure possibilis erat, sive in statu puræ possibilitatis erat nudius tertius, aut decem ante annos: causa, quæ in me hanc ideam, seu sensationem excitavit, eam existentem effecit.

Quod existens est, possibile esse non desinit; neque enim existentia repugnantiam ullam constitutivorum, sive attributorum incompatibilitatem in subjectum inducit; at quod existens est pure possibile esse desinit; non enim amplius in eo statu est, in quo existentia carebat.

128. DEFINITIO II. *Rei existentia* id est, quod rem facit formaliter existentem; propterea est natura rei existentis, & nihil præterea. Etenim per id ipsum, quo rei alicujus naturam, puta Aristi, extra puræ possibilitatis statum concipio, ejus existentiam concipio; & per id ipsum, quo rei existentiam, ut Aristi, concipio, eius naturam extra puræ possibilitatis statum concipio.

Nulla igitur inter existentiam, & subjectum existens realis distinctio est admittenda; res existens respectu existentiæ suæ est subjectum metaphysicum (70 & 111).

129. NOTA I. Nonnulli philosophi *rerum existentiam* putaverunt, veluti perfectionem ab earum

rum natura distinctam, sive ut *realitatem* ipsarum naturæ additam; & sane a veritate recesserunt. „ Liceat mihi, ait Illustris Clarkius, „ in celebri illa philosophica cum Leibnitio controversia, nonnulla fortasse non inutilia de „ existentia animadvertere. *Existentia perfectio* „ *esse* dicitur, *realitas* nempe; eaque inter proprietates, sive attributa rei essentiam, sive „ naturam constituentia adnumeratur. At vero „ quum de existentia sermo est, aut de re agitur re ipsa existente, aut de re pure possibili.

„ Si de re agatur pure possibili, evidens est, „ rei hujus existentiam nihil esse reale, aut positivum: hoc est purum ens rationis, pura „ aliquando existendi possibilitas.

„ Si vero de rei re ipsa existentis existentia „ sermo sit, hæc existentia sive ut a re existente distincta, & separata considerari potest; & tunc nihil est nisi idea abstracta, „ chimæra nullibi existens; sive ut a re existente minime distincta; tunc vero *existentia* „ *est res ipsa existens* cum omnibus suis attributis, qualitatibus, & proprietatibus.

„ Quamobrem quovis modo existentia consideretur, non ea est perfectio, sive realitas. „ Neque inter perfectiones, attributa nempe, „ qualitates, proprietates, quæ rei essentiam „ constituunt, eamque in genere suo perficiunt, „ censeri potest ".

130. NOTA II. Quid igitur Auctor naturæ præstitit mundum a puræ possibilitatis statu educens? An ne subjecto, quod jam aliquid in se esset, perfectionem ullam, aut realitatem adjecit, quæ subjectum hoc ad existendum determinaret? Absit. At voluit subjectum, quod nihil reale erat, aliquid reale fieri, quod nihil existens erat, existens fieri.

Ante rerum creationem non erant ipsæ quasi subjectum reale, quod existentiam præstolare-

tur;

tur: tantum erant divinarum idearum objectum intelligibile. Hoc existens effectum est, quum fœcunda Entis increati, & creantis vox illud existere præcepit; non erat, & esse cœpit; at nihil a se distinctum acquisivit existentiam acquirendo.

131. NOTA III. *Materiam æternam non esse* alibi demonstrabimus; eamque a nihilo, sive a statu puræ possibilitatis ad statum existentiæ vera creatione transiisse. Axioma igitur Epicuri, & Lucretii, *nihil ex nihilo fieri* (*), falsum est ea significatione, qua a cæco Atheismo accipitur.

I. Quid igitur sibi vult hoc axioma, sive principium, quod significationem aliquam veram habet, atque certissimam? significat, nihilum *neque productionis*, *neque compositionis principium* alicujus entis esse posse.

At nullo pacto significat, ens possibile, & adhuc existentia carens nequire omnipotenti Entis increati, & creantis actione existens fieri.

II. Transitum hunc, exempli causa, a statu puræ possibilitatis ad statum existentiæ in materia mens nostra clara idea non concipit; at vero clarius ne in materia concipit *non initium existentiæ*, sive existentiam æternam?

Et si jam demonstratum est *materiam æternam repugnare*; si hoc ipso demonstratum est, materiam modo existentem non nisi vera creatione existere potuisse; nonne quid absurdo pejus est veritatem hanc demonstratam inficiari puerili hac, futilique ratione, propterea quod scilicet transitus hic a nihilo ad existentiam non percipiatur? (56,63,883,900).

ACCI-

(*) *Rem nullam ex nihilo gigni divinitus unquam.*

ACCIDENTALE, ESSENTIALE, CONTINGENS, NECESSARIUM.

132. DEFINITIO I. Id omne in ſubjecto quopiam *accidentale* dicitur, quod illi ineſſe, & non ineſſe poteſt, quin eius natura deſtruatur. *Eſsentiale* dicitur, quod, incolumi ejus natura, auferri nequit.

Quidquid eſſentiam conſtituit accidentale non eſt; & quidquid accidentale eſt eſſentiam non conſtituit. Anima intelligens corpori organico conjuncta, facultas ſaltem radicalis ſentiendi, & ratiocinandi homini eſſentialia ſunt; neque enim uno horum deficiente hominem amplius intelliges. Acre ingenium, præclara indoles, proceritas, recti & virtutis amor, figura, color, omnia hæc homini accidentalia ſunt; deſint enim hæc omnia: homo adhuc exiſtere poteſt.

133. DEFINITIO II. Id omne *contingens* dicitur, quod non neceſſariam exiſtentiam habet, ſeu quod ita exiſtit, ut non exiſtere potuerit. *Neceſsarium*, quod exigentia ſua naturali eſſentialiter tale eſt. Omnia entia creata contingentia ſunt. Unicum ens neceſſarium Deus eſt.

Quum de exiſtentia ſermo eſt, neceſſitas aut abſoluta eſt, aut hypothetica. Neceſſitas abſoluta a nulla pendet hypotheſi: talis eſſentialiter eſt naturali rerum exigentia in quacumque hypotheſi conſiderentur. *Neceſſitas hypothetica* ab hypotheſi pendet, qua non facta, amplius non exiſtit.

Exemplum. Neceſſarium eſt neceſſitate abſoluta, Deum exiſtere, ſapientem, juſtum eſſe. Neceſſarium eſt neceſſitate hypothetica hunc hominem exiſtere, ſi Creatori libet illi exiſtentiam impertiri; hunc hominem, ſi exiſtit, eſſe totum quid corpore organico, & anima ſpirituali compoſitum.

§. V.

§. V.

PLERÆQUE DEFINITIONES GENERALES.

QUinto hoc paragrapho quorundam genericorum objectorum notiones satis explicatas proferemus, quorum cognitio in omnibus, aut ferme omnibus philosophiæ partibus maxime opportuna est; quare illorum exactas, atque distinctas ideas efformare plurimum proderit.

Harum definitionum nonnullæ res spectant, quæ nostrarum perceptionum objecta sunt, aliæ nostras ipsas perceptiones peculiari modo respiciunt; etsi etiam nonnullæ sint, quæ & perceptiones nostras, & ipsarum objecta simul, & indivisim respiciant.

CAPUT PRIMUM.

Definitiones ad nostrarum perceptionum objecta peculiari modo spectantes.

NATURA: HUJUS VOCIS SIGNIFICATIO.

134. DEFINITIO. VOX hæc *Natura* diversas obtinet significationes, quas bene nosse maxime opportunum.

I. *Collectionem entium omnium creatorum* passim significat, quibus hæc rerum universitas componitur. Hac significatione dicimus: ordo naturæ, sive naturæ spectaculum est admirabile.

II. Sępius *Actionem generalem*, *& permanentem Creatoris* indicat, omnes entium sensibilium species legibus immutabilibus, suaque infinita sapientia, ac potentia moventis, animantis, conser-

servantis, iterum producentis; ac perpetuas reddentis. Hac significatione dicimus: natura vires, & facultates habet nobis nunquam cognoscendas.

III. Aliquando *facultates communes* exprimit, quas Auctor naturę quibusdam entium speciebus impertitus est. Hac significatione dicimus: canis naturę est latrare, naturę hominis ratiocinari; naturę voce nobis Dei existentiam, & religionis necessitatem prędicari.

IV. Sępius etiam *propriam, ac peculiarem indolem* denotat, quam a creatore accepimus, vel habitu nobis effinximus. Hac significatione dicimus, hunc natura iracundum, illum ambitiosum, Gallos facetos, & leves, Italos callidos, & in vindictam pronos, Hispanos superbos, & graves, Anglos cogitabundos.

V. Nonnunquam indicat *constitutiva intrinseca, & essentialia* rei, de qua quęstio; tunc vero idem prorsus, ac vox hęc alia: *essentia*, significat. Hac significatione dicimus, Dei naturam esse omnium perfectionum cumulum; hominis naturam esse potentiam sentiendi, percipiendi, judicandi, ratiocinandi.

IDENTITAS NATURÆ IN ENTIBUS.

135. DEFINITIO. *Identitas naturæ* est ejusdem individualis naturę diversis temporibus, & in diversis locis perseverantia; tunc vero individualis natura eadem diversis temporibus, diversisque in locis perseverat, quum nullam tanti momenti mutationem patitur, quę immutare, atque evertere possit intrinseca ejus, atque essentialia constitutiva.

Exemplum. Hic homo, hic leo, hęc silex, hęc arbor hodie eadem habent constitutiva intrinseca, quę habebant decem ante annos; eandem itaque naturam habent; & si silex in calcem abeat, arbor in cinerem, homo vero, & leo pu-

putrefcant, horum entium natura non amplius eadem erit; atque hoc ideo, quia eorum conftitutiva intrinfeca, quibus illa conftabat, omnino everfa, & immutata funt. Nunc vero quærendum, ac difcutiendum *in quo confiftat, five fubfiftat* in diverfis entium fpeciebus *individualis naturæ identitas*.

I. In *fubftantiis fpiritualibus*, cujufmodi funt Deus, angelus, anima hominis, identitas naturæ eft ejufdem individualis naturæ perfeverantia, nulla habita fubftantiali mutatione, nulla nova fubftantiæ additione, aut fubductione (115 & 120).

II. In *modis permanentibus*, cujufmodi eft figura, identitas naturæ eft ejufdem figuræ perfeverantia, quęcumque illa fit, five quadrata, five rotunda, circularis, triangularis, pyramidalis, fphærica, cubica, diverfis temporibus, five locis.

III. In *modis fucceffivis*, cujufmodi funt motus, & cogitatio, nunquam habetur naturæ identitas; modi enim ifti in perpetua fucceffione effentialiter confiftunt. Motus, quo modo procedit hic currus, non idem eft, quo hora elapfa movebatur; quam habeo nunc folis idea, non eadem eft, quam habui hefterna die.

IV. In *rudis materiæ maffis*, cujufmodi funt arenæ granum, aut marmoris fruftum, naturæ identitas confiftit in perfeverantia ejufdem numeri, ejufdemque naturæ elementorum, quæ illas conftituunt. Rudis materiæ maffa aucta, five imminuta, aut immutata non amplius eft eadem maffa.

V. In *fubftantiis vegetabilibus* naturæ identitas non jam in eadem maffa iifdem individuis particulis conftante fita eft; quandoquidem parva quercus, quæ hodie arbufcula eft, adhuc quinquaginta ab hinc annis *eadem quercus* erit, quum jam potiorem partem fubftantiæ amiferit, qua hodie conftat; quin & fubftantiam adepta

erit millies, imo millies quingenties illa majorem, quæ modo ejus naturam constituit (120).

Quamobrem in quercu, & in vegetabili quovis alio identitas naturæ sita est in perseverantia ejusdem *organizationis vitalis* ad opportunos succos a terra ebibendos institutæ, ad eosque per tubulos suos traducendos, ac in innumeris internis receptaculis elaborandos; quin & ad eos successive in omnes arboris partes transformandos, in truncum, in corticem, in frondes, in fructus, in germina ipsa, a quibus iterum producitur; atque hoc illa seu longiori, seu breviori temporis periodo, quam natura ejus incremento, & interitui convenire statuit.

VI. In *substantiis animalibus* identitas naturæ quoque in ejusdem *vitalis organizationis* perseverantia sita est, quæ illi animæ sive intelligenti, sive non intelligenti conveniens, tale animal constituit, & tale animal perseveranter esse facit.

In homine, exempli gratia, eum a nativitate ad senectutem usque per omnes incrementi, & decrementi, bonæ, & adversæ veletudinis vicissitudines considerando, *identitas naturæ* in hoc tantum sita est, quod ab eodem sensibili, & intelligente principio animatus, eandem vitam in eodem corpore organico ope ejusdem organorum structuræ semper subsistentis, semperque agentis, vivere perseveret.

VII. In *arte factis*, cujusmodi sunt domus, navis, ensis, nummus, identitas naturæ sita est in ejusdem constituentis materiæ, partium dispositionis, ejusdemque rerum collectionis perseverantia, unde idem totum constituitur, ac ad finem, quo elaboratum fuit, assequendum est opportunum.

VIII. In *quibusdam materialibus substantiis* aliquando non levis fieri potest in toto, & in omnibus integrantibus partibus mutatio, quin semper identitas naturæ destruatur.

Exem-

Exempli causa, aquæ phiala, quam modo liquidam, modo gelu concretam videmus, non propterea naturæ identitatem mutasse censetur: Auri massa, quam in vase fusorio a soliditatis ad fluiditatis statum transire videmus, non propterea naturam mutasse censetur. Jure enim judicamus substantiam natura non immutatam, imo eandem re ipsa perseverare, quoties eam ad libitum pristino statui restituere possumus.

At non idem dicas de pomo quod putruit, de vino in acetum verso. Jure enim censemus, substantias hasce non amplius easdem esse; neque enim pro libito eas pristinæ naturæ restituere, nec pristinum tum in se, tum respectu nostrum, illis existendi modum iterum tribuere possumus.

ORDO NATURÆ, LEX NATURÆ.

136. DEFINITIO I. *Ordo rerum* dicitur rerum delectus, & dispositio alicui fini destinata.

I. Certus & constans ordo est in natura sive animata, sive inanimata; sive ut ejus cursus, & actio dirigatur, sive ut ejus conservatio, & perseverantia obtineatur: hic est *ordo naturæ*.

II. Ordo iste, qui actu est in natura, quemque Deus creator libere decrevit, & statuit, melior, aut pejor esse potuisset. Ejus existentia, ejusque perfectio sunt liberæ Divinæ voluntatis effectus, cui nihil aut necessitatem infert, aut limites ponit.

137. DEFINITIO II. Pro homine habetur ordo naturalis, ordo supernaturalis, ordo moralis, ordo politicus.

Ordo naturalis consistit in nexu mediorum naturalium, quæ ad eum ad finem suum naturalem perducendum sunt destinata; *Ordo supernaturalis* in nexu mediorum, quæ ad eum ad finem suum supernaturalem perducendum sunt

destinata; *Ordo moralis* in nexu divinarum, & humanarum legum, quæ ad ejus mores dirigendos sunt statutæ; *ordo politicus* in nexu legum, & dispositionum politicarum, quæ ad ejus actiones dirigendas, & jura tuenda cum ceteris hominibus & civibus sunt institutæ.

138. DEFINITIO III. *Lex Naturæ* dicitur permanens, & constans rerum ordo, qui in terrestribus, & cœlestibus corporibus observatur, sive in eorum motibus, sive in eorum perseverantia, sive in eorum actione quacumque, sive in modo, quo efformantur, & destruuntur ea, quæ non nisi brevem, & pereuntem existentiam habent.

Exempla. Lex naturæ est, corpora ad terræ centrum tendere, solem horis vinginti quatuor perpetuo, & continenti motu circa terram volvi, aut volvi videri, ęgrotum diuturno morbo extenuatum non illico pristinę valetudini, nec mortuum vitę restitui.

I. Inter leges naturę *aliæ generales sunt*, quę corpora omnia afficiunt: hujusmodi sunt leges attractionis, & impulsionis. Omne corpus in aliud impingens in corpus illud actionem exercet. Omne corpus ad aliquod centrum gravitate tendit, puta ad terrę, vel solis centrum.

II. *Aliæ ex his legibus peculiares sunt*, quę tantum speciem, aut aliquot tantum corporum species afficiunt. Hujusmodi sunt leges hydrostaticę, quę ad liquida tantum spectant; leges, quas servant vegetabilia in eorum vegetatione, & propagatione, quę leges ab iis diversę sunt, quę animalium vitam, & speciei propagationem dirigunt.

MIRACULA, SIVE ORDINIS, ET LEGUM NATURÆ INTERRUPTIO.

139. DEFINITIO. *Miraculum* est sensibilis, & manifesta alicujus naturæ legis interruptio ve-

veritati, aut virtuti testimonium facere destinata. Juxta hanc definitionem igitur miraculum est *factum supernaturale*, cujus causa nec est, nec esse potest nisi actio Entis naturę visibilis domini, & potentis arbitrio suo ejus leges interrumpere, & continere.

Inter facta miraculosa alia natura sua miraculosa sunt, & primi ordinis, sive *primæ classis* miracula dicuntur; alia, quæ non nisi in modo quo fiunt, & in circumstantiis miraculosa sunt, atque hæc miracula dicuntur secundi ordinis, sive *secundæ classis*.

I. *Miraculum primæ classis* seu miraculum natura sua essentialiter tale est quilibet eventus, qui in se sit manifesta alicujus naturæ legis derogatio, quique a nulla prorsus causa physica produci possit; qui propterea a nulla causa physica prorsus existere potest, sed necessario supernaturalem Creatoris actionem exigit, qua causarum physicarum actio opposita destruatur. Hujusmodi esset, mortuum ad vitam revocare, diurnum terræ motum circa solem sistere.

II. *Miraculum secundæ classis* illud dicitur, quod tale est unice ratione modi, & circumstantiarum; eventus scilicet, qui absolute a causis physicis evenire posset, at qui ab his produci nequit modo, quo fit, & in circumstantiis, in quibus habetur.

Exempli causa, supponamus hominem omnino cæcum, in quo vitium hoc perseverans a densis oculos obtegentibus suffusionibus, seu, ut ajunt, cataractis oriatur, quibus omnis omnino aditus luci aut ab objectis lucentibus emissę, aut ab opacis reflexę ad retinam præcluditur.

Thaumaturgus nullo naturæ, aut artis auxilio, sed aut precibus, aut digito admoto, momento temporis cæco huic visum restituat: en tibi phœnomenon, quod *verum miraculum* est, & vera naturæ legum interruptio.

At ratione modi miraculum erit sanatio ista;

evidens enim est nullam hic inter causam, & effectum proportionem naturalem intercedere; non tamen natura sua miraculum erit, ita nempe, ut nulla naturali causa agente sanatio ista obtineri possit; quandoquidem periti chirurgi manu cataractæ aut deprimi, aut educi possunt (14).

140. NOTA. Eventum liberum, & in impermeabili futurorum eventuum abysso demersum certissima scientia noscere, & prædicere, est *verum miraculum* facere: omnes enim humanæ naturæ vires excedit ista cognitio, neque ab homine haberi potest nisi supernaturali, ac miraculosa sibi a summo Deo facta revelatione, cui futura omnia sive libera, seu necessaria, æque ac præsentia, manifesta sunt.

Miraculosa hæc prædictio *Prophetica* est; quum vero eventus liber, quem nulla humana mens prævidere, aut prædicere potuit, re ipsa evenit, uti prædictus fuerat, tunc prædictio, sive multo, sive paullo ante facta, *Prophetia completa* dicitur.

PHOENOMENON, HYPOTHESIS, SYSTEMA.

141. DEFINITIO I. *Phænomenon* dicitur effectus sensibilis, cujus causa non apparet: currus equo tracti motus phœnomenon non est; ejus enim causa in aperto est. Equi currum trahentis motus phœnomenon est; latet enim ejus causa, & mentis studio investiganda est.

Ita quoque curvilineus planetarum, & cometarum motus circa solem, periodicus maris æstus phœnomena sunt, quorum nemo ante Nevvtonum veram causam detexerat.

142. DEFINITIO II. *Hypothesis* est suppositio, quæ fit aut ad phœnomenon aliquod explicandum, aut ad aliquod problema solvendum.

Tunc hypothesis admitti potest, quum nullam involvit contradictionem, & principiis, quæ illi

illi attribuuntur, tum & effectibus ex ea deducendis consentanea est.

Ars phœnomenorum causas hypothesium ope detegendi a Leibnitio arti steganographicas notas legendi comparatur. Utrobique perspicax conjectura sæpius non parum viam breviat.

143. DEFINITIO III. *Systema* est methodica distributio sive causarum a quibus effectus quidam expectantur, sive effectuum quos ab eadem, sive a pluribus causis expectamus.

Exempli gratia, *Systema Copernicanum* est corporum cœlestium dispositio ad hoc statuta, ut inde quomodo phœnomena omnia, quæ in cœlo observamus, consequantur, percipiamus.

Systema de Gratia est philosophica principiorum, & consequentiarum collectio ad hoc ordinata, ut ea omnia explicentur, & comprobentur, quæ in hac doctrina simul stare non posse videntur; ad hoc enim systema de gratia statuitur, ut libertas, & meritum creaturæ gratiam accipientis cum sapientia, & justitia Dei illam conferentis, & gratia bene utentes præmio donantis, abutentes pœna afficientis, concilietur.

Tunc systema admitti potest, quum & principiis, & effectibus illi attributis consentaneum est, quin veritati ulli notæ opponatur.

RATIO: EJUS NATURA, ET OBJECTUM.

144. DEFINITIO. *Ratio*, pretiosa hæc increatæ intelligentiæ emanatio, sublime hoc rationalis speciei distinctivum, duplex hæc facultas percipiens & judicans est, ut jam vides, intelligentia judicio conjuncta.

I. Ratio est *naturale lumen*, quo verum a falso distinguimus, quod ab aliquo principio consequatur, quod non; quod ad finem aliquem assequendum est opportunum, quod ad illum assequendum ineptum sit; quid liceat, quid nequaquam; quid honestum, quid inhonestum,

quid virtus, quid vitium, aut crimen, quid magis minusque perfectum, quid magis minusque vitiosum, quid deceat sive in ordine physico, sive in morali, sive in politico, quid ordinem everteret, & perfectionem imminueret, aut tolleret.

Certum est, lumen hoc humanæ speciei tantum, licet non eadem copia cuique individuo, communicari; neque unquam ulli brutorum speciei concedi: quod in animæ Theoria demonstrabimus.

II. Rationis objectum est quidquid homo solo naturali lumine, & nullo supernaturalis revelationis adjumento cognoscere potest.

REVELATIO DIVINA: EJUS NATURA, ET OBJECTUM.

145. DEFINITIO. *Revelatio divina* est veritatum speculativarum, & practicarum collectio, quæ ab ipso Divinitatis sinu emanarunt, quibusque Deus homini manifestari dignatus est, illum alloqui, & docere modo a puro rationis lumine diverso.

Divina revelatio continet & *certiorem, clarioremque Religionis naturalis explicationem*, sive earum veritatum moralium, speculativarum, & practicarum, quæ nobis solo rationis lumine innotescunt; & *peculiarem veritatum, & legum supernaturalium collectionem*, quas ratio sibi relicta nunquam assequi potuisset, nisi Deus ipse eam docere dignatus fuisset extraordinariis, & miraculosis modis, quibus obtinendis humana natura jus nullum habet.

I. Evidens est, Deum se hominibus supernaturali modo manifestare potuisse; ipsumque innumeris supernaturalibus modis, quibus omnipotentia sua uti potest, innumeras sublimes veritates sive ad dogma, sive ad cultum, sive ad mores spectantes hominibus aperire potuisse, quas

quas nunquam humana ratio solo suo lumine, solisque suis viribus assequi potuisset.

II. *Probationes inconcussæ* innumeræ, quas in nostra Philosophia Religionis satis jam evolvimus, atque statuimus, nobis testantur, atque demonstrant, ita Deum tum in veteri, tum in novo fœdere se homini supernaturali modo manifestasse. Nihil igitur habet Revelationis divinæ effectæ jam, & nunc existentis idea, quod humana mens tamquam portentosum quid, aut absonum admittere perhorrescat.

146. NOTA I. Duplici diverso, & æque supernaturali modo Deus hominibus manifestari potest; aut *revelatione communi* alicui præ ceteris dilecto homini facta, cui ipse munus tradit ceteros revelata docendi, quemque propterea omnipotentiæ suæ splendore convestit, ut certissimis miraculis doctrinæ, ac missionis suæ divinitatem comprobet; aut innumeris *peculiaribus revelationibus*, quas cuique singillatim homini in intima anima fecerit, unice ad peculiarem cujuscumque instructionem ordinatis.

Modus hic postremus facile nimium homines, enthusiastas, atque fanaticos effecisset; quamplurimi enim mentis deliria, & effrænes animi motus pro oraculis, ac cœlestibus vocibus habuissent. Sapientissime igitur Deus primum alteri modum prætulit.

147. NOTA II. Duo igitur importat divina revelatio ut nunc habetur: *Revelationem* hanc nempe *primam*, *& immediatam*, quæ initio a Deo ipso viris prælectis facta fuit, quos ita inspirare dignatus est; & hanc *revelationem mediatam*, *& traditam*, quæ successive ad homines ceteros a viris hisce transmissa est, quorum supernaturalem inspirationem confirmabat Deus operibus evidenter miraculosis; quandoquidem hæc signa certa sunt, & indubitata testimonia, ac fortasse unica revelationis vere divinæ, sive ea *originalis* sit, sive *traditionalis*.

I. Objectum revelationis divinæ, seu veritatum revelatarum collectio duobus æque sacris depositis continetur, & custoditur, de quibus satis fuse, & luculenter egimus in nostra religionis philosophia; atque hæc sunt Scripturæ, & Traditio.

II. Veritates revelatæ supernaturaliter sunt objectum nostræ fidei, *fidei* illius, inquam, *divinæ*, quæ est verus, & sincerus mentis assensus iis omnibus, quæ Deus revelare dignatus est sive per se, sive per legatos suos: atque hic assensus Dei ipsius testimonio, & auctoritate innititur, quam essentia ipsa nec falli, nec fallere posse necessario percipimus (425).

RELIGIO: DUPLEX HUJUS VOCIS SIGNIFICATIO.

148. DEFINITIO. *Religio* considerari potest sive ut *veritatum speculativarum, & practicarum collectio*, quarum finis est fidem, cultum, & mores hominum dirigere; sive ut *intimus animæ habitus* salutaribus veritatibus hominem illustrans, ac dirigens. Duplicem hanc significationem tradidimus, & omnium fortasse primi explicite tradidimus octava sectione philosophiæ religionis.

I. Religio *prima significatione* considerata est hæc veritatum dogmaticarum collectio, quas & recta ratio, & divina revelatio nos docent ad cultum, & mores dirigendos; religio nempe naturalis, & revelata.

II. Religio *altera significatione* considerata est habitus venerationis, timoris, & amoris erga Ens supremum; tum & assensus, & adhæsionis iis omnibus, quæ docet, & obedientiæ, ac fidelitatis iis omnibus, quæ præcipit.

Religio practica duo essentialiter importat, *cultus* nempe *religiosi exercitium, & divinæ legi* obe-

obedientiam. Sine cultu, & ſine lege nulla religio practica.

RATIO, ET REVELATIO: EARUM DISTINCTIVÆ PROPRIETATES, ET AMBARUM LIMITES.

149. OBSERVATIO. *Ratio*, & *revelatio* ſunt duo illi, quos tantum habemus, cognitionum noſtrarum fontes: non itaque inopportunum erit de earum natura, objecto, fundamento, & proprietatibus nonnulla hic generatim adnotare.

150. ASSERTIO I. *Ratio*, & *Revelatio duo diverſi cognitionum, & certitudinis fontes nobis ſunt, qui ab eodem communi fonte derivantur, nempe a Deo ipſo.*

EXPLICATIO. Certum eſt, rationem, & revelationem duos nobis cognitionum fontes eſſe, hoſque eandem auctoritatis radicem nobis indicare; utraque enim a Deo, qui lux, & veritas eſt, emanat, a quo modo ratione tantum, modo revelatione, modo utraque ſimul illuſtramur, & erudimur.

I. Ratio eſt *revelatio naturalis*, qua Æternus omnium cognitionum fons homini impertitur eam veritatis portionem, quæ ſuis naturalibus facultatibus proportionalis eſt.

II. Revelatio eſt *ipſa ratio naturalis* extenſa, & aucta nova cognitionum copia, quæ immediate a Deo emanarunt.

Perſpicuum eſt, hanc ſupernaturalium cognitionum copiam non eſſe omnino rationi extraneam; eſt enim ratio ipſa, quæ earum veritatem ſtatuit, atque comprobat diverſis probationibus ſive ſpeculativis, ſive auctoritatis teſtium, quibus utitur, ut certior fiat, & convincatur eas cognitiones re ipſa a Deo procedere.

151. ASSERTIO II. *Ratio*, & *fides non ſunt oppoſita*, & *ſimul ſtare poſſunt in hominis mente*:

te: neque enim ſunt niſi diverſa mentis humanæ applicatio cognitionibus, quarum capax eſt.

EXPLICATIO. Rationem proſcribere ut fidei locus detur, aut fidem ut ratio admittatur, eſt ambas has ſaluberrimas faces ſimul extinguere: neque enim minus eſt rationi oppoſitum, revelationi, quam ratio videt immediate a Deo emanare, aſſenſum denegare, quam ut a Deo profectam revelationem admittere, quam ratio ab hoc divino fonte certo emanantem non videret.

I. Ratio non omnes cognitiones ſive ſpeculativas, ſive facti, quarum mens noſtra capax eſt, nobis impertitur; ſive quia in pluribus *ſpeculativis veritatibus* ideis caret, quæ earum objecta illi poſſint referre, ſive quia in pluribus *veritatibus facti* neceſſariis probationibus caret, quæ eas re ipſa exiſtere confirment.

In utroque caſu fieri evidenter poteſt, Deum ſupernaturali revelatione nobis cognitiones impertiri ſive ſpeculativas, ſive facti, quibus caremus, quaſque ipſe nobis ſive neceſſarias, ſive opportunas videt ad fines attingendos, ad quos nos deſtinavit.

Sola ratio ſolo naturali lumine nos plena, perfectaque evidentia certos reddere poteſt, Deum exiſtere, Deum ſapientem eſſe, omnipotentem, Deum ab homine cultum exigere, & hominem legi immutabili, & æternæ ſubjeciſſe.

At ſola ratio ſolo naturali lumine nos minime docere poterat, quomodo Deus iſte ſapiens, & juſtus intrinſece exiſtat, quid a ſua miſericordia, & juſtitia expectare debeamus, qua peculiari via nos ad ſe adducere velit, a quibus determinatis conditionibus auxilia gratiæ, & benefacta ſua pendere faciat, quibus eventibus miſericordiam, atque juſtitiam ſuam exaltaverit elapſis jam ante ſæculis, quorum memoria prorſus interiit; pluraque his ſimilia.

II. Si Deus voluit, ut velle potuiſſe certiſ-

ſimum

ſimum eſt, nos de his diverſis objectis inſtructos eſſe, quæ ſola ratio aſſequi nequit, evidenter neceſſe fuit, Deum aliis uti mediis a ratione pura diverſis, quibus hæc nobis patefaceret: medium autem, quo uſus eſt, eſt *revelatio ſupernaturalis*, quæ hac ſive idearum, ſive probationum ſupellectile rationem ditat, quam ſuis viribus adipiſci nequibat.

152. ASSERTIO III. *Objectum rationis, & objectum revelationis poteſt eſſe una, eademque veritas ſive ſpeculativa, ſive facti.*

EXPLICATIO. Exempli gratia: Deus homini in geometria prorſus rudi abſolute revelare poſſet, ſuperficiem ſphæræ ſuperficiei laterali cylindri circumſcripti æqualem eſſe: homini naturalis hiſtoriæ prorſus ignaro, globum noſtrum elapſis ſæculis quodam veluti oceano magis, minuſve diuturno tempore obrutum fuiſſe; etſi utraque hæc veritas, altera ſpeculativa, altera facti, ſola ratione evinci poſſint.

Idem dicas de veritatibus, quæ ad cultum, ſeu mores attinent. Deus nobis revelare poteſt, imo re ipſa revelavit nonnulla, quæ ratio ipſa majori alia, alia minori claritate ſatis indicat. Exempli gratia: revelavit Deus, ſe æternum extitiſſe, ſe rerum omnium primum principium eſſe & finem ultimum, ſe ab hominibus cultum, & obſequia exigere, ſe hominem ſacræ, & inviolabili vitæ, & morum directioni ſubjeciſſe, ſe impios puniturum, probos vero præmiis cumulaturum, atque alia hujuſmodi; attamen ratio ipſa hæc eadem per ſe aliquo pacto dignoſcere poteſt.

153. ASSERTIO IV. *Objectum rationis, & objectum revelationis plerumque ſunt aut omnino, aut parte aliqua inter ſe diſtincta.*

EXPLICATIO. Peculiare rationis objectum eſt illa veritatis portio, quam humana mens ſolis ſuis viribus naturalibus aſſequi poteſt; ſuis nempe ideis, obſervationibus, meditationibus.

Peculiare revelationis objectum est illa tota veritatis portio, quam aut nullatenus, aut non satis mens nostra suis viribus naturalibus assequi potest, quamque humanæ menti Deus luminum pater ipse immediate detexit, & certam reddidit.

Inter veritates supernaturaliter revelatas aliæ sunt, quæ partim revelationis, partim rationis objectum sunt; partim enim claræ, partim obscuræ sunt, partim humani intellectus viribus accessibiles, partim inaccessibiles, quasque si quando ratio aliquantulum detegere potest, eas revelatio in apertam lucem profert, atque certas reddit.

A ratione, & revelatione simul conspirantibus in mente enascitur pro veritatibus hisce partim claris, partim obscuris ille claritatis, certitudinis, convictionis, & persuasionis gradus, quem in ordine morali venerandi Dei creatoris fines postulant.

154. ASSERTIO V. *Rationis, & fidei fundamenta sunt omnino diversa*.

EXPLICATIO. Rationis fundamenta sunt aut rerum evidentia, aut verisimilitudo. Fidei fundamenta sunt *auctoritas divina*, sive infallibile Dei ipsius hæc vel illa asserentis testimonium.

Una eademque veritas & rationis, & fidei motivis simul inniti potest. Exempli causa, hanc veritatem, *res creata fuerunt*, admitto & rationis vi motus, quæ ita esse mihi ostendit, & revelationis auctoritate, quæ ita fuisse mihi infallibiliter testatur.

155. ASSERTIO VI. *Ratio, & fides limites suos statutos, atque distinctos habent*.

EXPLICATIO. Ratio ibi limites suos invenit, ubi ideæ, seu probationes illi desunt. Fides ibi limites invenit, ubi ratio probationes non habet satis firmas, satisque suadentes Deum locutum fuisse, aut ea dixisse, quę quis eum dixisse contendit.

I. Ra-

I. Ratio ad ea uſque pergit, quæ ſive ideis ſuis intuitivis, ſive experimentalibus obſervationibus dignoſcere poteſt: hæc ejus amplitudo, hi ejus limites.

II. Fides ea omnia amplectitur, quæ Deus revelat, atque teſtatur, quum certi ſumus Deum loqui, & quum vera ſignificatione Dei verba accipimus: en hujus quoque limites, & amplitudinem.

Rationi fidere in iis, quæ ratio ipſa non probat, revelationi credere in iis, quæ revelatio non protulit, hoc eſt propriæ imaginationis inanibus inventis fidere, hoc eſt præjudiciis, effrænibus animi motibus obſequi, non vero rationis, & revelationis voci auſcultare. Evidens enim eſt, fieri non poſſe, rationis momenta me adducere ut admittam, quæ ipſa non ſtatuit, & revelationis auctoritatem ad ea credenda me determinare, quæ non proponit.

156. ASSERTIO VII. *Veritas revelata, ut aſſenſum obtineat, intrinſeca evidentia non indiget, qua ejus objectum menti percipiendum prabeat*; revelantis enim infallibilis auctoritas veritatem objecti ita confirmat, ut ipſa evidentia poſſet confirmare.

At *veritas revelata, ut aſſenſum obtineat, manifeſte oppoſita non ſit oportet intrinſeca evidentia*; fieri enim nequit, ut extrinſeca revelationis auctoritas intrinſecæ evidentiæ auctoritatem deſtruat.

Si fieri poſſet, exempli gratia, me intime perſuaſum eſſe, Deum hanc propoſitionem revelaſſe: *duo, & duo efficiunt quinque*, huic propoſitioni aſſenſum dare nequirem; quamcunque enim perſuaſionem haberem intimam, & me non falli dum Deo hanc revelationem attribuo, & verum ſenſum propoſitionis me aſſecutum eſſe, non tamen illa unquam oppoſitam perſuaſionem vincere, & delere poſſet in me ab intrinſeca rerum evidentia productam,

qua-

quaque intime sentio, hac ipsa id evincente intima evidentia, duo, & duo minime quinque efficere.

157. ASSERTIO VIII. *Fidei objectum esse possunt ea, quæ omnino supra rationem sint, nunquam ea, quæ manifeste rationi opposita sint.*

EXPLICATIO. Intelligo ea, quæ rationis meæ vim omnino excedunt, in se ipsis vera esse posse; at ea, quæ rationi meæ sunt manifeste opposita, nunquam hac veritate gaudere posse; prima itaque credere possum, si quando infallibilis auctoritas ea vera esse testabitur; at nunquam altera ut vera admittere, quacunque auctoritate munita sint.

Exemplum. Credere possum auctoritate Dei revelantis innixus, in Deo unicam, simplicemque naturam a me non nisi imperfecte cognitam, tribus distinctis relationibus, quarum nullam ideam habeo, intrinsece constitui; nihil enim manifeste repugnans deprehendo inter naturæ unitatem, & relationum, seu personarum multiplicitatem.

At credere nequirem, neque divina auctoritate testante, (si tamen hujusmodi hypothesis fieri possit) tres distinctas relationes unam, & unicam esse relationem; manifestam enim inter unitatem, & multiplicitatem relationum video repugnantiam, quæcumque tandem trium harum relationum ignota natura sit.

ENTHUSIASMUS, ET FANATISMUS.

158. DEFINITIO. *Enthusiasmus*, seu *fanatismus* dicitur quędam animæ effervescentia, unde cæca quædam & falsa exoritur persuasio, se intime sive in credendis, sive in agendis a Deo inspirari.

Quum hæc animę effervescentia hoc præstat tantummodo, ut quis intime vanis illusionibus ad-

adhęreat, easque omnino perturbata mentis ratione veras esse velit, *enthusiasmus* est.

Quum vero eadem hæc mentis effervescentia superbiæ ferocientis impetu exaltata, ac atræ bilis fermento turgens excandescit, & irascitur, quod somniis suis, verbisque fides non adhibeatur; quum furenti quodam æstro percita per vim, & fraudes iis assensum obtinere nititur, quæ nulla ratione probabili suffulta, tamen ut vera prædicat, quasi vero oracula essent, aut voces de cœlo auditæ; jam *fanatismus* est. Enthusiasmus ad fanatismum est quod insania ad phrenesim.

159. OBSERVATIO. Falsa, quæ postremis hisce temporibus de enthusiasmo, & fanatismo judicia habita sunt, a nobis postulant, ut amborum horum vitiorum, quibus hominum mens pervertitur, nitidam, accuratamque notionem exhibeamus.

160. ASSERTIO I. *Certum est, Deum homines allocutum supernaturalibus revelationibus tum in veteri, quum in novo fœdere, veramque, & indubitatam Dei loquelam, non modo hominum mentes non excæcasse, aut pervertisse, neque in enthusiasmum, aut fanatismum extulisse, imo potius hoc effecisse, ut ipsorum mentes illustraret, eosque ad virtutem incitaret, & beatos redderet.*

EXPLICATIO. Omnibus, quæ excogitari possint, speculativis probationibus constat, Deum olim potuisse, & nunc quoque posse se hominibus communicare supernaturalibus inspirationibus, & revelationibus. Constat quoque innumeris a facto sumptis probationibus, Deum se ita tum in veteri, tum in novo fœdere hominibus communicasse (145). Quare certum est olim fuisse, & nunc temporis quoque esse posse *homines vere inspiratos*.

At hominibus vere inspiratis nihil cum enthusiastis, & fanaticis commune est, aut esse potest,

test, quorum peculiare, & distinctivum vitium est, illusos, atque deceptos esse *inspirationibus imaginariis*, quæ nullo pacto divinæ sunt.

I. Si quis *supernaturales revelationes*, *aut inspirationes dari posse* in dubium revocaret, hic temere, & absurde contra prima tum fidei, tum rationis principia pugnaret: neque enim est abbreviata manus Domini; & qui Dei spiritus elapsis sæculis se supernaturali modo patriarchis, prophetis, apostolis internis inspirationibus, & immediatis revelationibus communicavit, hic idem spiritus eodem modo hujus ætatis hominibus se potest, si ita libet, communicare.

II. At vero nequaquam aut rationi, aut fidei injuriosus eris, si quæ *peculiaris homo*, quacunque ille sive dignitate, sive virtute præfulgeat, nulla probatione tenet, aut profert ut illi a Deo immediate revelata, aut inspirata, in dubium revoces: etsi enim certum sit, Deum semper se hominibus communicare posse revelationibus, aut inspirationibus immediatis, ut olim prophetis, & apostolis, æque certum est, non esse hanc ordinariam Providentiæ viam; neque *hisce extraordinariis donis cœlestibus* fidem adhibendam, nisi omnino firmis, decisivis, convincentibus, omnino certissimis probationibus confirmentur.

161. ASSERTIO II. *Certum est diversis temporibus, diversisque locis improbos veteratores fuisse, qui ut suas opiniones statuerunt, ut ambitioni servirent, ut populis dominarentur, se supernaturalia cum Deo colloquia habere commenti sunt, a quo oracula, & leges haberent, quas fraudulenter Deo adscribebant, sciebant tamen nullo pacto a divino hoc fonte emanare.*

EXPLICATIO. Hujusmodi fuisse videntur idolorum sacerdotes apud Grecos, & Romanos, Mahumetes apud Arabas, Cromvelus apud Anglos, & scelesti, ac nequam homines nonnulli cujusque conditionis in plerisque sectis.

Ini-

Iniqui hi veteratores alios decipere, *falsa videntes* & *fanaticos* efficere potuerunt, incautos vanis hisce, mentitisque inspirationibus imbuendo; at nunquam ipsi tales fuerunt, nunquam enim propria fraude, propriisque mendaciis aut decepti sunt, aut decipi potuerunt.

162. ASSERTIO III. *Certum quoque, diversis temporibus, diversisque locis fuisse veros enthusiastas, verosque fanaticos; homines nempe indocili imaginandi vi a recta semita abductos, qui propria deliria, & somnia, seu veteratorum, quibus fidem adhibebant, & a quibus dirigebantur, deliria, & somnia pro intimis Dei vocibus habuerunt, ac pro oraculis, & mandatis immediate, & supernaturaliter a Deo venientibus.*

EXPLICATIO. Hujusmodi fuisse videntur proxime superiori sæculo nonnulli falsa videntes in Cebennis, nonnulli ex his sicariis, quibus senex Montanus tempore belli cruce signatorum stipendia dabat, plurimi ex Mahumetis sectatoribus in primis præsertim sectæ hujus incunabulis, fortasse etiam nonnulli idolorum sacerdotes in Grecia, in Tauride, in Palestina, & apud veteres Gallos.

I. Homines recta ratione utentes nunquam in enthusiasmum, aut fanatismum labi possunt, si catholicorum principiis stare velint: apud catholicos enim credendi, atque agendi regula *in publico, communique doctrina deposito* descripta, atque statuta est, quæ a ratione, & a revelatione emanavit; non vero ex dubia, atque incerta revelationum, & inspirationum congerie conflata, quæ singulis individuis in animæ intimo factæ fuerint (146).

Apud catholicos quævis intima inspiratio, *qua* aut rationis, aut revelationis principiis *adversetur*, nemine discrepante falsa censetur. Nulla intima inspiratio rationis, aut revelationis principiis *extranea* ut divina haberi nec po-

potest, nec debet, nisi si miraculi alicujus testimonio a Deo re ipsa profecta probetur. Quævis inspiratio rationis, & revelationis principiis *consentanea* admitti potest, & debet, non sane tanquam certo, & immediate in se divina; sed tanquam a recta ratione, & a vera revelatione pendens, atque procedens.

Perspicuum est, nihil in his omnibus esse, quod sive directe, sive indirecte in enthusiasmum, aut fanatismum trahat; & si quando in catholicis enthusiasmus, aut fanatismus datur, tunc tantum pullulat, quum vera rerum principia sequi non amplius libet.

At non ita res habet in heterodoxis, quos protestantes vocant, in eorum enim principiis regula fidei, & morum non solum pendet a generali revelatione sacris codicibus consignata, verum etiam ab innumeris *peculiaribus revelationibus*, quæ, si ipsos audias, cuique individuo in animæ intimo fiunt, quibusque Deus ipse per se immediate quemque docet quid agendum, quidve credendum non secus ac prophetas, & apostolos olim docebat.

Perspicuum est, hisce principiis admodum pronum esse in enthusiasmi, aut fanatismi deliria labi: quisquis enim phantasiæ somnia pro oraculis, sive Dei vocibus, quas in animæ intimo immediate audiat, habere potest, aut venditare. Hinc profecto enthusiastę, ac fanatici tam multi apud protestantes, tam pauci vero apud catholicos.

163. NOTA. Fanatismi nomine insignita sunt bella omnia, quæ religionis specie exarserunt a Constantino ad hęc usque tempora. Hoc mihi videtur nimis ideam, quam fanatismi habere debemus, immutare: hæc enim semper & illusionem, & animi effervescentiam necessario importat, cujus origo, & causa semper est aliqua sive mediata, sive immediata, *mentita tamen, cœlestis inspiratio*.

I. Bel-

I. Bella religionis specie excitata ut plurimum re ipsa ab avaritia, a simultatibus, a politicis causis, ab indomitis animorum cupiditatibus, ut cetera omnia, excitata fuerunt; horum quidem religio causa fingebatur, at neque verum objectum, neque vera illorum causa erat.

Qui in his bellis militiæ nomen dabant, putantes a Deo ad militiam vocari, ut homines sui similes enecarent, quod non eam, quam ipsi, fidem profiterentur, procul dubio *veri fanatici* erant; at sane minima hæc erat militantium pars.

Qui vero militiæ nomen dabant, ut aut dignitatem, aut famam sibi compararent, seu ut ad divitias sibi viam sternerent, sive ut ingenio ad arma nato obsecundarent, qui sane potissima exercitus pars erant; hi gregarii milites erant, non fanatici.

Horrore, & abominatione summa dignus sane est, eritque semper fanatismus; at re ipsa minor ab ipso, quam passim credatur, sanguinis effusio facta est. Si in Gallia, exempli gratia, tempore fœderis se cives barbarorum more jugulabant, iis re ipsa impulsi causis ita sæviebant, quibus Romani temporibus Marii, & Syllæ, Octavii, & Marci Antonii; nempe furiis acti discordiæ, æmulationis, ambitionis, privatæ inimicitiæ. Si quæ similia in natura quæris, nihil fortasse similius invenies re ipsa bellis civilibus christianorum, & bellis quoque civilibus ethnicorum. Fac bellorum, quæ religionis specie exarserunt, duces aut Atheos fuisse, aut Deistas, aut idololatras, iisdem tamen aut avaritiæ, aut aliarum cupiditatum stimulis impulsos fuisse; eosdem sanguinis rivos decurrere, atque eadem facinora perpetrari videbis, & perhorresces.

164. ASSERTIO IV. *Certum tandem est, Enthusiasmum, & Fanatismum, etsi non tot sce-*

scelera perpetrarint, totque horrenda facinora, quot passim ab iis perpetrata putantur; esse tamen duo humanae mentis vitia maxime funesta, & periculosa; optimamque illa aut praeoccupandi, aut extirpandi rationem esse, eorum illusionem, atque dementiam ita ostendere, ut a nemine non cognosci, ac veluti manu ipsa, si ita loqui fas est, non tangi possit.

EXPLICATIO. O qui *te cœlitus immediate inspiratum* dicis; accede paullulum, ut de tua hac inspiratione colloquamur.

Pono primum, te non esse ex iis *perditis* unum, qui se a Deo inspiratos simulant, ut iniquissimo dolo ceteros decipiant, nihil ipsi eorum credentes, quæ asseclis suis tanquam oracula, & Dei jussa proponunt. Si talis esses, profecto homo esses sceleſtissimus, dignus de cœlo tangi, & a terra exterminari, non vero enthusiastes, aut fanaticus, qui miseratione dignus est, & erudiendus, ut errorem deponat.

Pono etiam, te ex iis *imbecillibus* non esse, qui non se inspiratos quidem putant, neque de se enthusiastæ sunt, aut fanatici: attamen quibusque veteratorum somniis fidem adhibent, & instar automatum, impulsus cujuscunque se cœlitus inspiratum credentis, aut dicentis, sequuntur. Si talis sis, tu aut automa, aut enthusiastes, aut fanatice, non jam ad rectæ rationis usum revocandus esses; nihil enim ratio tecum potest: sed catena ligandus, & stultorum domicilio includendus; nullo enim te viliori, at neque periculosiori instrumento uti possunt enthusiasmus, fanatismus, versutia, scelus.

Pono itaque tandem, te neque veteratorem esse, neque alicujus improbi falsis illusionibus imbutum, atque impulsum; at vere, & sincero animo putare te esse *subjectum immediatum operationum supernaturalium Dei*, te oraculorum, & mandatorum Dei custodem effectum. Hac ita-

itaque in hypothesi tibi animi mei sensa aperire pergo; tu tua mihi patefacies: præbe modo aurem mihi; te etiam audire paratus sum.

I. Certum est, atque hoc, ut tu credis, & ipse credo, *Deum se posse immediate per revelationes, & inspirationes supernaturales hominibus communicare* (145,146).

Credo quoque, ut tu credis, *quidquid a Deo revelatur verum esse, quidquid a Deo inspiratur bonum esse*; teque tuta conscientia posse Deo credere, & in omnibus Deo obtemperare, atque ita facientem sapienter agere; modo vere certus sis Deum esse, qui te alloquitur.

At enimvero undenam scis, aut quanam certa, & tuta ratione nosti eam, quam immediatam Dei revelationem, aut inspirationem dicis, vere, & re ipsa a Deo esse, non vero a mendaci cacodæmone, aut a tuæ mentis illusione procedere? Paulus persecutor se, ut tu modo, a Deo intime inspiratum putabat; & tamen Paulus hallucinabatur. Undenam nosti, te in iis, quas revelationes & supernas inspirationes dicis, uti Paulum, non decipi, & hallucinari?

II. Certum est, & ratio tua ipsa hoc tibi suadere potest, in divina revelatione, aut immediata inspiratione te plena, summaque certitudine noscere debere, *Deum ipsum esse, qui te alloquitur, atque inspirat*, teque, si hæc non vides, nihil videre, & cæcum esse. Qua itaque ratione, & in quonam vides, hanc, quam inspirationem, aut revelationem a Deo esse dicis, vere a Deo esse?

Hoc video, inquies, *in lumine quod mihi Deus impertitur, in sensu quem mihi Deus inspirat, in firma persuasione* in qua sum, & quam sentio. At, quæso, unde nosti, Chalcantem dum Iphigeniam jugulari mandabat, Paulum dum Christianos persequebatur, idem lumen, eundem sensum, eandem persuasionem non ha-

habuisse, aut se habere non putavisse? Qua ratione, & unde nosti, lumen hoc, sensum hunc, persuasionem hanc, quam a Deo habere dicis, vere a Deo esse, non vero a mente tua excæcata, & illusa? siquidem hoc ipsum est, quod tu certo nosse debes; quod si non videas, nihil vides, neque meliori ratione, quam Brachmanes, aut Turca id putarent, te cœlitus inspiratum putas.

Itaque aliquo alio indiges, quam hoc tuo divino lumine quo illustraris, quam hoc tuo sensu divino quo afficeris, quam hoc tuo divino impulsu quo traheris, quam hac divina tua persuasione cui resistere nequis, aliquo, inquam, alio indiges, ut certus sis, Deum ipsum esse a quo id procedat, quod tu immediatam ejus inspirationem, aut revelationem prædicas. Quid vero istud erit? *signum miraculosum*, quod tibi testetur, & comprobet Dei & actionem, & communicationem, & vocem.

III. Certum est, atque hoc tibi sacræ literæ testantur, hoc tantum modo veros prophetas, virosque a Deo vere inspiratos propriis revelationibus, atque inspirationibus credidisse.

Moysem attende: se a Deo vocari audit, ut populum suum a servitute, qua premebatur, liberaret; neque se cœlitus ad hæc vocatum certo tenet, nisi postquam miraculosam vocem audierit, qua illi Dei jussa edicuntur; nisi postquam rubum miraculose ardentem, & incombustum viderit; nisi postquam virgam suam in vivum serpentem miraculo mutatam vocationis suæ testem habuerit.

Attende Jeremiam: se a Deo inspiratum sentit, ut genti suæ calamitates, & infortunia pergat annunciare; non tamen divinæ huic inspirationi obtemperat, nisi postquam Dei manum senserit, quæ illi linguam blæsam, & balbutientem miraculo solverit; nisi postquam ramum miraculosum oculis clare videntibus refertum

aspexe-

aſpexerit, ſymbolum divinę Providentię mundum inſpicientis, & cuſtodientis.

Ezechielem attende: ſentit ſe pene invincibiliter a Deo vocatum, ut nationi ſuę omnia adverſa, omniaque graviora, quę ferri poſſint, infortunia prędicat; nec tamen id exequitur, niſi prius innumeris prodigiis, ac miraculis certior factus fuerit, Deum eſſe, a quo illuminatur, excitatur, inſpiratur.

Jonam attende: internę voci illum ad Ninivem mittenti non obſequitur, quin prius a mari, & a ventre ceti miraculo eductus fuerit.

Iſaiam attende: regi extremam animam agenti quindecim adhuc vitę annos prophetizat; & quamvis notiſſimę ſanctitatis vir eſſet, non tamen verbis ſuis fidem adhiberi poſtulat, niſi prius ſolis umbram decem gradibus miraculo regredi fecerit in horologio, in quo horas indicabat.

IV. Certum eſt, atque hoc tu ipſe per te percipere, & ſentire potes, Deum dum prophetam facit, hominem non deſtruere, dumque eum ad cognitiones ſupernaturalis ordinis elevat, omnes naturales facultates ſuas, intellectum, rationemque illi relinquere. Hoc igitur intellectu utere, hac ratione, naturalibus his tuis facultatibus, ut certus, tutuſque fias, in iis, quas tu revelationes, aut inſpirationes cœlitus tibi datas dicis, vere Deum ipſum eſſe, qui te alloquitur, & inſpirat.

Non ſane jus habes facultatibus tuis naturalibus utendi, ut perpendas an vera ſint, quę Deus reapſe revelat, aut inſpirat, quaſi vero falſa hęc eſſe poſſent; at iis facultatibus uti potes, imo debes, ut certior fias, reapſe Deum aliquid revelatione, aut inſpiratione docuiſſe.

Quid ergo naturales tuę facultates te docebunt? docebunt ſane, ut vere certus ſis, quod tu pro divina revelatione, aut inſpiratione habes, vere tale eſſe, neceſſarium tibi eſſe *ſignum miraculoſum*, tibi ſaltem indubitanter notum;

atque, ut ab aliis tamquam divinam hanc sive revelationem, sive inspirationem admittere facias, tibi opus esse *signum miraculosum* iis omnibus indubitanter notum, quibus hanc ipsam revelationem, sive inspirationem tuam ut divinam annuncias.

Hisce principiis tu jam rationis, ac religionis auditor omnes enthusiasmi & fanatismi errores vitabis: hisce rejectis, stultus tu, atque phreneticus in omnes insanias, furoresque temere delaberis.

165. NOTA I. Ex iis, quę in hoc enthusiasmi, & fanatismi prospectu hactenus tradidimus, patet jam *veram religionem* nihil commune habere, aut habere posse duobus hisce horrendis humanę mentis erroribus.

Si inter verę religionis cultores enthusiastę, & fanatici aliquando fuerunt, reponam, inter hos etiam calumniatores, falsarios, prędones extitisse. Quid inde? Non sane magis illorum, quam horum crimina verę religioni tribuenda; omnia hęc siquidem vera religio ęque proscribit, ac detestatur.

166. NOTA II. Nostrę ętatis increduli, ipsi quidem fanatico enthusiasmo in enthusiasmi, & fanatismi errores insurgentens, quidquid in duobus hisce humanę mentis vitiis odiosum est, ac detestandum Moysis, & Jesu Christi religioni, religioni ipsi christianę catholicę tribuere student. In hac tenebrosa conjuratione duę sunt calumnię apertissime patentes; prima quidem, veram religionem causari de phrenesis, & dementię hujus vitio, quod ipsa damnat, ac detestatur, altera vero, hujusmodi phrenesim, ac dementiam, quę per omnes falsas religiones grassatę sunt, contendere, non nisi inter verę religionis asseclas extitisse.

I. Primo evidenter falsum est, veram religionem unquam per se enthusiasmi deliramentis, & fanatismi furoribus ansam prębere potuisse; per-

perspicuum enim est, verę religionis asseclas, in hos execrandos errores ruere non potuisse, nisi suæ religionis principia abjecerint.

II. Evidenter falsum est insuper, enthusiasmum, & fanatismum tantum inter veræ religionis asseclas exarsisse; idololatria enim, Mahumetismus, omnes sectæ anticatholicæ, ipsa per se incredulitas atrox ubique enthusiasmi, & fanatismi spectaculum nobis offerunt.

Quid enim quæso tribus primis, quatuorve sæculis christianæ fidei fieri videmus? *Ethnicorum enthusiasmum, ac fanatismum* pro idolorum cultu arma capere, christiani sanguinis ubique torrentes effundere, universum orbem terrore, & cædibus contristare; ut & vita tolleretur quicunque aut incestum Jovem, aut impudicam Venerem adorare recusaret.

Quid nobis offerunt septem, aut octo prima Mahumetismi sæcula? *Enthusiamum, ac fanatismum Turcicum* horrendo modo in humanum genus sævire, terram sanguine, & stragibus inundare, ut tamquam veritates de cælo delapsæ Alcorani deliramenta admitterentur.

Quid primis Arrianismi, Calvinismi, Lutheranismi sæculis intuemur? *Enthusiasmum, & fanatismum hæreticum* omni effrænatæ libidinis, furoris, seditionis, sævitiæ genere furentem, ut nova dogmata statueret, ac propagaret.

Quid tandem postremis hisce triginta, aut quadraginta annis cernimus, meterialismo, atque incredulitate renatis? *Enthusiasmum, ac fanatismum incredulitatis*, omnem lapidem mendaciis, calumniis, improbis artificiis movere, ut Religio, ejusque ministri pessumdentur, ut incredulitas, ejusque coryphæi exaltentur, ut perturbata, & illusa ratio unicum divinitatis oraculum, atque organum esse credatur. Quonam pejori, magisque execrando fanatismo humana mens unquam corripi potest?

167. NOTA III. Quidquid apud homines me-

rici, aut virtutis, aut perfectionis speciem habet, enthusiastas suos habuit, suosque fanaticos.

Exempli gratia, apud Romanos, & Græcos enthusiasmus, & quandoque amoris patriæ fanatismus invaluit. Apud Anglos viget enthusiasmus, quandoque etiam fanatismus anarchicæ libertatis. Temporibus errantium equitum enthusiasmus, & fanatismus honoris fœminarum invaluerat. Strenuus quisque miles se fœminæ, quam sibi amasiam elegerat, amore ferme insanire gloriabatur, eam omnium pulcherrimam, præque omnibus virtute, dotibusque egregiis præditam volebat, paratus honoris causa quemque dissentientem jugulare.

168. NOTA IV. In eloquentia quoque, ac Poesi enthusiasmus vocatur quædam animæ effervescentia, quæ illam objecto suo firmiter adhærere facit, sive ut illud bene percipiat, sive ut enitentibus coloribus illud pingat. Hic est *enthusiasmus ingenii*, a quo magni eloquentiæ motus, præclaræque poeticæ imagines enascuntur, qui claros oratores, atque poetas supra ceteros homines veluti extollit.

Hic unicus ille enthusiasmus est, quem ratio, a quo regitur, probare possit tunc quoque, quum fervore, atque œstro veluti absorpta, atque elata videtur. Summa *eloquentiæ christianæ*, exempli gratia, laus est, nobili enthusiasmo victrices rationes mentibus hominum inculcare, sacrumque terrorem cordibus incutere. Ab hisce duabus causis, quarum altera docet, altera movet, morum reformatio exorietur, quod unicum objectum, illudque maximum est, in quod ferri debet (94).

CREDULITAS, INCREDULITAS, IMPIETAS, HÆRESIS, SUPERSTITIO.

169. DEFINITIO I. Credulitas & incredulitas duo humanæ mentis vitia sunt,

I, Cre-

I. *Credulitas* est quædam mentis imbecillitas, qua assensum præbet sive propositionibus, sive factis, quin satis agnoscat rationes, quibus innituntur.

II. *Incredulitas* est irreligiosa mentis aberratio, qua pervicaciter, & temere certitudine omni, ac veritatis luce posthabita, aut impugnat aut in dubium revocat, aut Deum esse, aut ejus Providentiam, aut futuram vitam, aut supernaturalem revelationem dari; præcipue vero pervicaciter assensum, atque adhæsionem negat iis omnibus, quæ in lege Moysis, & Jesu Christi mysterium continent, aut miraculum. Incredulorum grex Materialistas, Deistas, & Scepticos includit.

Æque stultum, æque insanum est, æque rationi oppositum omnia credere, & nihil credere. Sine motivo, & sine ratione credere imbecillitas est: gravissimis rationibus, auctoritatique ineluctabili fidem negare, insania est.

170. DEFINITIO II. *Impietas* & ut actus, & ut habitus animæ considerari potest.

I. Impietas *ut actus considerata* est injuria aut vero Deo, aut veræ religioni illata: *formalis* est, si ab homine fit in verum Deum, veramque religionem credente, & libere, plenaque animadversione, & rei cognitione agente. *Materialis* tantum est, quum ab homine est, qui aut verum Deum, aut veram religionem ignorat, & qui aut apta cognitione, aut libertate caret.

II. Impietas *ut habitus considerata* est permanens religionis defectus, est systema quoddam indifferentiæ, & contemptus eorum omnium, quæ religio proponit, aut veneratur.

171. DEFINITIO III. *Hæresis* est pertinax adhæsio alicui opinioni dogmatibus religionis, & Ecclesiæ, quæ ejus infallibile organum est, decisionibus oppositæ.

172. DEFINITIO IV. *Superstitio* est excessus,

aut abusus spiritus religionis. Ejus fontes sunt luminis defectus in mente; peculiaris ad insitatam, & non communem vivendi rationem propensio; indocile, & inordinatum chimæricæ, & absurdæ perfectionis studium.

I. Religio est justus Deo displicendi timor, & recta illi placendi sollicitudo: Superstitio horum omnium excessus, aut abusus est. Ipsa est ineptus ipsi displicendi timor in iis, quæ licent, quæque Deus non improbat; & insana quoque illi placendi sollicitudo futilibus, aut absurdis obsequiis, quæ Deus nequaquam probat.

II. Superstitio, ut patet, ab ipsa religione enasci potest, cujus excessus est, aut abusus. At ubi superstitio incipit, religio esse desinit; semper enim religio sancta, & sapiens est; superstitio semper insana, nonnunquam etiam criminis rea.

POTENTIA, ET ACTUS.

173. DEFINITIO I. In quovis ente *potentia dicitur* facultas aliquid agendi, aut in se recipiendi. Hujus facultatis exercitium dicitur *actus*.

Exempli gratia: modo triangulum cogito: hic est *actus mentis meæ*. Mens mea facultatem habebat triangulum cogitandi priusquam triangulum cogitaret: hæc est *potentia mentis meæ*.

Pari modo, nunc pedem quiescentem movendi facultatem habeo: en potentiam. Motum pedi imprimo: en hujus potentiæ actum.

174. DEFINITIO II. *Potentia activa* ea dicitur, quæ actionem aut producit, aut producere potest; & *potentia passiva*, quæ actionem producere inepta eam tantum recipit.

Anima aut ideam, aut volitionem, aut judicium, aut forte motum aliquem producit; in his potentia activa est. Anima aut dolorem sentit,

tit, aut tædium, cui frustra se subducere nititur; in hoc anima, potentia passiva est.

Tres tantum actionum species sunt, quarum ideam habeamus; atque hæ sunt, *cogitare*, *velle*, *movere*. Hinc sequitur, potentiam activam, eam sane, cui potentiæ nomen aptius congruit, semper aut ad aliquam cogitationem, aut ad aliquam volitionem, aut ad aliquem motum referri, qui effectus ex ipsa haberi possunt, aut debent.

POTENTIÆ ENTIUM PASSIVÆ, ET ACTIVÆ.

175. OBSERVATIO. *Potentia activa, & passiva entium* maximum sunt disquisitionum metaphysici, physici, naturæ studiosi, uno verbo philosophi objectum. Quamobrem peculiari diligentia, ut recte earum ideas percipiamus, explicandæ sunt.

I. *Potentiæ naturales Entium sive activa, sive passiva non tamquam aliquid ab his entibus distinctum censendæ sunt.* Neque enim sunt, nisi ipsa horum entium substantia, ipsa eorum constitutiva physica, & intrinseca. Exempli causa;

Quum ceræ mollis massam considero, in hac materiali massa *potentiam* concipio figuram seu sphæricam, seu cubicam admittendi; *aliam* quoque *potentiam* motum, & vim motricem acquirendi. At vero ut potentiæ hæ duæ in hac molli cera sint, quid requiritur? sola requiritur hujus ceræ mollis substantia, & nihil præterea.

Pari modo, quum ad hanc substantiam intelligentem, atque sensibilem, qua animor, animadverto, in ipsa *potentiam* concipio sensationes sive gratas, sive ingratas habendi; *aliam* quoque *potentiam* innumerarum rerum sive sensibilium, sive insensibilium ideas obtinendi; *aliam* adhuc *potentiam* judicia, & ratiocinia efforman-

di; quin & *aliam potentiam* nonnulla libere, & cum animadversione volendi; & alia hujusmodi. At vero, ut potentiæ hæ quatuor animæ meæ insint quid requiritur? animæ meæ substantia dumtaxat, & nihil ultra.

Juxta ergo philosophicum axioma, quod ait; *entia sine necessitate non multiplicanda*, diversæ ejusdem entis naturales potentiæ activæ, aut passivæ non sunt tamquam res a substantia, in qua existunt, realiter distinctæ considerandæ.

Quin imo si diversæ hæ potentiæ a re, in qua sunt, re ipsa distinctæ non sunt, *neque inter se erunt realiter distinctæ*; quum enim eidem rei identificatæ sint, inter se distinctæ esse nequeunt.

II. *Quanam igitur inter diversas ejusdem entis naturales potentias distinctio habetur*? exempli gratia, inter potentiam sphæricam figuram admittendi, & potentiam motum concipiendi, quæ in eadem ceræ mollis massa sunt; sive inter potentiam sensationes habendi, & potentiam volitiones efficiendi, quæ eidem animæ insunt: nulla alia inter has diversas potentias sive activas, sive passivas natutales in eodem ente existentes distinctio intercedit, nisi *distinctio rationis*, de qua fusius alibi (303 & 316).

In eodem ente potentiæ duæ duabus diversis ideis nobis sese offerunt: idea enim potentiæ est *idea complexa*, quæ necessario & rem dicit, in qua potentia est, & rem, ad quam potentia refertur. Duæ igitur ejusdem entis potentiæ & diversæ concipiuntur, non ratione subjecti, in quo existunt, sed ratione termini, ad quem referuntur: terminorum distinctio totam potentiarum distinctionem facit.

Exemplum. In ceræ mollis massa potentia figuram cubicam, aut sphæricam admittendi, & potentia motum concipiendi sunt inter se diversæ: non ratione subjecti, quod semper est eadem mollis ceræ substantia, at ratione termini,

ni, five earum objecti, quod hinc est figura cubica admittenda, illinc motus concipiendus.

Ita quoque in anima potentia jucundam, five molestam sensationem obtinendi, & potentia liberam & ratione propositam volitionem eliciendi, inter se differunt: non ratione subjecti, quod semper est animæ substantia, sed ratione termini, five objecti, quod unius est sensatio obtinenda, alterius volitio elicienda.

176. NOTA. Aristoteles, & Leibnitius aliquid in *potentiis activis* admittunt medium inter potentiam, & actum; hoc vero medium, si ipsos audias, est *vis activa* potentiæ, quæ vis activa neque potentia, neque actus est.

I. Hæc vis activa, hoc medium quid inter potentiam, & actum id est; quod uterque *Entelechiam* vocat: vox hæc significat *nisum permanentem* in potentia, quo assidue intrinsece sollicitatur ad actum, five effectum suum producendum quamdiu ab aliquo insuperabili obstaculo non impediatur.

En tibi quam harum Entelechiarum ideam præbeat ipse Leibnitius dum suarum Monadum systema explicat. „ Sed vis activa actum quem-„ dam, five *entelechiam* continet; atque inter „ *facultatem actionemque ipsam* media est, & „ conatum involvit: atque ita per se ipsam in „ operationem fertur, nec anxiliis indiget, sed „ sola sublatione impedimenti ".

II. At vero hæ entelechiæ, seu vires activę Aristotelis, & Leibnitii hac ętate non ita facile sectatores invenient; five quod & in quibusdam substantiis admittuntur, cujusmodi sunt terra, & aqua, quę ut pure passivas tantum sese ostendunt, quasque patet nullam hujusmodi *vim activam* continere posse; five quod in substantiis re ipsa activis, ut in anima humana quo ad aliquas ideas, & ad omnes liberas determinationes, nil opus est entelechiis a potentia, & ab actu distinctis; quandoquidem ipsa activa

potentia, per hoc ipsum, quod activa supponatur, *veram facultatem* habet actum eliciendi. Itaque entelechiam inter potentiam, & actum admittere est entia sine necessitate multiplicare.

ENTELECHIÆ, ET QUALITATES OCCULTÆ PERIPATETICORUM.

177. OBSERVATIO. Quam dedimus potentię, & actus, activarum, & passivarum potentiarum in diversis substantiarum speciebus idea postulat, ut *entelechiarum*, & *qualitatum occultarum* veteris philosophię originem, & naturam demonstremus.

I. Aristoteles naturam contemplans vidit primo *gravia* veluti de se ad terrę centrum tendere; atque hanc ad centrum terrę tendentiam in gravibus esse etiam quum aut funibus appensa, aut immobili fulcro imposita sunt. Hinc intulit ipse in gravium natura abditam, & intimam activitatem esse, seu occultam virtutem, veram tamen, & natura insitam, qua ex se, & per se tendant ad terrę centrum; hanc vero naturalem tendentiam, occultam hanc virtutem, hanc vim activam *entelechiam* generatim nuncupavit; & peculiariter *entelechiam propriam gravium*.

Hęc entelechia, hęc vis activa, nisus hic permanens non sine causa gravibus inest. Illi igitur veram causam in gravibus, licet invisibilem, & ignotam supponere, & tribuere oportuit. Hinc si Aristoteli auscultes, gravibus, puta saxo, luto, aquę, ligno *qualitas occulta gravitans* inest, illis intrinseca, & naturalis, unde vis ista, ac nisus, quo ad terrę centrum tendunt, emanat. Quoniam vero corpora in gravia, & levia partiebatur, gravitationis universalis adhuc ignarus; iis gravitantem qualitatem occultam attribuit, quę ea deorsum impelleret, his

his vero occultam qualitatem antigravitantem, quę ipsa sursum propelleret.

II. Vidit etiam Aristoteles naturam contemplatus nonnulla corpora permanentem tendentiam habere ad invicem fermentandum, confligendum, pugnandum; alia vero nonnulla corpora tendentiam habere sympaticam, qua invicem copulantur, & invicem adhęrent. Hinc censuit in diversis corporum speciebus esse vires activas, occultas virtutes, *abditas entelechias*; quibus natura ipsa per se tendunt tum invicem sejuncta, tum conjuncta, alia quidem ad simul confligendum, alia ad se invicem copulandum.

Diversę hę entelechię, vires hę diversę sive sympaticę, sive antipaticę, diversi hi nisus permanentes, profecto non sine causa existunt: iis ergo in iis corporibus veras causas, etsi invisibiles supponere oportuit, ac proinde *occultas qualitates*, a quibus continenter vires hę sympaticę, sive antipaticę, quę in iis constanter observantur, emanarent.

III. Naturam contemplans Aristoteles alias quoque vidit corporum species, quarum proprium est frigefacere, alias vero, quarum proprium est calefacere; vegetabilia omnia natura tendere ad eos e terra succos eligendos, atque attrahendos, qui magis peculiaribus eorum organis consentanei sint; fossilia omnia veluti ex se analogis specificę naturę suę substantiis componi; atque ita de ceteris. Hinc intulit cujusvis corporum speciei inesse *qualitatem occultam specificam*, a qua diversę virtutes, diversę entelechię, diversę vires activę cujusque speciei proprię enascuntur, atque proveniunt.

Hinc juxta Aristotelem, & universam Peripateticorum scholam in visibili natura innumerę *qualitates occultæ diversæ* habentur, quarum quęlibet peculiari substantię speciei inhęret, & quarum quęlibet est quid re ipsa distinctum a substantia, cui inhęret.

Hinc, exempli gratia, stomacho inest *qualitas occulta digestiva*, quę illi virtutem cibos digerendi impertitur; in manna *qualitas occulta purgativa*, unde illi virtus bilem invadendi, & expellendi; in opio *qualitas occulta soporativa*, unde illi virtus soporem conciliandi; in diversis plantarum speciebus *qualitas occulta electiva*, qua species quęvis sibi consentaneos succos attrahit, eosque respuit, qui illi non conveniunt; & ita porro.

REFUTATIO. Ut omnino futile hoc *qualitatum occultarum* commentum profligetur, satis erit paucis ostendere, nulla ejus idea percepta admissum, nulla firma, qua comprobetur ratione, suppositum fuisse.

I. Primum qualitatum occultarum peripateticarum vitium est, illas esse *nescio quid*, quod nunquam aut mente concipi, aut definiri, aut describi potuit; quod ipsum hujus effœti commenti assertores fassi sunt, quibus nemo jam inter philosophos nunc assentitur.

Quid enim quęso sibi vult hęc *qualitas occulta gravium sublunarium*, eorum naturę inhęrens, eorum naturę intrinseca, quin quid eorum substantię sit, seu figurę, sive modificationum? quę naturam eorum ipsam perseveranter sollicitat, atque efficaciter determinat, ut tendat ad centrum terrę, & vi semper eorum massę proportionali, quin & semper in duplicata inversa ratione distantię ab ipso centro? Hoc ipsum est, quod nemo hominum unquam aut describere potuit, aut mente concipere, aut definire.

II. Alterum qualitatum occultarum peripateticarum vitium est, nullo eas inniti solido fundamento, quo stare possint. Unicum enim harum fundamentum sunt diversę proprietates, diversęque virtutes, quę in diversis materialibus substantiis deprehenduntur. Harum vero proprietatum, atque virtutum facile ratio reddi potest, quin occultas peripateticas qualitates supponamus;

mus; quin imo his suppositis nulla omnino harum proprietatum, atque virtutum affertur ratio sufficiens.

Certum est primo, *In visibili natura dari leges quasdam generales impulsionis, attractionis, affinitatis*; atque ex his legibus omnia magna visibilis naturæ phœnomena emanare, imo emanare debere, ut in physica nostra speculativa, & experimentali satis ostendimus. Quid vero opus est, positis hisce generalibus visibilis naturæ legibus, ut omnia habeantur phœnomena, quæ in diversis corporum speciebus observamus? satis ad hæc est eorum substantia materialis cum tali figura, ac tali partium mixtione, & conjunctione; & nihil præterea (120). Qualitates ergo occultæ peripateticorum hac ratione omnino inutiles sunt.

Certum est præterea, admisso harum qualitatum commento in diversis corporum speciebus, nunquam nos, si vere philosophos agere velimus, ex iis proprietates, & virtutes diversorum corporum, quas in natura visibili observamus, deducturos. Quare enim grave ratione occultæ qualitatis, qua in centrum terræ gravitat, majori nisu, aut vi gravitaret sub circulo polari, quam sub æquatore? Quare ratione qualitatis occultæ, qua ad impenetrabilis corporis occursum reflectitur radius lucis, reflecteretur omnino sub angulo æquali angulo incidentiæ, quam sub alio majori, vel minori? Perspicuum est ad horum, infinitorumque aliorum phœnomenorum rationem reddendam aliquid requiri præter inertem materiam, & præter id omne, quod ad inertem, cæcamque materiam potest pertinere; & occultarum qualitatum loco necessario in natura materiali leges quasdam genericas esse admittendas ab aliqua invisibili substantia, nihilque cum substantiis materialibus commune habente libere statutas, & libere perpetuo servatas;

tas; quæ essentia sua & infinite intelligens, & infinite activa sit (121).

CAPUT II.

Definitiones ad perceptiones nostras propius spectantes.

JUDICIUM, JUDICIUM ANALOGIÆ.

178. DEFINITIO I. *Judicium* est aut animæ potentia, aut hujus potentiæ actus.

I. *Judicium ut animæ potentia consideratum* est facultas animæ res concipiendi, & perpendendi in genere veritatis, justitiæ, honestatis, utilitatis, meriti, perfectionis: ipsum omnino id est, quod alibi *rationem* nuncupavimus (136).

Hujus animæ potentiæ perfectio, sive imperfectio, ab *amplitudine*, & *stabilitate* majori, vel minori suarum cognitionum pendere videtur. Eo perfectius judicium est, quo anima cognitionibus magis abundat, & quo firmiores hæ sunt; eo vero imperfectius judicium est, quo minus anima cognitionibus abundat, minorique hæ gaudent firmitate.

II. *Judicium ut actus animæ consideratum* est exercitium, seu actio potentiæ hujus, quæ res percipere, & perpendere debet. Est illud simplex mentis actus, intima affirmatio, sive negatio, quo statuit, atque pronunciat modo majori, modo minori ponderatione, de rerum veritate, vel falsitate, honestate, vel inhonestate, convenientia, vel non convenientia, perfectione, & imperfectione.

179. DEFINITIO II. Præter judicium experimentale, quod ferme continenter ferimus de modificationibus animam nostram afficientibus, quod-

quodque ſenſu intimo innititur ; *alia plurima judicia* ferimus de rebus animæ noſtræ extrinſecis, quæ aut idearum, aut ſenſuum, aut hominum teſtimonio innituntur.

Judicia noſtra de rebus animæ noſtræ extrinſecis, quas cognoſcimus, in his rebus objectum habent aut proprietates *neceſſarias*, & *eſſentiales*, quas ſemper habent, quæque ab ipſis ſeparari nequeunt; aut *proprietates accidentales*, & *variabiles*, quas habere poſſunt, & non habere, quas hic, & modo habent, alibi, & alio tempore non habent; aut *proprietates conſtantes*, & *immutabiles*, quas ſemper, & ubique habent, licet ad earum eſſentiam non videantur pertinere.

I. Judicium generale de rerum *neceſſariis*, & *eſſentialibus proprietatibus* ab ipſa tantum ſpeciei idea pendet. Judico, triangula omnia tres angulos, & tria latera habere; idea enim generalis trianguli eſſentialiter tres angulos, & tria latera infert, aut includit. Judico, quemvis hominem anima, & corpore conſtare; propterea quia idea generalis hominis animam, & corpus ſimul juncta eſſentialiter infert, aut includit. Judicium hoc idearum teſtimonio innititur.

II. Judicium generale de rerum *proprietatibus accidentalibus*, & *variabilibus* ab omnium individuorum, nemine excepto, obſervatione pendet. Nequeo de figura, dotibus, virtutibus, vitiis, bona, aut prava indole civium alicujus urbis judicium ferre, quin ſingulos ſingillatim noverim, atque perpenderim, ſive a me ipſe, ſive per alios, quibus fidem adhibere poſſim. Judicium hoc aut ſenſuum, aut hominum teſtimonio innititur.

III. Judicium generale de rerum *immutabilibus*, & *conſtantibus proprietatibus* experimentis, & obſervationibus innititur, quæ iterato in aliqua rerum ſpeciei parte factæ fuerint. Judico, in globo, quem incolo, ſaxa omnia, exempli gra-

gratia, tendere ad centrum terræ directione horizonti perpendiculari; innumera enim experimenta, innumeræque observationes summo studio peractæ hunc in saxis gravitandi modum detexerunt. Judico, universam aeris massam gravem esse, & elasticam; propterea quia omnes hujus massæ portiones, in quibus experimenta, & observationes factæ fuerunt in Gallia, in Italia, in Anglia, in Asia, in Africa, in America, elasticæ, & graves inventæ fuerunt. Judico, totam lucis massam septem primigenios colores semper continere; totam hanc lucis massam si quando in corpus particulis suis impermeabile incidat, semper reflecti sub angulo illi incidentiæ æquali; propterea quia infinitus experimentorum, & observationum numerus diversis in regionibus, & in diversis lucis portionibus has nobis lucis proprietates detexerunt. Hoc judicium aut sensuum, aut hominum testimonio innititur, atque hoc illud est, quod *judicium analogiæ* nuncupatur, in quo ex parte de toto judicatur, & cui universa ferme physica innititur.

Quamobrem *judicium analogiæ* est judicium de re aliqua ratione plenæ, perfectæque similitudinis, cum re alia ejusdem naturæ, & speciei, & bene nota.

DUBIUM, VERISIMILITUDO, PROBABILITAS, OPINIO.

180. DEFINITIO I. *Dubium* est suspensio reflexa mentis inter utrumque hærentis in judicio ferendo, aut in re agenda.

Dubium est *positivum* si ab æqualibus hinc, atque inde rationibus oriatur; *negativum* si ex defectu æquali rationum ex utraque parte oriatur.

Non sane parva laus est sive in scientiæ studio, sive in rebus agendis scire oportune dubitare.

bitare. Ignorantia, & imprudentia de nulla re dubitant; cognitione enim, & animadversione carent. Scepticus, aut Pyrrhonicus de omnibus dubitat; stulte enim luci omni oculos claudere vult.

Dubium methodicum Cartesii importabat, quod non antea assensus rebus tamquam certis passim receptis, & cognitis præberetur, quam rationibus in suo genere demonstrativis, & convincentibus veræ evincerentur. Non sane Pyrrhonicum est ita dubitare: imo vero philosophicum; neque hoc est certitudinem infirmare: at confirmare

Dubio opposita Certitudo est, cujus naturam, fontes, est fundamenta toto sequenti tractatu demonstrabimus.

181. DEFINITIO II. Verisimilitudo, & probabilitas nimium proximæ, & affines sunt, quæ sejungi possint.

I. *Verisimilitudo* est magna veritatis apparentia, quæ tamen non omnimodam certitudinem parit, neque dubitationem omnem prorsus excludit. Quare judicium, aut systema quodpiam verisimile est, quum multo magis vera, quam falsa apparent, licet absolute falsa esse possint.

II. *Probabilitas* est ipsa quoque veritatis apparentia; minor tamen quam quæ verisimilitudinem parit, aut constituit. Ea est ratio gravis, sive commendabile motivum, cui assentire potest doctus, & prudens homo, & ab eo suffragium obtinere, sive in judicio ferendo, sive in re agenda, quod tamen omnem erroris metum non excludit.

182. NOTA. Verisimilitudo, & Probabilitas falsitatem absolute non excludunt; at sane semper absurditatem. Utraque *opinionem* fundat, judicium nempe majorem, minoremve veritatis apparentiam præseferens; non tamen plena innixum certitudine. Probabilitas aliquid minus dicit verisimilitudine.

In-

In innumeris vitæ casibus non nisi verisimilitudine, aut probabilitate homo dirigi potest; qui melius eos novit dignoscere sapientior est, ille vero, cui hæc cognitio meliorem effectum parit, felicior. Fere semper enim casus in exitu tum quorundam judiciorum, tum quorundam eventuum aliquid habet.

Exempli causa: Hebrææ mulieres duæ ad Salomonis solium infantem sibi postulant, cujus utraque se matrem dicit. Rex sapiens altera manu infantem, altera gladium arripit, & se nodum soluturum pronunciat dimidium puerum utrique dando; prævidens jam ex hac sententia veritatem emersuram diversis in vera, ac ficta matre animi motibus excitatis. Ita res accidit.

At vero paullo lenior in vera matre sensus, paullo artificiosior in ficta simulatio regis sapientiam eludere potuissent; atque huic judicio laudem, & celebritatem adimere, quas illi exitus comparavit.

183. DEFINITIO III. *Opinio* duplici significatione accipi potest admodum diversa, quam propterea accurate distinguere magni momenti est.

I. Quod *opinio* dicitur, judicium est rerum probabilitate, aut verisimilitudine innixum; quod propterea magnam habet veritatis apparentiam, non tamen plenam certitudinem.

Opinio temporis lapsu naturam mutare potest sive novis veritatis probationibus, quæ illam ab opinionis statu ad certitudinis statum evehant; sive plenis falsitatis probationibus, quæ illi omnem veritatis speciem adimant, & inter effœtas inanitates, veteresque errores illam reijciant. Systema Copernicanum opinionis tantum objectum initio fuit; modo vero est veritas demonstrata. Systema Ptolemaicum initio opinionis objectum fuit; nunc inter absurda manifesta adnumeratur.

II.

II. Quod ſimpliciter *Opinio* dicitur, eſt judicium ſive verum ſive falſum, quod de rebus ſive in aliqua natione, ſive in ejus parte aliqua paſſim viget. Hoc eſt idearum congeries, quas educatio, religio, leges, animadverſio tranſmiſerunt, ac veluti per traducem ſtatuerunt, exemplum vero, & conſuetudo confirmarunt.

Opinio æque vera, aut falſa eſſe poteſt. *Opinio vera* eſt quæ experientia, ratione, religione ſive naturali, ſive revelata innititur. *Opinio falſa* eſt quæ aut experientiæ, aut rationi, aut religioni ſive naturali, ſive revelatæ adverſatur, & cujus non niſi ignorantia, aut præjudicium baſis eſt.

ERROR, ET PRÆJUDICIUM: EORUM NATURA, AC FONTES.

184. DEFINITIO I. *Error* eſt judicium falſum ratione veritatis ſpeciem habente innixum: eſt falſa conſequentia a vero principio deducta; ſive recta conſequentia a principio falſo, quod verum putatur, deducta.

At quoſnam hæc errorum illuvies, quæ orbem univerſum invaſit, fontes ſortita eſt, quamque latum erroris imperium? Quæſtiones, ſive diſquiſitiones duæ, quæ ſane philoſopho dignæ ſunt.

185. EXPLICATIO I. Errorum noſtrorum fontes communes omni ætate fuerunt, aut *intelligibilitatis defectus* in rebus ſpeculativis, aut *probationum defectus* in factis, aut *cognitionis, & rectitudinis defectus* in diverſis hominum ingeniis.

I. *Res quædam ſpeculativæ* ſunt, quæ claris, atque diſtinctis ideis percipi nequeunt; & de quibus ſine his ideis judicatum eſt. Hinc errorum diluvies in opinionibus theologicis, & in diſquiſitionibus nimis metaphyſicis.

II. *Res* quædam *facti* ſunt, quæ convincenti-

tibus, & admittendis probationibus omnino carent, & de quibus nullo probationum adminiculo judicatum est. Hinc innumeri errores in statuendis causis, & effectibus, in hypothesibus, in systematibus, & in factis historicis.

III. Quidam *homines tam hebetis, tenuisque ingenii* sunt, ut simplicioribus tantum veritatibus nati videantur, quibusque quævis paullo implicatior veritatis inquisitio abyssus est tenebris obsita, in qua omnes eorum ideæ demerguntur. Hi unius syllogismi homines, de iis judicare ausi sunt, quæ tres, quatuorve postulabant: alii ad tres vel quatuor colligendos idonei de iis judicium tulerunt, quæ prolixam ratiocinationum seriem requirebant. Hinc in ipsis omnigenorum errorum immensus cumulus.

IV. *Alia ingenia* sunt, quæ quidem ad veritatem inquirendam, & assequendam aptiora essent; at inertes, ipsi nihilque veritatis studiosi temere doctrinam quamcumque arripiunt: hi automatum more opinioni cuicumque adhærent, quam aut in eorum secta, aut in natione vigere noverint, seu quam propriis cupidinibus, aut negotiis magis consentaneam deprehenderunt; neque de rebus judicium ferunt, nisi aut ineptis præjudiciis ducti, quibus decipi possunt, aut suspectis auctoritatibus, quas sequentes aberrare possunt, aut effrenatis cupiditatibus impulsi, quæ eos excæcare, & pervertere velent, Hinc in his quoque omnigenorum errorum incredibilis copia.

186. EXPLICATIO II. Etsi errori obnoxia sit *humana mens*, tamen ad veritatem assequendam creata est. Licet autem paucioribus veritatibus, quam erroribus fortasse adhæserit, hoc saltem certum est, adhæsionem errori, quæ semper incerta, dubia, tenebrosa, infirma est (94, & 439), non tam firmum in ipsa imperium exercere, ac probe notam veritatem. Illa ex na-

naturæ defectu, hæc ex naturę præclara dote proficiſcitur.

„ Licet tantis vocibus paſſim clamitetur in „ errores, & varias hominum opiniones (re- „ centioris philoſophi verba ſunt (*a*); ut ho- „ mines ab hac criminatione liberem, æquum „ cenſeo dicere: *non tot eſſe erroribus captos*, „ *neque falſarum opinionum tenaces, quot paſſim* „ *creduntur*; non ſane, quod hos putem veri- „ tatem ſequi: at quod in his doctrinis, quę „ tot rumores excitarunt, nullam illi opinio- „ nem, aut ſententiam vere amplectuntur.

„ Si enim *pleroſque cujuſcumque ſectæ aſſeclas* „ interrogares, profecto minime deprehenderes, „ hos de dogmatibus, quæ tanta contentione „ tuentur, quidpiam abſolute ſentire; quin mi- „ norem tibi rationem præberent judicandi, „ ſe in hanc, vel illam ſententiam deſcendiſ- „ ſe, diſcuſſis probationibus, atque ea verita- „ tis ſpecie, cui innitatur. Illis partibus fave- „ re ſtatuerunt, quibus initio aut educatione, „ aut lucri ſpe adhæſerunt; atque in his, uti „ *gregarii exercitus milites* audacter pro viri- „ bus pugnant ducum ſuorum imperio obſequen- „ tes, quin quam cauſam pugnantes tueantur „ norint, aut inquirant.

„ Si hominum mores ſatis probant, nihili „ ex iis plures religionem facere; qua ratione „ putabimus, hos multum inſudare, ut ſectæ „ ſuæ dogmata, & ſententias apprime addi- „ ſcant? his ſatis eſt ducibus ſuis auſcultare, „ ac *manu & lingua* communem cauſam tueri „ paratos eſſe; atque ita famam, bona, patro- „ cinia ſibi comparare.

„ En porro qua ratione homines earum opi- „ nionum fautores ac defenſores evadant, qui- „ bus

(a) *Lockius*, *De humano intellectu*. *L. IV*. *cap*. 20.

„ bus nunquam probe imbuti fuerunt, & qua-
„ rum vix notionem ullam unquam habuerunt.
„ Quamobrem licet dici nequeat, minorem in-
„ ter homines grassari erronearum, atque ab-
„ surdarum opinionum numerum, quam re ip-
„ sa grassetur; verum tamen est, pauciores eos
„ esse, qui his re ipsa assentiantur, & qui er-
„ rore illusi eas veras putent, quam passim esse
„ arbitramur. "

187. NOTA. Error, stylo dogmatico, ab hæresi differt; error enim rectum, sincerumque animum supponit, quem herefis passim excludit.

Doctrinam erroneam sequimur, quum inscii opinioni adheremus revelationi oppositæ.

Doctrinam hæreticam sequimur, quum doctrinam hanc scientes esse revelationi oppositam, aut ab ecclesia Christi damnatam, eam tamen pertinaciter ut veram, aut verisimilem tenemus.

188. DEFINITIO II. *Præjudicium* est judicium latum aut sine ratione, aut sive sufficienti ad rationem attentione. Hinc inferes præjudicium esse æque posse judicium verum, aut falsum. Attamen præjudicii nomine judicium falsum passim intelligimus.

I. Puer ingenuo loco natus, atque educatus, qui jam & aliqua ratione ducitur, & fidei rudimenta addiscere cœpit, judicat, hominem honestum, rectum, beneficum, veracem, religiosum esse debere, quin quibus rationibus ad hæc quisque teneatur, bene adhuc fortasse norit. En judicium fortasse ab illo sine ratione latum, quod tamen in illo firmior, & magis exculta ratio altius animo infiget, confirmabitque. Hoc præjudicium est, at *præjudicium verum*.

Plebs omnium ignara judicat lunam in plantas, & homines modo salubres, modo noxios influxus emittere. En judicium sine ratione latum, imo rationi oppositum, cujus experientia,

&

& sana philosophia inanitatem jam ostendit. Hoc est *prajudicium falsum.*

II. Pari modo in infantia, quum nondum ratio satis evoluta, ac firmata est, ex magistrorum documentis judicamus Deum creatorem existere, Christi religionem divinam esse, objecta, quæ sensus nostros afficiunt, re ipsa existere, totum majus esse sua parte, Cæsarem, & Alexandrum magnos bellatores fuisse, Moysem, & Jesum Christum magna miracula fecisse. Omnia hęc præjudicia sunt, at *prajudicia vera*, quę ratio nostra firmiori ætate maturior, atque historię, & philosophiæ studiis erudita, amplectitur, atque confirmat.

In infantia quoque sensibus ducibus, quos ratio nondum dirigit, judicamus, terram immotam esse, cœlum quotidie circa terram converti, innumeras faculas, quas stellas vocamus, cuidam veluti solido, & cæruleo fornici infixas esse. *Prajudicia* hæc sunt, & *falsa* quæ ratio astronomiæ studiis exculta procul ablegat.

III. Præcipui duo *falsorum prajudiciorum fontes* sunt, aut *habitus magis, minusve inveteratus quarundam idearum*, quas nulla indagine mens nostra amplexa est, quibusque temere in præjudicia trahitur; seu aliqua *caca, & immoderata cupiditas*, quæ quędam fallaci specie objecta nobis exhibens, & aspectu quodam mendaci modo grato, modo inviso, quem illis affingit, nobis sufficit, aut a nobis carpit innumera judicia, quę ratio nostra clarius illustrata, minusque perturbata abijceret, atque ejuraret.

§. VI.

§. VI.

RERUM IN GENERA, ET SPECIES DIVISIO.

189. OBSERVATIO. Perſpicuum eſt, eandem individuam naturam conſiderari poſſe aut tamquam proprietatum collectionem illi tantum convenientem: & tunc *individuum* concipimus; aut tamquam proprietatum collectionem pluribus ſimilibus individuis tantum convenientem: & tunc *ſpeciem* concipimus; aut tamquam collectionem pluribus diſſimilibus individuis convenientem, ſive pluribus *diverſis* individuorum *ſpeciebus*: & tunc *genus* concipitur.

Exempli cauſa, ſi *malum aſſyrium* ut hoc malum conſidero, individuum concipio; ſi illud ut malum aſſyrium in genere conſidero, ſpeciem concipio; ſi illud adhuc magis late ut ſubſtantiam, ut corpus, ut mixtum, ut fructum conſidero, genus concipio.

Pari modo, ſi *hominem* ut hunc hominem, puta ut Ariſtum concipio, individui ideam habeo; ſi illum tantum ut hominem concipio, ſpeciei ideam habeo; ſi ut ſubſtantiam in genere, aut ut ſubſtantiam vitę & ſenſus principio donatam concipio, generis ideam habeo (35, & 38).

190. DEFINITIO. Hac generica obſervatione poſita facile eſt veram ideam, veramque ſignificationem percipere quatuor harum philoſophicarum vocum, genus, differentia, ſpecies, individuum.

I. *Genus* eſt eſſentialis proprietas pluribus diverſis ſpeciebus communis, qua inter ſe confunduntur. Hujuſmodi eſt qualitas *animal* in homine, & brutis.

II. *Differentia* eſt eſſentialis proprietas unius tan-

tantum ſpeciei propria, qua a ceteris omnibus diſtinguitur; hujuſmodi eſt qualitas *rationale* in homine.

III. *Species* eſt natura ſimilis in pluribus individuis, cognita ſub proprietatibus genericis, & differentialibus, quæ illam conſtituunt, atque diſtinguunt, ab iiſque proprietatibus per abſtractionem præciſa, quæ, ut individuales, unum ab altero individuum diſtinguunt. Hujuſmodi eſt natura humana conſiderata in genere ut ſubſtantia ſenſibilis, & intelligens.

Idea præciſiva illa eſt, quę facit, hanc *naturam ita genericam* affirmari poſſe de individuis omnibus, quæ continet, aut in quibus continetur, quibuſque in hoc abſtractionis ſtatu convenit; ut alibi de philoſophicis diſtinctionibus agentes fuſius explicabimus (319 & 336).

IV. *Individuum* eſt natura unica, & ſolitaria in ſe ipſa conſiderata, & veluti ſe ipſa circumſcripta. Hujuſmodi eſt Ariſtus, hujuſmodi Æmilius in humana ſpecie; hujuſmodi Buccephalus, aut *Roncinans* in equorum ſpecie; hujuſmodi ſunt in ſua quiſque ſpecie hæc arbor, hoc pomum, hoc brutum, hæc herba, hæc foſſilis maſſa; & ſic de reliquis (*a*).

Perſpicuum eſt unius individui naturam nulla ratione alius individui naturam eſſe; unum enim non eſt aliud; atque unum ſine alio exiſtere poteſt. Si duo individua diſſimilia ſunt, duæ ſunt naturæ diverſæ ſpeciei. Si duo hæc individua ſimilia ſunt, duæ ejuſdem ſpeciei naturæ ſunt.

191. NOTA. In eadem individuorum ſpecie unum individuum nihil alii commune habet præter *quamdam naturæ ſimilitudinem*, quæ menti noſtræ occaſionem præbet innumera ſimilia indi-

(a) ETYMOLOGIA. *Individuum*: *Ens in natura ſua indiviſum*.

dividua sub una tantum idea concipiendi, quę illa simul confundit.

Hæc naturæ similitudo in innumeris individuis similibus id est, quod aliquando dicitur *species fundamentalis*; id nempe, quod menti fundamentum præbet uno veluti intuitu hanc universam individuorum multitudinem concipiendi, ita ut objectum *idea ita generica* vera species evadat, qualem definivimus, aut natura pluribus individuis communis.

PROPRIETATES GENERICÆ, ET DIFFERENTIALES,

192. OBSERVATIO. *Proprietates genericæ, & proprietates differentiales* entium necessario basis sunt definitionum omnium, seu descriptionum, quæ illorum fiant. Maximi itaque momenti est harum proprietatum rectas, atque distinctas ideas habere.

I. *Proprietates genericæ* magis minusve vagæ, & extensæ esse possunt; & hujusmodi sunt, quo magis minusve rem definiendam, seu describendam cum pluribus, aut paucioribus objectis diversis confundunt.

Inter rei proprietates magis minusve genericas dicitur *genus proximum* proprietas illa, quæ minus rem confundit; & *genera remota* dicuntur proprietates, quæ magis confundunt.

Exempli causa: ideæ horum objectorum, *ens*, *substantia*, *vivens*, *animal* totidem hominis genera sunt; objectum hujus ideæ, *animal*, ejus genus proximum est. Tres primæ ideæ cum nimiis rebus hominem confundunt; postrema unice tantum confundit, quantum opus est, ut apte cognoscatur, quid cum ceteris entibus commune habeat.

II. Idem ens plures habere potest proprietates differentiales, plures proprietates scilicet, quarum quælibet illud a quavis alia specie secernit. Exem-

Exempli causa: Deus a quovis alio ente existente distinguitur qualitatibus entis increati, substantie in omni perfectionum genere infinitæ, spiritus infinite intelligentis, causæ infinite activæ, & efficacis; & sic de reliquis.

Pari modo homo distinguitur ab aliis entibus omnibus principium vitæ, & sensus habentibus, ut ipse habet, facultate, quam habet, æstimanda æstimandi, alia, quam habet, facultate de ridiculis ridendi, alia item, qua moralitatis est capax, qua scilicet in suis actibus dirigi potest quarundam legum, & quarundam obligationum cognitione; atque ita de ceteris.

III. Inter differentiales ejusdem entis proprietates ea dicitur *differentia ultima*, cujus idea magis explicite ceteras omnes continet; illa a qua ceteræ omnes emanant, quæque a nulla alia emanat.

Exempli gratia: inter hominis differentiales qualitates, seu proprietates differentia ultima censeri potest qualitas, *rationale*; ab hac enim ceteræ omnes fluunt, ipsa vero, tota sua amplitudine sumpta, a nulla alia procedit.

193. NOTA I. In eodem ente *genus*, & *differentia* non sunt re ipsa, nisi una, eademque natura diversis modis considerata.

Exemplum. In homine considerato ut *animal rationale*, sive ut subjectum sentiendi & ratiocinandi capax, idea generica, & idea differentialis non nisi *eandem humanam naturam* objectum habent, abstractione metaphysica inspectam modo respectu suarum sensationum, quibus cum omnibus animalium speciebus confunditur, modo respectu suarum ratiocinationum, quibus ab omnibus animalium speciebus distinguitur (40).

194. NOTA II. Ex genere, & differentia fit *species*, quæ est compositum.

I. Genus speciem non continet: species genus continet.

Exemplum. Idea animalis neque hominis, neque bruti qualitatem continet; at ab utroque præſcindit.

Idea hominis, leonis, accipitris, & ceterorum, a qualitate animalis non præſcindit; imo eam ſupponit, aut includit.

II. Genus ſpecie magis late patet: ſpecies genere ditior eſt. Illud plura objecta attingit: hæc plures qualitates, ac proprietates continet.

Exemplum. Idea animalis principium vitę, & ſenſus omnibus animalium ſpeciebus commune tantum exhibet. Idea hominis vagam hanc ideam ditat omnibus proprietatibus hominem diſtinguentibus. Idea leonis hanc eandem ideam vagam ditat omnibus proprietatibus leonem diſtinguentibus.

195. NOTA III. Genus ſemper magis, aut minus vagum eſſe poteſt; ſpecies magis, aut minus aliquando coarctari poteſt.

I. Sicuti genera remota ſunt, & genus proximum; ita ſpecies ſuperiores ſunt, & ſpecies ultimę. *Species ſuperior* plures ſubalternas ſpecies ſub ſe continet; ſpecies ultima tantum individua ſimilia ſub ſe continet.

II. Species ſuperior reſpectu ſpecierum ſubalternarum uſque ad ſpeciem ultimam genus eſſe poteſt.

Exemplum. Malum eſt ſpecies reſpectu piri, aut pruni. Malum eſt ſpecies reſpectu mali Apii, aut Parmenſis. Ita Pirum eſt genus reſpectu cruſtumii, & Syri, quæ ſunt duæ *ſpecies ultimæ*, nihil ſub ſe niſi individua ſimilia continentes.

ENTIA IN DIVERSAS CLASSES DIVISA.

196. OBSERVATIO I. Humana mens ut diverſa objecta quæ noſcit, aut noſcere ſtudet aptius percipiat, ac memoria teneat, inſtinctu, ac ratione ducta illud pręcipue curat, ut ea ve-

veluti *in diversos, & sejunctos manipulos* colligat, in plures distinctas classes dividat, ac in plures diversas species distinguat; quin & in eadem entium classe, seu specie ea omnia recensere consuevit, quae passim similia censet, in quibus nempe eandem proprietatum peculiarium, & distinctivarum collectionem deprehendit.

His peractis, judicio analogiae (179) notam censet totam classem, seu totam *rerum speciem*, cujus pleraque individua satis observavit: atque hoc pacto cognitiones suas auget, atque coordinat.

197. OBSERVATIO II. Accurata, & methodica rerum divisio in diversas classes, in diversa genera, in diversas species magnum semper cuique vel peritissimo, & doctissimo cuique naturae studioso negotium facesset. Infinitas enim ambiguitates in innumeris casibus necessario parient quae similia, quaeque dissimilia in objectis distribuendis in classes deprehenduntur sive in regno animali, sive in vegetabili, sive in fossili. At hominibus passim nihil hoc difficultatis affert. Id enim tantum interim, & jure curant, ut ejusdem classis faciant entia omnia, in quibus *earundem passim proprietatum collectionem* deprehendunt; neque solliciti sunt eidem ne classi adnumeranda, an ab ea excludenda sint alia entia, in quibus aliquae similes, aliae dissimiles proprietates invenirentur.

I. Exempli causa: *speciem humanam* vocant entia omnia, in quibus sentiendi proprietatem ratiocinandi proprietati conjunctam vident; nec ultra quaerunt, existere ne possint entia sensibilia, & intelligentia ab homine diversa.

Idea specifica, quam hominis sibi efformant illum concipientes ut ens sensu, & ratione praeditum, sive ut *animal rationale*, ipsis distinctivarum proprietatum collectionem exhibet, quae ipsis abunde sufficit, ut ex homine entium

 clas-

classem constituant ab omnibus sibi notis diversam; sive quod idea hæc specifica homini tantum conveniat, aut convenire possit; sive quod entibus etiam ab homine diversis conveniat, cum quibus tamen nullum adhuc commercium habent. Primo casu idea hæc hominis specifica absoluta erit: altero tantum *interina*; & quum opus fuerit, eam extendere, aut coercere curabunt, ut ab ea quidquid aut deficientis, aut æquivoci tunc haberet, quod modo non habet, auferatur.

II. Pari modo inter varias animalium cicurum species *canis* nomine appellant animalia omnia, in quibus *communem latrandi proprietatem* norunt; quin solliciti sint quærere, sint ne alia latrantia specie diversa; aut si audax molossus, quem vident aut septa, aut muros transilire, ut lupos vicina in silva noctu ululantes aggrediatur, & dilaniet, ejusdem speciei sit, ac pavidus catellus hispanus, qui nec latrare, nec irasci audet, nisi in heræ brachiis, aut gremio se tutum videat.

Itaque interim molossi, & hispani duas sibi ideas efformant partim similes, partim diversas; quum vero opportuna observationum serie deprehenderint, hispanum esse tantum molossum degenerem, seu spurium, & in omnibus suis naturalibus facultatibus imminutum, tunc ipsi nova hac cognitione illum ad communem originem, & ad eandem primitivam speciem referent. Eorum ideæ protendentur, & perficientur, naturam vero non mutabunt.

III. Pari item modo inter diversa mala, quæ a suis arboribus gigni vident, unum est, quod pelle rubrum, pulpæ colore albo, & rubro varium est: hoc, ut ab aliis speciebus secernatur, *roseum* appellant.

Quum subinde malum aliud invenerint pellis, & pulpæ tantum candore diversum, tunc ne nominum multiplicitate confusionem pariant,

pri-

primum malum roseum, alterum album nuncupabunt. Hic quoque vides, eorum ideas extendi, ac perfici, non tamen natura mutari.

IV. Pari tandem modo inter substantias metallicas, quas aut fortuito offendunt, aut quas cupiditate, & luxu impulsi perquirunt, unam deprehendunt, cujus specificæ proprietates sunt color flavus, summa ductibilitas, & respectiva gravitas maxima; hanc vocant *aurum*.

Si aliquando noscerent existere metallum album, quod omnes auri jam noti specificas proprietates haberet, colore excepto, primum vocarent aurum flavum, alterum aurum album. *Idea specifica*, quam interim auri noti sibi efformaverant, hac additione non immutata, aut natura diversa esset; at tantum clarior, atque perfectior.

198. NOTA. Hinc colliges novas cognitiones, quas in dies de natura adipiscimur, non eo tendere ut *novam* rerum *naturam* detegamus, ut jam monuimus; at eo tantum tendunt, atque hoc unum assequi possunt, ut scilicet naturam jam notam clarius, distinctius, novis relationibus, novisque proprietatibus cognoscendam exhibeant (14).

199. OBSERVATIO III. Facile intelliges, quot *simplici*, *& accurata entium in genera*, *& species distributione* hominum mens in veritate inquirenda, ac præsertim in naturæ studio molestias evitaret.

I. Hoc pacto videremus primo diversa cognitionum nostrarum objecta veluti in paucos *solitarios fasciculos* collecta, quorum quilibet a reliquis secerneretur proprietate aliqua omnibus in illo coadunatis conveniente, nullatenus vero rebus, quæ in aliis fasciculis continerentur.

II. Hoc pacto unico veluti intuitu *relationem & nexum* generum cum speciebus, & specierum cum generibus dignosceremus.

Genera ampliora tunc nobis essent veluti re-

gionum excurrendarum universa Chorographia: ibi res late, & paullum confuse videremus; *Species* rebus ditiores, essent veluti peculiaris eorum omnium descriptio, quæ dignoscere magis interest: ibi res singillatim, & accurate descriptas intueremur (194).

Genera nobis proprietates rerum communes, mutuas relationes, classes ad quas spectant, progeniem, & compositionem indicarent. Species ob oculos ponerent res singulas suis distinctivis proprietatibus instructas, & unamquamque eo ordine, & loco positam, quam proprietates earum communes postularent.

III. En tibi quæ accurata, & nitida, ac simplex rerum distributio, si fieri posset, commoda compararet.

At vero, si certum est maxime utilem hujusmodi partitionem fore, æque certum est, difficultatis plurimum in ea omni amplitudine facienda inventum iri; neque metaphysicorum omnium, physicorumque solertiam eo adhuc devenisse, ut difficultates has superaverit, in iis prǽsertim, quæ ad regnum animale, & fossile spectant; in quibus sæpius *principia* desunt, a quibus *ad species in classes distribuendas* progrediamur, ita ut & invicem distinguantur, & ad genera cuique convenientia referantur.

ENTIS DIVISIO.

200. OBSERVATIO. Omnium maxime generica entium, sive rerum divisio ea est, quæ in duos veluti *immensos fasces* omnia partitur, in substantias scilicet, & modificationes.

Quidquid existit, aut existere potest *Ens* est. Nullam latiori significatione vocem aut creare, aut usurpare mens potest. Hæc omnibus convenit nunc existentibus, seu iis quæ mille ante annos extiterunt, iis quæ post decem, aut viginti sæcula extitura sunt, iis quæ, quia nunquam

quam extitura sint, tamen re ipsa existere possent. Nomen hoc cuique sive substantiæ, sive modificationi aut existenti, aut quæ existere possit, aptatur; iis præterea omnibus, quæ sensus sentire, aut mens percipere potest; quin & infinitis aliis, quæ sensus, & mentem effugiunt.

Ens genus est generum omnium maxime universale: in substantiam, & modificationem dividitur: hac duæ ejus species sunt.

201. DIVISIO I. *Substantia* dicitur ens quodcumque, quod in se, & a se concipi potest: ens quodcumque, cujus natura ipsum dumtaxat exigit, ut existentiæ suæ subjectum: ens quodcumque, cujus existentia nullius alterius, præter Entis æterni, indestructibilis, increati, & creantis existentiam aut supponit, aut exigit.

Hujusmodi Deus est, quem in se, & a se concipio ut ens infinitum, increatum, primam omnium causam; at ab omnibus essentia distinctum, & independens.

Hujusmodi est anima hominis, quam in se, & a se concipio ut ens intelligens, sensibile, potens solitarium existere, a corpore sejunctum, solum cum solo Deo, in mundo intelligibili.

Hujusmodi est quævis materiæ portio, quæ existit, & in se ipsa subsistit, quin alio indigeat subjecto ab ipsa distincto, ut existat, aut concipiatur. Substantia a modificatione differt essentia ipsa: una nunquam altera esse potest.

Qua ratione substantiæ idea in nobis fiat, quodnam hujus ideæ objectum sit, quænam etymologia sit vocis & hanc ideam, & hoc objectum significantis quamprimum indicabimus (113).

202. DIVISIO II. *Modificatio* dicitur essendi modus substantię; qui essendi modus non nisi in substantia existere, neque mente concipi nisi in substantia, & cum substantia potest.

Exemplum. Globus marmoreus substantia est. Marmoris hujus figura, motus, quies modifica-

tiones sunt, quarum existentia marmoris hujus existentiam necessario supponit; quarum ea natura est, ut nullo pacto ab hoc marmore sejunctę existerę possint, ac ne ab hoc quidem marmore sejunctæ concipi.

Pari modo anima mea substantia est: ideæ, sensationes, opiniones, judicia, ratiocinia, animæ modificationes sunt, quę non nisi in anima hac existere, aut concipi possunt.

203. NOTA. Intimi sensus testimonio nobis constat, modificationem ullam nos neque concipere, neque concipere posse, quin substantiam modificatam, aut substantiam in qua modificatio ista existat, atque subsistat concipiamus.

Nequeo, exempli causa, silicis motum, digiti mei inflexionem, animæ meæ gaudium, aut mœrorem concipere, quin hanc silicem, hunc digitum, hanc animam concipiam.

Quum motum in genere, exempli causa, concipio, non jam solitariam, & ab omni substantia sejunctam motus modificationem concipio: at hanc motus modificationem concipio in aliqua substantia, indeterminata quidem, & in genere; & hoc abstractione metaphysica.

SUBSTANTIÆ DIVISIO.

204. OBSERVATIO. Substantię divisio maxime generica ea est, quæ illam in *tres veluti ingentes fasces* distribuit, in substantias nempe spirituales, in substantias materiales, & in substantias medias, quę medium inter spirituales, & materiales substantias locum tenent, quin aliquid alterutri commune habeat.

205. *Substantia spiritualis*, aut *spiritus* tantum dicitur quævis substantia immaterialis, & intelligens apta res cognoscere, atque perpendere tum in ordine physico, tum in ordine morali, tum in ordine pure intelligibili. Hujusmodi est Deus, anima hominis, & substantiæ

illæ

illæ immateriales, & intelligentes, quas angelos vocamus: quas substantias existere posse nos ratio docet; existere eas vero, & cur a Deo creatæ fuerint revelatione certo scimus.

Substantia spiritualis in tres diversas species iterum dividi potest; atque hæ erunt, Deus, angeli, animæ humanę.

I. Deus ipse solus speciem suam facit, quæ unicum individuum continet.

II. Fieri potest, Angelos superiorem speciem in alias inferiores divisibilem efformare (195); de his ratio silet, revelatio non satis aperte loquitur.

III. Animæ humanæ unicam speciem, eamque ultimam efformare videntur. Omnia hujus classis individua esse possunt intrinsece similia, & si quas habent intrinsecas diversitates, quod neque ἀδύνατον, neque probabilitate carens est, hæ diversitates neque nobis revelatæ, neque demonstratæ sunt (1156)

206. DIVISIO II. *Substantia materialis*, seu tantum *materia* dicitur substantia quævis natura extensa, & impenetrabilis; sive ea solida appareat, ut marmor, ferrum, lignum; seu liquida sit, ut aqua, vinum, oleum; sive fluida, ut aer, ignis, lux, materia subtilis.

Materialis substantia *in duos* veluti *ingentes fasces* partiri potest; in corpora scilicet elementaria, & in corpora mixta.

I. Primus fascis, *corporum* nempe *elementarium* in quatuor, vel quinque species ultimas adhuc tribuetur; atque hæ sunt aer, ignis, terra, aqua, & fortasse materia quædam subtilis a quatuor prioribus principiis diversa.

II. Fascis alter, *corporum* nempe *mixtorum*, cujusmodi sunt corpora animalium, vegetabilium, fossilium, planetarum, cometarum, &, ut verisimile est, solis etiam, atque stellarum, diversis modis dividetur juxta diversa hominum studia.

MODIFICATIONIS DIVISIO.

209. OBSERVATIO. Modificationis divifio magis generica ea eft, quæ eam *in tres* veluti *ingentes fafces* partitur; nempe in modificationes fpirituales, in modificationes materiales, & in modificationes inter has medias. Totidem enim diverfæ modificationum fpecies funt, quot fubftantiarum fpecies diverfæ funt; juxta enim axioma philofophicum, perfpicuum eft, modificationem quamlibet naturæ fubjecti, cui inhæret, & in quo inhæret, participare debere. *Quidquid recipitur fe habet per modum recipientis.*

I. Modificationes omnes fpiritibus quibufcumque convenientes, uti cogitatio, volitio, ratiocinatio, reminifcentia, amor, aut odium, fpes, aut timor, voluptas, aut dolor, *modificationes fpirituales* funt: hæ neceffario fubftantiæ ab ipfis modificatæ participant.

II. Modificationes omnes corporibus quibufcumque convenientes, uti motus, quies, figura, fitus, *modificationes materiales* funt: hæ naturam fubftantiæ, cui inhærent, neceffario fequuntur.

III. Si fubftantiæ inter materiam, & fpiritum mediæ exiftunt, cujufmodi diverfarum brutorum fpecierum animæ videntur effe, modificationes omnes fubftantiis his convenientes *modificationes mediæ* funt inter materiales, & fpirituales modificationes; earum enim natura ab ipfa fubjecti natura determinatur, quæ nullo pacto neque materia, neque fpiritus eft.

TERRESTRIUM SUBSTANTIARUM DIVISIO.

210. OBSERVATIO. Divifio magis generica diverfarum fubftantiarum, quæ globi hujus aut fuperficiem, aut intimas partes occupant, quæque diverfas corporum fpecies efficiunt, ea eft, qua

qua in *tres* veluti *ingentes fasces* partiuntur; in ſubſtantias nempe animales, in ſubſtantias vegetabiles, & in ſubſtantias foſſiles. Hinc tres ſubſtantiarum claſſes genericæ.

I. *Claſſis animalis* homines, & bruta complectitur: homines, qui ſenſus, & rationis participes ſunt; bruta, quæ ſenſu prædita ſunt, & ratione carent.

Rationalis ſpecies, in duas aut tres veluti ſtirpes caſu quodam diviſa, unica eſt. Nullius veræ diviſionis capax eſt quo ad naturam, ut in noſtra philoſophia religionis fuſius explicavimus.

Irrationalis ſpecies varias admittit diviſiones generales, iterum aliis, atque aliis diviſionibus partiendas, donec ad ſpeciem ultimam devenies, quæ non niſi ſimilia individua complectatur. Exempli cauſa, primum dividitur in animalia vivipara, & in ovipara; ſive in animalia uniſexa, biſſexa, & aſexa, ſive in quadrupedia, piſces, aves, reptilia, inſecta, microſcopica. At vero harum diviſionum quælibet genus eſt, quod plures ſpecies ſub ſe continet.

II. *Claſſis vegetabilis* omnes ſubſtantias materiales complectitur organis vitalibus inſtructas, quin intimum ſenſationum principium habeant. Continet hæc innumeras diverſas ſpecies; quarum ad centum quinquaginta mille jam notæ ſunt (189).

III. *Claſſis foſſilis* omnes ſubſtantias amplectitur, quæ in terræ viſceribus efformantur, quæque nec ſenſus principio, ut animalia, nec vitalibus organis, ut vegetabilia, inſtructæ ſunt. Ipſa præterea pleraſque diverſas ſpecies continet, quarum nonnullæ genera ſunt, uti metalla, ſemimetalla, lapides, bitumina, ſalia, &c.

211. NOTA. In regnis tribus animali, vegetabili, & foſſili *ſpecies* dicitur collectio individuorum omnium ſimilem naturam habentium in iis omnibus, quæ naturæ hujus eſſentia, & fundamentum ſunt. At non ſemper facile eſt

ter-

terminos identitatis, & alteritatis, ut ajunt, specierum definire; neque enim facile est terminos identitatis, & alteritatis definire constitutivorum essentialium in duabus naturis, quæ invicem comparentur.

I. In regno animali *ejusdem speciei animalia* dicuntur illa, in quibus masculi, & fœminæ congressus simile animal gignit aptum simile sibi in eadem specie producere; *diversa* vero *speciei animalia*, in quibus aut masculi, & fœminæ congressus haberi nequit, aut nihil gignit, aut animal mixtum gignit, quod *mulum* appellamus, quod aliquid patris, & matris habet, quodque simili fœmellæ coiens sui simile nunquam gignit.

II. In regno vegetabili *identitatem*, & *alteritatem speciei* passim determinare multo difficiliuseſt. Neque enim quid habemus ita a natura definitum, atque distinctum, quo, tamquam basi, ac principio identitas ista, aut alteritas generatim statui, ac poni possit.

Illustris botanicus Gallus Pitto Turnefortius in suis *Institutionibus rei herbariæ* regni vegetabilis productiones tribuit in classes, genera, & species. Ut eas ad classes referat, *florum similitudine* præsertim innititur; ut ad genera, *florum, & fructuum similitudine*; & ut ad species, *omnium partium, ac proprietatum similitudinem* requirit.

At hac ratione in quem inextricabilem labyrinthum botanicos conjicit! ipse tantum in hoc Dedalæum filum haberet. At fiat etiam, si lubet, nos extricari; quid quæso commodi ex tam incerta in principiis methodo, tamque usu difficili percipiemus? Simplex intuitus me jam docet, tulipam non esse ranunculum, quercum non esse cerasum, plantam, quæ frumentum producit, non eam esse, quæ millium, aut fabam parit: nec quidpiam ultra botanici Galli me methodus docebit.

III. In

III. In regno fossili multo facilius est *identitatem, & alteritatem speciei* definire; sive quia minor, quam in vegetabili regno, specierum numerus est, sive quia speciei cujusque termini certius definiti, & statuti sunt. Magnæ quercus ramusculus, exempli causa, æquali cespitis ramusculo admodum similis est; at auri, aut argenti atomus ferme infinite distat a lapidis, sulphuris, aut salis marini atomo. Idem de reliquis dicas.

Hoc in regno figuræ, coloris, proprietatum, specificæ gravitatis, fixitatis, volatilitatis diversitas facile admodum, ac plena certitudine speciei identitatem definiunt.

§. VII.

SUBSTANTIÆ, AC MODIFICATIONIS NOTIO EXPLICATUR.

212. OBSERVATIO. Duabus, quas dedimus, substantiæ, & modificationis definitionibus, quasque hausimus ex ideis vagis, quas interim mens nostra sibi efficit (201 & 202), ostendimus qua ratione duæ hæ ideæ objectivæ entium classes, quæ esse possunt, omnes attingant universim, & complectantur. At quot implicatis quæstionibus, quot profundis meditationibus, quot fortasse nunquam solubilibus problematis argumentum præbebunt bases hæ, ac fundamenta duo omnium humanarum cognitionum, idea scilicet substantiæ, & idea modificationis! Sint exempla.

I. Qua ratione diversarum substantiarum ideæ in nobis efformantur? Quid substantiam concipientes concipimus? Quid ejusdem substantiæ diversa attributa, diversasque proprietates concipientes concipimus? In quo convenit, aut differt

fert rerum substantia ab earumdem rerum essentia?

II. Qua ratione diversarum modificationum ideæ in nobis efformantur? Quid in quavis substantia modificationem quamcumque concipientes concipimus, puta figuram, aut motum? Quidpiam ne præter substantiam hanc, aut substantiam hanc ipsam tantum & præterea nihil concipimus?

III. Quare nam, & qua ratione ideæ, quas modificationum habemus, claræ passim, atque distinctæ sunt, dum quas substantiarum passim habemus confusæ admodum, & obscuræ sunt? Unusquisque enim nitidissime concipit quid sphærica, aut cubica figura sit, quid in materia quavis motus horizontalis, aut verticalis. Atquinam, sit ille etiam, si lubet, naturæ studiosus, aut philosophus, ejus, quam *substantiam* vocat, claram sibi, distinctamque ideam efformavit unquam in iis ipsis rebus, quæ suis sensationibus, ac meditationibus magis obviæ sunt? illius, exempli gratia, quod substantiam vocat in pane quo nutritur, in aqua qua sitim extinguit, in panno quo induitur, in terra quam pedibus calcat? illius, quod substantiam vocat in ea extensa, & organica substantia, quæ sui ipsius pars est, quamque corpus suum dicit? in ea intelligente, sensibilique substantia, quæ quoque sui ipsius pars est, quamque animam suam vocat?

Hinc amplissima disquisitionum magni momenti, ac meditationum supellex, quæ metaphysicæ fundamenta sunt, quæque intimam rationem habent ad humanas cognitiones omnes; quasque septimo hoc paragrapho proponemus.

QUA RATIONE SUBSTANTIAS CONCIPIAMUS.

213. ASSERTIO I. *Substantias, quacumque earum natura sit, neque concipimus, neque concipere possumus, nisi tamquam basim, aut subjectum, aut suppositum diversarum collectionum proprietatum, seu modificationum, quæ illas distinguunt, & quibus nos afficiunt.*

EXPLICATIO. I. Ut assertionis hujus, quæ maximi momenti est, veritatem apte percipiamus, satis est animadvertere quid in nobis fiat quum substantiam quamcumque percipimus, puta corpus nostrum, animam, Deum, aerem, lucem, saxum, uvam; cetera. Hoc animadvertentes intelligemus, ac dignoscemus, nos res in se ipsis minime intueri, neque *rerum existentium* aliam nos ideam, aut cognitionem habere præter eas, quas in nobis excitant impressiones diversæ, quas illæ nobis faciunt. At enimvero qua ratione nos afficiunt res existentes? duplici tantum modo, ac mediis duobus: diversis nempe proprietatibus, quibus illas præditas deprehendimus, & diversis modificationibus, quas illis inhærere dignoscimus.

I. Certum est primo, diversas substantias nos afficere *diversis proprietatibus*, quas in iis deprehendimus, & quarum collectio, seu conjunctio eas distinguit, atque in data specie constituit (*).

Exempli causa, sacchari frustum mihi non fit sensibile, nisi diversis, quas habet, proprietatibus,

(*) *ETYMOLOGIA*. Substantia, substratum, subjectum, suppositum; a vocibus *stans sub*, *stratum sub*, *positum sub*. Substantia; quod sub rerum proprietatibus, & modificationibus celatum est: quod stat sub variis rerum proprietatibus, & modificationibus.

bus, nempe hanc lucis ſpeciem ad oculum meum reflectendi, hanc vibrationum ſpeciem in palati mei fibris excitandi, hanc reſiſtentiæ ſpeciem manui meæ obijciendi.

Ita nummus, puta aureus Ludovici, hoc dato modo me afficit non niſi diverſis, quas habet, proprietatibus hanc lucis ſpeciem in oculos reflectendi, hanc reſiſtentiæ ſpeciem manui meæ objiciendi, hanc ſenſationis ſonoræ ſpeciem in aure mea, dum in lapidem cadit, excitandi.

Porro quum hæ *collectiones diſtinctivæ proprietatum* nos afficere nequeant quin exiſtant, neque exiſtere poſſint niſi in re aliqua, ſive ſubjecto aliquo exiſtant; nos *ſubſtantiam* appellamus rem hanc inviſibilem, ſubjectum hoc perceptionibus noſtris inacceſſum, in quo reſident tum diverſæ proprietates, cum diverſæ modificationes, quas percipimus, atque ſentimus.

II. Certum præterea eſt, diverſas ſubſtantias nos afficere *diverſis modificationibus*, quas illis inhærere deprehendimus, quæque, licet ſucceſſivæ, eas tamen aliquo pacto non minus diſtingunt, atque ad datam ſpeciem referunt, ac magis ſtabiles, ac permanentes proprietates.

Ac primo quidem diſtinctivæ rerum proprietates non ubique ſunt: hoc itaque, aut illo, neque alio modo terminantur. Hinc in rebus *modificationes figuræ*, atque hæc potius, quam alia figuræ modificatio: hinc in nobis harum figuræ modificationum perceptio.

Deinde diſtinctivæ rerum proprietates ſunt modo in eodem loco, in quo ſiſtunt, modo in diverſorum locorum ſerie, quos aut latæ, aut a ſe procedentes ſucceſſive occupant. Hinc in rebus *modificationes motus*, & in nobis harum motus modificationum perceptio.

III. Tandem diverſæ modificationes, quæ nos afficiunt, exiſtunt; at exiſtere nequeunt, quin in re aliqua, ſive ſubjecto aliquo exiſtant: res hæc inviſibilis, hoc inviſibile ſubjectum id adhuc

hucest, quod nos substantiam appellamus. Hinc idea confusa *substantiæ materialis*, cui diversæ motus, ac figuræ modificationes inhæreant. Hinc idea confusa *substantiæ spiritualis*, cui diversæ inhæreant modificationes cogitationis, & sensationis, quas quoque percipimus, quasque nunquam subjecto attribuemus, in quo sunt, & subsistunt figuræ, & motus modificationes.

EXPLICATIO II. Hoc alio etiam pacto explicari potest, qua ratione a diversarum proprietatum, & modificationum substantiæ cognitione ea ipsa cognitio pendeat, quæcumque sit, quam ipsius substantiæ nos habemus.

I. In ligno, aut ferro, quod præ manibus habeo, proprietatem noto, qua certa quadam vi ad centrum terræ tendit, aliam quoque, qua certa quadam vi partium suarum separationi resistit, aliam item, qua spatium, in quo est, & non aliud occupare tendit; quin & aliam, qua datam lucis speciem reflectit: aliam adhuc, qua finitam quamdam resistentiam manui meæ illud prementi, aut sustinenti opponit. In hoc seu ferro, seu ligno determinatas quasdam figuræ, motus, aut quietis, & positionis modificationes animadverto.

Quæ omnia considerans dico: diversæ hæ proprietates, diversæ hæ modificationes, quas sentio, non jam se solis existunt, aut subsistunt: at ut existant, & subsistant aliquo subjecto indigent, quod illarum sit veluti basis, atque suppositum.

Subjectum hoc abditum, & ignotum, quod materialium tum proprietatum, tum modificationum basis, & suppositum est, quas in hoc ferro, seu ligno deprehendo, id ipsum est, quod ego ferri, aut ligni substantiam dico, & in genere *substantiam materialem*.

II. Pari modo in ente meo intelligente, & sensibili, anima scilicet, adnoto proprietatem animadvertendi, proprietatem ratiocinandi, alias quo-

quoque res abstractas percipiendi, bonum cognoscendi, & amandi tum in ordine physico, tum in morali. In hoc eodem ente intelligente, & sensibili, in hac, inquam, eadem anima deprehendo modo modificationem ideæ, modo modificationem ratiocinii, modo aliam plausus, & gaudii, modo aliam mœroris, & pœnitentiæ.

Hæc meditatus dico: diversæ hæ proprietates, & modificationes non sane a se ipsis solitariæ existunt, aut subsistunt; ut ergo existant, & subsistant, subjecto aliquo tamquam basi, aut supposito indigent.

Subjectum hoc abditum, & ignotum spiritualium proprietatum, & modificationum basis, & suppositum, quas in ente meo intelligente, & sensibili, in anima, inquam, dignosco; id est, quod animæ meæ substantiam, & in genere *substantiam spiritualem* appello.

214. ASSERTIO II. *Quas substantiarum habemus ideæ, confusæ admodum, & obscuræ semper esse debent; licet quas suarum modificationum habemus, passim claræ, & distinctæ sint.*

EXPLICATIO. Horum ratio est, quia veluti immediate in se ipsis rerum modificationes dignoscimus; at ipsam rerum substantiam non nisi mediate dignoscimus. Exempla sint.

I. *Modificationes figuræ, & motus*, quæ ad materialem substantiam pertinent, per se ipsas organa nostra afficiunt, veramque & immediatam in illa actionem exercent his ipsis organis veluti impressam, & consignatam. *Modificationes perceptionis, & sensus* ad spiritualem substantiam pertinentes, ipsæ immediate per se animam afficiunt, in qua existunt, & cui veluti impressæ sunt. Hinc ideæ claræ, & distinctæ, quas utrorumque habemus.

II. *Substantia ipsa* sive materialis ea sit, sive a materia sejuncta, cui diversæ hæ modifica-

cationum species inhærent, nobis non enunciatur, aut indicatur, nisi per has ipsas modificationes, sub quibus obtecta, & invisibilis detinetur; hinc ideæ confusæ, quas illius habemus.

215. ASSERTIO III. *Ut una substantia ab alia distinguatur non est necesse claram, atque distinctam illius, quod in utraque substantiam nuncupamus, ideam habere.*

EXPLICATIO. Quid opus est, ut una substantia ab alia distinguatur? scire dumtaxat plena certitudine unam non esse aliam. Atqui ut hoc plena certitudine sciamus, puta sacchari substantiam non esse ferri substantiam; non sane necesse est veluti intuitive cognoscere id, quod in saccharo, & ferro substantia nuncupatur, sive claram atque distinctam habere ideam naturæ subjecti, cui sacchari proprietates, & subjecti, cui ferri proprietates inhærent. Satis est tum sacchari, tum ferri proprietates apte distinguere; plenaque, ac perfecta certitudine scire, sacchari proprietates ferri substantiæ non adhærere, neque saccharo ferri proprietates.

Si tum ferri, tum sacchari proprietates constanter diversæ sunt, & diversæ perseverant; certum est, non idem esse subjectum, cui diversæ hæ proprietates adhærent, atque illarum subjectum ab harum subjecto distinctum, atque diversum esse; patet enim, rerum proprietates emanare, & necessario emanare debere a natura, cui inhærent; & *proprietates diversas* evidenter enunciare intrinsecorum constitutivorum diversitatem in natura a qua emanant, in subjecto cui inhærent, in substantia sive nota, sive ignota ad quam spectant.

216. ASSERTIO IV. *Ut substantiæ tum materiales, tum spirituales, tum media inter materiam, & spiritum in natura admittantur; & ut tres hæ diversæ substantiarum species distinguan-*

guantur, non est necesse cujuscumque claram, ac distinctam ideam habere.

EXPLICATIO. Ut pleno jure a philosopho de rebus recte sentiente tres hæ, de quibus agimus, substantiarum species admittantur, evidens est, satis esse, ut in superiori assertione statuimus, apprime, & tuto scire, proprietates & modificationes esse, quæ non nisi subjecto extenso, figura donato, resistenti, cogitandi, & sentiendi facultate carenti conveniunt, aut convenire possunt; alias esse proprietates, & modificationes, quæ non nisi subjecto idearum abstractarum, ratiocinationum apte deductarum, operationum ratione peractarum, & sensationum, quas animadvertit, capaci conveniunt, aut convenire possunt; alias tandem esse proprietates, & modificationes, quæ neutri convenire possunt. His positis:

I. Primo certum est, proprietates, & modificationes existere extensionis, figuræ, soliditatis, impenetrabilitatis, motus mechanici, quæ non nisi subjecto extenso, figura donato, resistenti, intelligentia, & sensu carenti conveniunt, aut convenire possunt; corporibus, scilicet, illique, quod *materiam* nuncupamus. Hinc idea obscura, & cognitio certa *substantiæ materialis*.

II. Certum præterea est, proprietates, & modificationes dari, quæ non nisi subjecto animadversionis, abstractionis, ratiocinii, moralitatis capaci conveniunt, aut convenire possunt; illi nempe, quod nos *spiritum* dicimus. Hinc idea obscura, & cognitio certa *substantiæ spiritualis*.

III. Certum tandem videtur, proprietates, & modificationes haberi cognitionis, & sensus, quæ evidenter excedunt facultates, quas in substantiis pure materialibus dignoscimus, quæque veluti infinitum dignitate, & præstantia distant a facultatibus, quas in substantiis vere spiritua-

libus

libus deprehendimus. Hinc idea confusa, & cognitio certa *substantiæ mediæ* inter materiam, & spiritum.

217. COROLLARIUM I. Ex iis, quæ de substantiis hactenus adnotavimus, atque statuimus, sequitur, *ideam substantiæ spiritualis in nobis fieri ea ipsa ratione, qua materialis substantiæ idea in nobis excitatur; Neque primam altera ullatenus imperfectiorem esse.*

EXPLICATIO. Qua ratione in nobis fit *idea substantiæ materialis*? impressione, quam suis proprietatibus, ac modificationibus in nobis facit substantia materialis, puta corpus nostrum.

Quanam ratione in nobis fit *idea substantiæ spiritualis*? impressione, quam suis proprietatibus, ac modificationibus in nobis facit substantia spiritualis, puta anima nostra.

I. Quocumque modo res inspiciantur, certum est primam ideam alteri *origine* non præstare, utriusque enim omnino similis origo; at *claritate* ne præstat? non item.

Si, quam substantiæ spiritualis habemus, idea valde obscura, & confusa est, nihilo minus est & idea, quam substantiæ materialis habemus; ut enim jam exposuimus, quod in materia substantiam appellamus æque intuitivis cognitionibus nostris impervium est, ac illud, quod in spiritu substantiam appellamus.

Si harum idearum alterutra certitudine alteri præstaret, postrema hæc præ illa hac dote prædita esse debere videretur; fieri enim debere videtur, ut perfectius, aut saltem minus imperfecte animæ nostræ proprietates, ac modificationes cognoscamus, quam quæ materialium substantiarum sunt, ne corpore quidem hoc nostro excepto; atque hoc, propterea quia nostrum ens intelligens, atque sensibile magis immediate, & intimius a primis, quam a postremis afficitur.

II. Quocumque modo res inspiciantur, certum est,

est, *quam habemus spiritus cognitionem nihilo, neque claritate, neque certitudine cognitioni cedere, quam materiæ habemus*. Spirituum, ac corporum existentia æque demonstrata est ex amborum respectivis proprietatibus, & modificationibus, quas cognoscimus, atque sentimus. At quid horum spirituum, quid horum corporum substantia est? Hoc ipsum est, quod æque ignoramus.

218. COROLLARIUM II. Ex hactenus adnotatis, ac statutis de substantiis sequitur quoque, *ideam substantiæ mediæ inter spiritum, & materiam in nobis eadem ratione fieri, qua materialis, & spiritualis substantiæ ideæ in nobis oriuntur; ex perceptione scilicet proprietatum, & modificationum, quæ illam enunciare, & designare videntur*. Hac tamen essentiali diversitate, quod proprietates, & modificationes substantiæ tum materialis, tum spiritualis existentiam enunciantes, plenam pariunt certitudinem, & perfectam fundant demonstrationem; contra vero quæ proprietates, & modificationes mediam inter spiritum, & materiam enunciare videntur, quum minus notæ, minusque certæ sint, non nisi conjecturalem cognitionem præbent, ac tantum multo verisimilem opinionem statuunt.

Certum, ac demonstratum est, materiales, & spirituales substantias omnino inter se diversas existere. Saltem verisimillimum est substantias medias inter materiam, & spiritum existere omnino ab utraque diversas.

219. NOTA. Quacumque obscuritate involutæ sint substantiarum ideæ, certum est hac obscuritate earum existentiæ quam habere possumus certitudinem neutiquam infirmari, ut jam probavimus. „ Æque claram *substantiæ spiri-„ tus*, ait celebris Lockius, ac *substantiæ cor-„ poris* ideam habemus: quum hæc substantia „ censeatur suppositum idearum simplicium, quæ

„ exterius ad nos veniunt, quin ſciamus quid „ hoc ſuppoſitum ſit; illa vero cenſeatur ſup- „ poſitum operationum, quas in nobis ipſis ex- „ perientia reperimus; & hoc quoque nobis „ prorſus ignotum ſit. Quamobrem evidens eſt, „ corporeæ ſubſtantiæ ideam in materia æque „ a perceptionibus noſtris remotam eſſe, ac ſub- „ ſtantiæ ſpiritualis, ſeu ſpiritus perceptio ſit. „ Non igitur majori ratione ſpiritus exiſtere „ negaremus, quod ſubſtantiæ ſpiritualis notio- „ nem ullam non habeamus, ac corporum exi- „ ſtentiam negaremus, quod pari notione carea- „ mus. Neque enim magis rationi conſenta- „ neum eſt corpora eſſe negare, quia nullam „ materialis ſubſtantiæ ideam habemus, ac aſ- „ ſerere, ſpiritus non eſſe, quod nullam ſpiri- „ tualis ſubſtantiæ ideam habeamus.

„ Nonnullos eſſe ſcio, quorum cogitationes „ ita materiæ immerſæ ſunt, ac ſpiritus ita „ ſenſibus mancipatus, ut vix unquam cogita- „ tiones ſuas a materia extollant; quique dice- „ re non dubitent, ſe rem cogitantem perci- „ pere nequire: quod fortaſſe verum eſt. At „ affirmo, ſi probe animadverterint, depreben- „ ſuros nil clarius rem extenſam ſe poſſe men- „ te concipere. Si quis ad hæc dicat, neſcire ſe „ quid in ſe cogitet, hæc dicens intelligit, „ neſcire ſe quænam *entis hujus cogitantis ſub- „ ſtantia* ſit. At reponam, neque clarius novit „ quænam *rei ſolidæ ſubſtantia* ſit. Si vero in- „ ſtet, neſcire ſe qua ratione cogitet, dicam „ ego, neque ſe melius noſſe qua ratione ex- „ tenſus ſit: quave ratione partes ſolidæ cor- „ poris ſimul connexæ, & conjunctæ ſint ut „ Totum extenſum efficiant. “

SUBSTANTIA, ET ESSENTIA: EARUM RELATIONES.

220. EXPLICATIO. Qua ratione *eſſentiæ idea*

idea in nobis fiat, & in quo consistat, alibi jam adnotavimus, & explicavimus (106, & 112). Hic vero qua ratione *substantiæ idea* in nobis fiat, & in quo consistat modo tradidimus. Ex duplici hac explicatione facile inferes, duas has ideas re ipsa idem objectum habere, eamdem originem, eamdem objectivam certitudinem, quin eamdem undequaque extensionem habeant.

I. Duæ hæ ideæ, substantiæ scilicet, & essentiæ, idem reipsa objectum habent; utraque enim in substantia quavis seu materiali, seu spirituali, seu media objectum habet rem ipsam, cui inest, & ad quam pertinet talis determinata proprietatum collectio.

II. Duæ hæ ideæ, substantiæ scilicet, & essentiæ, eamdem re ipsa originem sortiuntur; utriusque enim causa efficiens, aut occasionalis est impressio in nobis facta a tali determinata proprietatum collectione.

III. Ideæ hæ ipsæ duæ eamdem re ipsa objectivam habent certitudinem, aut eamdem de objecto certitudinem re ipsa præbent; quæcumque enim sit earum intrinseca obscuritas, utraque subjectum respicit, quod sustineat, ad quem pertineat, cui insit, a quo emanet hæc determinata proprietatum collectio, quæ eas excitat, & in nobis oriri facit.

IV. Ideæ tandem hæ ipsæ duæ non eamdem omnino objectivam extensionem habent; idea enim substantiæ tum essentiales, tum accidentales objecti sui proprietates amplectitur; at idea essentiæ solas essentiales proprietates respicit, & ejusdem objecti accidentales proprietates præscindit. Sit exemplum.

Quum *ferri substantiam* concipio, subjectum concipio, cui adhæret, & cui tota ea proprietatum collectio a me tribuitur, quas perseveranter ferro adhærentes deprehendo; sive ab eo separabiles sint, sive separari nequeant.

L 2 Quum

Quum *ferri essentiam* concipio, subjectum concipio, a quo mente eas omnes proprietates praescindo, quas amittere potest, quin haec substantia, hoc subjectum, uno verbo ferrum esse desinat; & cui eam tantum proprietatum collectionem tribuo, quas a natura sua inseparabiles censeo ita, ut si iis careret, non amplius haec substantia, hoc subjectum, ferrum esset (116 & 132).

SUBSTANTIARUM PROPRIETATES, ET ATTRIBUTA.

221. DEFINITIO. *Substantiarum proprietates, & attributa* vocantur proprii earum existendi, & agendi modi, earum intrinsecae aptitudines ad hos, vel illos effectus producendos, sive ad illorum productioni occasionem praebendam, diversae ipsis inhaerentes qualitates, atque virtutes, quas ab ipsa earum natura obtinent; sive per has qualitates, aptitudines, virtutes, perque hos existendi, & agendi modos cum aliis speciebus confundantur; sive peculiari cujusque speciei ista conveniant, eamque a ceteris distinguant. Proprietates, & attributa substantiarum diverso nomine idem sunt.

I. Proprietates hae *attributorum* nomen assumunt, propterea quia mens nostra eas permanenter videns in hac, vel illa substantiarum specie, quin ab extrinseca causa eas emanare dignoscat, earum naturae illas *attribuit*.

II. Attributa haec *proprietates* dicuntur, propterea quia mens nostra ea constanter, & perseveranter in his, vel illis substantiis deprehendens, quin extraneum principium detegat, a quo proveniant, ea censet ipsis convenire tamquam quid ipsis *proprium*, & nullatenus earum naturae extraneum. Quare attributi, & proprietatis voces omnino synonimae sunt.

222. OBSERVATIO. Inter varias substantia-

tiarum proprietates aliæ essentiales sunt, aliæ accidentales, aliæ genericæ, aliæ specificæ.

I. *Proprietates essentiales* rerum sunt eæ qualitates, virtutes, aptitudines, ii existendi, & agendi modi, quos amittere nequeunt, quin existere desinant.

Hujusmodi in homine est primitiva, & radicalis facultas habendi ideas, sensationes, judicia, volitiones, ratiocinia. Ab homine hanc facultatem mente præscinde; hominem amplius non concipies.

Hujusmodi in Deo est, æternitas, justitia, bonitas, veracitas, sapientia, potentia infinita. Aliquam ex his qualitatibus a Deo mente præscinde: ideæ tuæ objectum Deus amplius non erit.

II. Rerum *proprietates accidentales* dicuntur qualitates, virtutes, aptitudines, existendi, & agendi modi, quos aliquando habent, quibus aliquando carent; seu quos semper habent, & amittere possent quin existere cessarent.

Hujusmodi est, ut de proprietatibus accidentalibus tantum loquamur, quæ permanentes sunt, gravitas in saxo, seu permanens ad centrum terræ nisus. A saxo nisum hunc mente præscinde; sive illi nisum inde e diametro oppositum: non proinde essentialem mutationem in hac materia concipies, quæ quidem sine gravitate, ut cum gravitate existit, existere posset.

III. *Proprietates genericæ* rerum vocantur illæ qualitates, virtutes, aptitudines, illi existendi, & agendi modi, qui ipsarum quidem proprii sunt, at qui diversarum etiam specierum proprii sunt.

Hujusmodi in hominibus, & brutis est sentiendi facultas; hujusmodi in auro, argento, ferro ductibilitatis proprietas; hujusmodi in Deo angelo, & anima humana substantiæ intelligentis proprietas.

IV. Rerum *proprietates specificæ* dicuntur il-

læ qualitates, virtutes, proprietates, illi existendi, & agendi modi, qui uni tantum speciei conveniunt, eamque ubique, & semper ab omni alia specie distinguunt.

Hujusmodi in Deo est facultas creatrix, sive facultas substantias ex nihilo educendi, quæ illum ab omnibus aliis sive existentibus, sive possibilibus substantiis distinguit. Hujusmodi in aeris elemento facultas tremendi, & simili modo ad tremorem auris nostræ fibras incitandi, quæ illum ab aliis tribus elementaribus substantiis distinguit. Hujusmodi est in homine facultas seu libera, seu necessaria ratiocinandi conjunctione, & concursu substantiæ intelligentis, & substantiæ organicæ; quæ facultas eum, interim saltem (197), & a puris intelligentiis, & a substantiis omnibus sive animatis, sive inanimatis, quas in natura detegit, secernit.

223. NOTA. Ipsæ quoque *modificationes* proprietates suas habent, suaque attributa, quæ nihil aliud sunt, nisi *earum proprii existendi, & agendi modi*; quibus quoque eædem ferme notiones congruunt, quas subjecto proprietatum, & attributorum substantiarum tribuimus.

Hujusmodi est in motu proprietas tendendi per lineam rectam; hujusmodi est in quibusdam ideis proprietas commovendi, & affectus in anima, cui inhærent, excitandi.

GRADUS METAPHYSICI EJUSDEM SUBSTANTIÆ.

224. OBSERVATIO. *Gradus metaphysici* in una eademque re dicuntur diversa hujusce rei *attributa essentialia*, in quibus per quosdam veluti gradus ascendentes a magis peculiaribus ad magis universales transitum facimus. Nos duo tantum hic progressus istius metaphysici exempla proponemus; ex his quotquot voluerit sibi quisque comparabit.

I. Mi-

I. Mihi deambulanti obviam fit quidam, cui Aristo nomen est. Ego vero gradibus metaphysicis sic procedo: objectum, quod video, est *Aristus*; ergo est *homo*; ergo est *subjectum vivens*; ergo est *substantia*; ergo est *ens*.

II. In ranunculorum areola unicum ex illa pulcherrimorum specie carpo, quos Carleerubram vocant. Ego vero per gradus metaphysicos incedens dico: quod præ manibus habeo est *Carleerubra*; ergo est *ranunculus*; ergo est *flos*; ergo est *vegetabile*; ergo *corpus*; ergo *substantia*; ergo *ens*.

225. NOTA. *Diversa attributa essentialia ejusdem rei*, puta Aristi, non jam sunt res invicem *realiter* distinctæ; quæque sint veluti plurium rerum congeries simul in Aristo conglobatarum, & ad diversas in illo proprietates producendas ordinatarum.

I. Res, quæ diversa hæc attributa exprimunt, aut designant in suis gradibus ascendentibus, re ipsa nil sunt, nisi *indivisibilis Aristi natura* abstractione metaphysica diversis modis inspecta, & considerata; quorum unus eam ab omni alio distinguit, ceteri cum pluribus, aut paucioribus objectis illam confundunt.

Exemplum. Aristus consideratus ut Aristus ab omni alio distinguitur; Aristus consideratus ut homo cum omnibus hominibus confunditur; consideratus ut animal, non jam cum hominibus tantum, at etiam cum omnibus brutis confunditur; consideratus ut vivens, non cum omnibus animalibus tantum, at etiam cum vegetabilibus omnibus confunditur, consideratus ut substantia cum omnibus tum animatis, tum inanimis substantiis confunditur; consideratus tantum ut ens, non cum omnibus substantiis tantum, verum & cum modificationibus omnibus confunditur.

At quocumque modo Aristus consideretur, nil aliud semper est, quam idem ipse Aristus,

cujus indivisibilis natura majori, vel minori confusione inspecta omnibus hisce attributis respondet, & subest. Diversa hæc attributa objective accepta in Aristo efficiunt concretum non physicum, at metaphysicum (84 . Idem de ranunculo, & de alio quovis objecto dici potest.

II. In hac *attributorum essentialium serie* ideæ magis genericæ ab ideis magis coarctatis præscindunt: has illæ non continent. Ideæ magis coarctatæ a magis genericis non præscindunt; quia has continent, aut supponunt (137).

Exemplum. *Idea entis*, quæ omnium est maxime generica, *ideam substantiæ*, quæ magis coarctata est, non continet; patet enim, ens esse posse modificationem tantum; modificationem autem verum ens esse, quin substantia sit; verum idea magis coarctata substantiæ ideam magis genericam entis continet; neque enim res aliqua substantia esse potest, quin etiam ens sit.

Pari modo *idea animalis*, neque *rationalis*, neque *irrationalis* ideam continet, quæ duæ ideæ magis coarctatæ sunt; homo enim, & leo qualitatem animalis habere possunt; ille sine qualitate irrationalis, hic sine qualitate rationalis; at vero hæc eadem animalis idea ideas *viventis*, *substantiæ*, *entis*, quæ magis genericæ sunt, necessario includit; evidens enim est, quidpiam animalis qualitatem habere non posse, quin simul & viventis, & substantiæ, & entis qualitates habeat, quas omnes animalis qualitas secum trahit, aut supponit.

SUBSTANTIARUM MODIFICATIONES.

226. OBSERVATIO. In philosophicis scholis diversi existendi modi, qui substantiis accidentales sunt, *accidentia modalia*, aut *modificationes* promiscue vocantur; in hisce vero scholis ab annis jam bis mille, & ultra insuda-

datur, atque confligitur, ut definiatur; *modificatio accidentalis substantia sit ne aliquid præter substantiam hanc ipsam, an vero hac ipsa substantia tantum sit*. Exempli gratia: utrum digiti mei inflexi curvatura sit aliquid plus quam digitus meus, nempe ens a digito meo re ipsa distinctum, an vero digitus meus tantum, & nihil præterea. Hinc diversæ sententiæ duæ, quarum notionem quandam exhibere pergimus (202 & 209).

227. SENTENTIA I. Schola peripatetica universa vetus, & recens tenet, *Accidentia modalia*, uti cogitationes, aut sensationes in mente, figura, aut motus in materia, esse totidem *entitatulas*, seu *parva entia*, re ipsa a substantia distincta, quam modificant, & cui inhærent.

EXPLICATIO. Unicum argumentum, *unicum dilemma*, cui nunquam adæquata responsio inveniri potuit, est inconcussum fundamentum sententiæ, quam de modificationibus tuentur peripatetici. En tibi celebre hoc dilemma binis exemplis accommodatum, quæ satis indicabunt, qua ratione in quibuscumque modificationibus sive materialibus, sive immaterialibus illo uti possis 203).

I. Sit globus cereus, cujus rotunditas est modificatio, sive accidens modale. Ceræ hujus rotunditas aut aliquid importat præter ceræ substantiam, aut nihil præterea.

Si nihil importat præter ceræ substantiam; jam quamdiu cera existet, existet etiam hæc rotunditas, etiam quum cera compressa, & complanata fuerit; quod evidenter falsum, & absurdum est.

Si vero hæc rotunditas aliquid importat præter ceræ substantiam, jam *hoc ipsum, hoc aliquid plus* non est nihil; ergo est ens; siquidem inter esse, & nihilum, seu non esse, non datur medium; est ergo ens re ipsa a ceræ sub-

stantia distinctum; potest enim substantia hæc sine hoc ente existere.

II. Pari modo: mens mea actu habeat claram, & distinctam ideam trianguli: hæc idea evidenter est modificatio, seu accidens modale substantiæ animæ meæ. Jam vero hæc idea aut dicit aliquid plus, aut nihil plus dicit, quam animæ meæ substantiam.

Si hæc idea *nihil plus* dicit præter animæ meæ substantiam; jam quamdiu anima mea existet habebit claram, & distinctam ideam trianguli; quod est manifeste falsum.

Si hæc idea dicit aliquid plus præter animæ meæ substantiam, *hoc plus* jam non est nihil; ergo est ens; neque enim inter ens, & nihilum datur medium; ergo ens ab animæ meæ substantia re ipsa distinctum; quandoquidem sine hoc ente anima mea potest existere.

228. SENTENTIA II. Recens philosophia omnem lapidem movit, totisque ingenii viribus colluctata est, ut invisam hanc *entitatularum* perpetuo pereuntium, ac renascentium diluviem e metaphysica eijceret; utque probabilem, aut tenendam redderet sententiam antiperipateticam, in qua substantiarum modificationes nihil essent præter substantias ipsas.

At omnes ejus conatus adhuc inanes, inutilesque fuerunt, eruntque etiam fortasse imposterum. Quocumque enim modo substantiarum modificationes concipiat, aut intueatur, celebre peripateticum dilemma effugere nequit, quod eam quocumque insequitur, atque urget eadem vi, quodque, nulla inventa solutione, invictum perseverat.

Quidquid ingeniosius, aut solidius adhuc excogitavit, eo tandem recidit, ut dicat, accidentia modalia esse tantum *relationes entium* inter se, neque illa esse entia; puta, digiti mei inflexi curvaturam non esse ens a diversis digiti mei partibus distinctum, at *relationem* dum-

dumtaxat diversarum digiti mei partium inter se; animæ meæ cogitationem non esse ens ab anima mea distinctum, sed dumtaxat *relationem* animæ meæ ad hujus cogitationis objectum: brevi, ut cum scholis loquamur: *Modi non sunt ens, sed sunt entis.*

REFUTATIO. At vero tenui hoc effugio vitabit ne recens philosophia dilemmatis peripatetici adhuc obversa cornua? Nequaquam sane. Sit enim, exempli gratia, digitus meus inflexus: hæc inflexio, hæc digiti mei partium inter se relatio, *illud entis,* aut dicit aliquid plus, quam digitum meum, aut nihil præterea.

Si hæc digiti inflexio, aut suarum partium inter se relatio *nihil plus* dicit, quam digitum meum; jam quamdiu digitus meus existet, inflexus erit, atque curvatus.

Si vero inflexio hæc, seu partium inter se relatio aliquid plus dicit, præter digitum meum, *hoc plus* non est nihilum; ergo est ens; ergo hæc digiti inflexio, seu partium inter se relatio re ipsa & ens est, & ens a substantia, quam modificat, distinctum. *Ergo illud entis, est verum ens.*

Patet, eodem ratiocinio peripateticum uti posse in quovis modificationum exemplo, quod possit excogitari; semperque evicturum, modificationem hanc, quoquo nomine eam voces, esse ens a substantia, cui accidentaliter inhæret, re ipsa distinctum.

QUÆ CONTRA PERIPATETICAM SENTENTIAM FACIANT.

229. OBJECTIO. Victrices rationes duæ *entitatulas peripateticas* proterere videntur; altera quidem ab earum productione desumpta, quæ causæ suæ actionem videtur infinite excedere, altera vero ex earum infinita, imo infi-

nities infinita multitudine, quæ ideas noſtras omnes plane evertere, & lædere videtur.

I. Videtur primo ita entitatulæ modalis exiſtentiam ab ejus non exiſtentia diſtare, ac veræ ſubſtantiæ exiſtentia a non exiſtentia diſtet. At vero quemadmodum aperte repugnat, ens creatum non exiſtenti ſubſtantiæ exiſtentiam dare, eodem pacto repugnare debet, ens creatum entitatulæ modali non exiſtenti exiſtentiam impertiri.

II. Perſpicuum deinde eſt, ſi ſubſtantiarum modificationes ſunt *parva entia* a ſubſtantiis, quibus accidentaliter inhærent, diſtincta, me manum, puta, movere non poſſe, quin infinitum horum parvorum entium numerum producam, quæ quovis temporis inſtanti a non exiſtentia ad exiſtentiam tranſeunt, & ab hac ad nihilum redeunt. Quævis enim infinite parva manus meæ elementaris particula motum ſuum proprium habet; & cujuſvis infinite minimi inſtantis motus, non eſt inſtantis ſimilis aut præcedentis, aut ſubſequentis motus. Quum itaque quævis materiæ pars infinitis re ipſa elementis conſtat, ut in phyſica, & mathematica paſſim demonſtratur, ſequitur, me manum moventem quovis inſtanti infinite minimo infinita producere parva entia, quæ quum vix eſſe cœperint in nihilum redeunt; quod non fabuloſum modo, at abſurdum etiam apparet.

RESPONSIO. Alibi jam oſtendimus, *non ideo veritatem ſolide ſtatutam cadere, quod novis difficultatibus obnoxia fiat* (56 & 57). Si ergo ſolide demonſtratum ſit, ſubſtantiarum modificationes eſſe entia a ſubſtantiis, quibus inhærent, re ipſa diſtincta, patet jam quidquid in hanc demoſtrationem excogitetur, ruere, & evaneſcere, etſi qua parte lateat ſophiſma detegi nequeat. At præſens objectio non eſt hujuſmodi: huic enim apta reſponſio minime deeſt.

Omiſ-

Omissa modo metaphysica quæstione, quæ tandiu philosophos in diversa distulit, quin per hos dies etiam fortasse distrahit: utrum nempe res creatæ sint causæ activæ, quæ per se ipsæ operationes suas efficiant, an vero tantum subjecta passiva sint, in quibus omnia operetur Deus; sive etiam sint ne *modo causa activa*, *modo subjecta passiva tantum* respectu suarum diversarum modificationum; his, inquam, omissis, supponamus, ut reapse præsens objectio supponere videtur, imo ut re ipsa verum videtur, eas vere causas activas esse respectu quarumdam suarum modificationum. Hoc satis est, ut objectio intactis viribus urgeat, & vigeat.

230. ASSERTIO I. *Entitatum modalium productio nullam cum substantiarum creatione habet similitudinem.*

EXPLICATIO I. Substantia non existens, dum adhuc nihil est, nullum habet *praexistens subjectum*, quod facultatem habeat illi existentiam tribuendi, seu quod illam cujusvis causæ creatæ actioni subijciat, a qua existentiam habere possit. At vero modificatio nondum existens, adhuc dum nihil est habet jam *subjectum praexistens*, cui facultas inest illi existentiam tribuendi, seu quod illam alicujus causæ creatæ actioni subijcit, a qua existentiam potest obtinere.

II. *Substantia non existens* quum nullum præexistens subjectum habeat, non nisi ab actione potentiæ infinitæ existentiam habere potest; nullam enim ipsa a se actionem habet, neque quidpiam est, quod illam alicujus causæ finitæ actioni subjiciat.

Contra vero *Modificatio non existens* quum subjectum præexistens habeat, existentiam obtinere potest sive a subjecti sui actione, sive a causæ finitæ actione, quæ in hoc subjectum agere possit; hoc enim præexistens subjectum aliquid re ipsa est, quod a se actionem habet, aut subditur actioni causæ finitæ.

III.

III. Utrinque exiſtentia, & non exiſtentia infinite inter ſe diſtant. At infinitam hanc diſtantiam nihil eſt, quod tollat, quum de ſubſtantia non exiſtente agatur; at vero aliquid eſt, quod hanc diſtantiam tollit, ſubjectum nempe præexiſtens, quum modificatio non exiſtens exiſtentia donanda eſt.

231. ASSERTIO II. *Infinitum partium phyſicarum, aut elementarium ſubſtantiarum in aliqua materia portione numerum non reijcit phyſicus, aut geometra; quare ergo infinitam entitatum modalium multitudinem reſpuat metaphyſicus?*

EXPLICATIO. Si jam demonſtratum eſt, ut ſupponimus, meæ manus ſubſtantiam, exempli gratia, infinitis elementis conſtare, quorum quodlibet infinitas partes continet; quare nam abſurdum, aut fabuloſum videbitur, manum meam dum movetur totidem motus modificationes habere, quot partes motas habet?

Et ſicuti quem uno temporis inſtante motum manus habet, non idem eſt, quem præcedente, aut ſubſequente inſtante habet; quare nam abſurdum, aut fabuloſum dicas, motum, qui non amplius eſt, jam ceſſaſſe, & motum, qui non erat, eſſe cœpiſſe?

Nihil horum abſurdum, aut fabuloſum videri poteſt, niſi iis, qui parum philoſophantur, quique inepte res concipientes, falſas tum ſubſtantiarum, tum modificationum ſibi ideas effingunt.

232. NOTA. Metaphyſici nonnulli acuto magis, quam dilucido ingenio præditi, & ad omnia potius perturbanda, quam apte dignoſcenda nati, cujuſcumque ſubſtantię ſive materialis, ſive immaterialis modificationes dividunt in accidentales, & eſſentiales.

I. *Modificationes accidentales* vocant exiſtendi modum ſubſtantię, ſive ſubjecto accidentalem, cujuſmodi eſt motus in pila, curvatura in di-

digito, trianguli, sive quadrati imago in anima. Hactenus nihil quidem novi, at neque quid falsum dicunt.

II. *Modificationem essentialem* vocant existendi modum substantię, sive subjecto essentialem; cujusmodi sunt sapientia in Deo, rationalitas in homine, irrationalitas in bruto. In hoc eos vana subtilitas a recto tramite abducit, eisque fucum facit; quod enim ipsi *modificationes essentiales* vocant, nihil aliud est, ipsis fatentibus, quam ipsa subjecti substantia, & essentia; neque hę essentiales modificationes, quas ostentant, existendi modum suo subjecto inferunt ab ipso subjecto re ipsa distinctum.

Quare divisio hęc modificationum ejusdem substantię in essentiales, & accidentales rejicienda est tamquam futilis, & falsa, ac philosopho indigna; patet enim primam hujus divisionis partem nullo solido fundamento in rerum natura inniti; & non nisi falsis & imaginariis commentis insistere.

NEGATIO, ET PRIVATIO IN SUBSTANTIIS.

233. DEFINITIO. Non existentia substantię, aut modificationis in subjecto aliquo Negatio, aut Privatio nuncupatur.

I. Si subjectum natura comparatum est ad hanc substantiam, vel modificationem habendam, harum a subjecto absentia *Privatio* dicitur. Exempli causa, in marsupio vacuo absentia, sive non existentia nummorum privatio est. In saxo quiescente motus absentia, sive non existentia quoque privatio est.

II. Si subjectum natura huic substantiæ, vel modificationi habendæ non est aptum, harum a subjecto absentia *Negatio* dicitur. Exempli gratia, absentia, aut non existentia organi visus privatio est in homine, in arbore vero, aut saxo negatio. Ita quoque absentia, aut non existen-

ſtentia ideæ trianguli in ſpirituali ſubſtantia privatio eſt, in materiali ſubſtantia negatio.

234. NOTA I. Patet primo, *negationes & privationes non eſſe entia poſitiva;* juxta enim datam definitionem, tantum ſunt abſentia, ſeu non exiſtentia, ſive oppoſitum entium poſitivorum, quæ excludunt.

235. NOTA II. Patet quoque, *negationes, & privationes in ſe ipſis, & per ſe ipſas concipi non poſſe*; quiſque enim propria experientia ſentit, ſe negationes, & privationes mente non concipere, niſi per entia, quarum ipſę oppoſitum, & excluſio ſunt.

Exempla. Tenebrę non ſunt niſi abſentia, & non exiſtentia lucis: & quum alicubi tenebras mente concipimus, tunc non niſi datum locum, & lucem ab eo abſentem concipimus.

Pari modo vitium non eſt niſi abſentia, aut non exiſtentia virtutis in ſubjecto ad virtutem creato; & quum vitium concipitur in hoc ſubjecto, non niſi ipſum, & virtus, qua caret concipitur (*a*).

Pari modo tandem quum nihilum concipio, ens quodcumque concipio ut non exiſtens.

ENTIA CHIMÆRICA, ET ENTIA RATIONIS.

236. DEFINITIO. In quæſtionibus metaphyſicis entia chimærica cum entibus rationis ſæpenumero confunduntur, aliquando alia ab aliis di-

(a) *Non omnes ſane in hanc auctoris ſententiam deſcendent. Vitium ſiquidem non pura virtutis negatio videtur eſſe. Quum avaritiam concipio, non ſane ſolum liberalitatis defectum in avaro concipio; at præterea pra um, & inordinatum animi ad divitias in illo affectum; quod profecto quid poſitivum eſt.* Interpres.

distinguuntur. Utrorumque igitur notionem apte statuere opportunum est, ut quandonam confundi possint, quando vero distingui debeant intelligamus.

I. *Entia chimærica* dicuntur, quorum existentia omnino haberi non potest; & quorum natura, ut concipitur, simul pugnantia, & quæ simul esse nequeunt, importaret. Hujusmodi est circulus quadratus, sphæra plana, homo leo. (122, & 124).

Homo chimæras sequi, aut loqui dicitur, quum ejus ideas, aut ea, quę facienda proponit, videmus objectum habere *τα αδυνατα*, sive natura contradictoria.

Qua ratione mens nostra, quave significatione chimæras concipere valeat, seu ideas sibi effingere entia chimærica objectum habentes, alibi explicabimus (451).

II. *Entia rationis* dicuntur entia, quæ mens nostra concipit, seu quę imaginatio nobis exhibet, quæ tamen veram existentiam re ipsa nec unquam habuerunt, nec habebunt unquam. Hujusmodi sunt lemures, Syrenes, fatę, musæ, pegasi, tauri volantes, & his similia. Hujusmodi etiam sunt abstractarum idearum objecta, puta, idearum, quæ nobis hominem in genere, brutum in genere, materiam, aut spiritum in genere repræsentant: quę objecta ita generice, aut in hoc abstractionis statu nusquam existunt.

Chimæra repugnat: nullam ipsa existentiam nec habet, nec habere potest. Ens rationis non repugnat: sane extra mentem existentiam re ipsa non habet; at fieri posset, illud extra mentem nostram veram re ipsa existentiam habere. Fatæ, sagæ nempe illæ, quas in fabulis ita vocant, nusquam sunt; at esse possunt. Nullum est in natura objectum, quod pure, & simpliciter id sit, quod idea abstracta animalis, nullo alio addito, vel dempto, repræsentat; at hujusmodi objectum in natura non repugnat.

III.

III. Aliquando etiam *entia rationis* vocantur passim objecta omnia quæcumque sint, quę nunquam extra ideas nostras veram existentiam habuerunt, nec habitura sunt, sive repugnent, sive non. Hac ratione dicimus, *bovem volantem*, *circulum quadratum esse entia rationis*; etsi postremum in se repugnet, non item primum.

FINIS ET MEDIUM IN SUBSTANTIIS INTELLIGENTIBUS.

237. DEFINITIO. Præclarum potentiæ intelligentis distinctivum est sibi in operationibus finem proponere, media ad propositum finem assequendum apta adhibere, mediorum, quibus utitur, ad finem, ad quem tendit, relationem dignoscere.

I. *Finis* in potentię intelligentis operationibus res ea ipsa dicitur, quam precipue, & directe agendo intendimus: res ea, inquam, cujus intuitus potentiam ad agendum sollicitat, atque determinat.

Exempla. Finis mercatoris est lucrum, seu commoda, quæ mercimonium parit. Finis aulici decus, honor, nomen est, quod a regis favore sibi provenit. Finis litigantis est litem evincere, nempe certa rei, quam adversarius sibi postulat, atque adjudicata possessio; sive rei, quam sibi debitam in judicio petit, adjudicatio. Hominis literis dediti finis gloria est, seu fama, quam scientia parit. Christiani hominis finis est in æterno regno plena, & perpetua beatitudo.

II. *Medium* in potentiæ intelligentis operationibus dicitur id omne, quod usurpat, quod molitur, quidquid rationum, sollicitudinum, libellorum supplicum, adhibet, ut ad finem sibi propositum tandem perveniat.

Exempla. Medium, quo mercator utitur ad finem suum, lucrum scilicet assequendum, est com-

commercii peritia, & in negotiis diligentia. Medium, quod aulicum ad finem suum, favorem nempe regis, ducit, est ars se regi gratum, vel necessarium faciendi. Medium, quo ambitiosus ad finem suum, honores nempe, & majores dignitates, ducitur, sæpe sunt monopolia turpia, & iniqui ambitus, quæ omnia vera virtus, & spectata nobilitas refugit, & detestatur. Medium, quo literis addictus ad finem suum, gloriam scilicet pervenit, est ingenium studio conjunctum. Medium, quo christianus homo finem suum consequitur, sempiternam scilicet in nova vita beatitudinem, est vitiorum fuga & virtutum exercitium, ut præcipit evangelium.

238. NOTA. I. *Mutuus reciprocus influxus* inter finem, & media habetur. Finis media oriri facit: media finem addunt.

I. Exemplum. Idea magna bona lucrandi juvenem institorem excitat, atque determinat ad omnem lapidem movendum, omnesque ingenii vires dirigendas ad divitias assequendas; en finem, qui non nisi in idea adhuc existit, qui tamen vera media re ipsa oriri facit. Ingenium, & studia, ac labores juvenis institoris tandem magnam hanc bonorum copiam illi adipiscuntur, quam expetebat; en media, quæ efficiunt, & re ipsa haberi faciunt finem, qui eorum originis occasio fuit.

II. Finis mediis prior est *in intentione*; finis enim media oriri facit: media fine priora sunt *in executione*; media enim sunt, quæ efficiunt, & re ipsa finem adducunt.

239. NOTA II. Certum est, atque hoc nobis propria experientia aperte constat, *finis intuitum* re ipsa in potentiam intelligentem influere: honorum aspectum, exempli gratia, omnes ambitiosi animi facultates erigere, & excitare; gloriç aspectum ad præclara in bello facinora heroem incitare; hominem vero studiis de-

deditum ad immortales ingenii edendas productiones. At vero absurdum esset hunc verum finis influxum in intelligentem potentiam considerare cum nonnullis recentioribus sophistis tamquam *influxum mechanicum*, cujusmodi esset influxus ponderis in altera bilancis lance gravitantis; patet enim finis in potentiam intelligentem influxum non nisi *moralem* esse, aut esse posse; qui nulla omnino ratione potentię mechanicæ influxui assimilandus est.

I. *Influxus finis* est influxus motivi, influxus illecebræ, influxus invitationis, fortasse etiam influxus rationis; non vero influxus actionis immediatæ, causæ efficientis, aut potentiæ mechanicæ.

Ex ipsis potentiæ intelligentis facultatibus emanant *diversi interni motus*, quibus ad propositi finis aspectum agitatur. At vero non est finis ipse, qui ipse, & per se in potentia intelligente hos diversos motus excitet ad finis aspectum. Exempli causa, Cæsaris anima, aut Alexandri ad glorię aspectum agitatur, torquetur, exultat, rapitur: at non sane hoc gloriæ phantasma illud est, quod in Alexandri, aut Cæsaris anima hanc agitationem, elevationem, aliosque affectus producat, quibus illi ad hoc objectum assequendum incitantur. Brevi: finis in potentiam intelligentem influit *tamquam terminus, seu tamquam objectum suarum facultatum activarum*; non vero ut causa efficiens aut harum facultatum, aut effectuum ab his facultatibus emanantium.

II. Sub influxum potentiæ mechanicæ nunquam libertas datur; semper etenim potentia mechanica sive impulsio sit, sive attractio, in subjecto, quod attingit, totum id necessario producit, quod a sua activitate dependet.

Vera libertas sæpius datur etiam ad aspectum finis, qui maximi momenti sit; hujus enim finis aspectus nihil habet, quod in potentiam in-

tel-

telligentem immediate agat, quod causæ efficientis munus gerat, quod aliquid libertati oppositum, & insuperabile inducat; quidquid autem actionis aut parit, aut in se recipit potentia intelligens ad finis hujus aspectum, ab ipsa, & a suis ipsis facultatibus emanat, sæpius etiam ipsa ita eligente, & propriæ libertatis exercitio ita volente.

III. Finis in potentiam intelligentem non agit, nisi *per suam bonitatem cognitam*; hoc vero dicit tantum & *ideam rei repræsentativam*, quæ idea est potentiæ intelligenti intrinseca, & in ipsam agere potest quin necessitatem inducat; & *rem repræsentatam* ab hac idea, quæ res est potentię intelligenti extrinseca, neque ullam in ipsam actionem habet.

Si finis a potentia intelligente sibi propositus est malum vitandum; adhuc finis hujus medium est bonitas cognita; bonum enim est malum vitare.

MORALITAS, ENTIA MORALIA.

240. *Moralitatis capax* ille dicitur, qui in suis actionibus duci, ac regi potest *quorundam jurium, & quarundam obligationum* cognitione.

I. Omnium tum veterum, tum recentiorum naturę studiosorum observationibus constat, bruta omnia constanter, & perseveranter nullius moralitatis esse capacia.

II. Neque moralitas quid potest in puerulis ante rationis usum; at vero non ita facile statues qua ætate usus hic in illis incipiat. Pueri fuerunt tres, vel quatuor annos nati, qui glorię, & virtutis intuitu agebant; atque hæ in illis agendi rationes animadversione perceptę, non illis afflictę, aut ab aliis suggestæ videbantur.

III. Adulti omnes, in quibus ratio admodum vitiata non est, veræ moralitatis capaces sunt; at-

atque hoc in barbaris ęque, ac in nationibus excultis, & legibus subjectis.

IV. *Entia moralia* generatim dicuntur *qualificationes* quædam rebus appositę sive essentialiter Creatoris voluntate, sive accidentaliter aliqua humana vel institutione, vel opinione; quarum causa res aliqua honesta, aut inhonesta, justa, aut injusta, licita, aut illicita reputatur; & ad quas attendendo nationum, & privatorum hominum mores judicantur.

§. VIII.

SCIENTIARUM, ET ARTIUM PROSPECTUS.

241. DEFINITIO I. S*cientia* nomen exprimit aut *cognitionem solitariam* evidentia innixam; aut *cognitionum cumulum*, quæ omnes evidentia innitantur.

I. *Scientia prima significatione* est lumen quoddam in intellectu, quo nobis exhibetur, & patefit aut veritas principii alicujus certi, & evidentis, aut veritas aliqua, quę manifeste, & indefectibili modo fluit a principio noto ut certo, & evidenti.

Scientia dubitationem necessario excludit; quum enim in evidentia fundata, & constituta sit, mentis assensum, & adhęsionem invincibiliter trahit (60).

II. *Scientia altera significatione* dicitur series, & nexus veritatum speculativarum, seu practicarum, quæ omnes in evidentia fundatæ, & constitutæ sunt, atque ab ineluctabilibus, perspicuisque principiis deductæ. Hujusmodi sunt Dialectica, Geometria, Arithmetica, Algebra, Mechanica, Hydrostatica, & aliqua parte Moralis etiam, &c. (60).

242. NOTA I. Omni ferme ætate *vera scien-*

tia

tiæ existentia problema fuit ; quæsitum nempe fuit, aut dubitatum, sit ne quidpiam certi in hominum cognitionibus; & an illa, quæ vera, & re ipsa esse arbitramur, omnia mentis nostræ tantum illusiones sint.

I. Secta Pyrrhonica aperte profitebatur, ac statuerat nullam scientiam admittere ; nullam cognitionem ut certam habere; de omnibus dubitare, ne ipsa quidem primorum principiorum veritate excepta , neque factorum quacumque vel maxima auctoritate comprobatorum; neque corporum, aut sensationum , aut idearum nostrarum existentiam. Sectæ hujus asseclæ sibi nomen Philosophorum Scepticorum (*) indiderunt: at sapientes contemptui eos habuerunt , ut insana eorum philosophia merebatur.

Scepticus Sextus Empiricus hujus sectæ sententias, & ratiocinia servavit celebri illo suo opere *contra mathematicos* ; hoc enim nomine quoscumque nuncupat, qui alicui scientiæ addicti sint. „ Quisnam est homo rationis parti„ ceps, inquit Auctor *historiæ matheseos* , qui „ ab-

(*) *ETYMOLOGIA*. Scepticus : Σκεπτικος *homo harens*, *& incertus* in omnibus humanarum cognitionum objectis: a Σκεπτομαι , *circumspicio*, *delibero*, *nihil judico*. Hujusmodi hæsitatio aut ab idearum, & judicii defectu, aut ab idearum plurium tumultu sine judicio exoriri potest. Qui se Scepticum prædicat, aut Pyrrhonicum non nisi impudenter mendax esse potest, qui nulla verecundia contra mentem loquatur; aut homo omnino imbecillis , cui cogitandi, & judicandi facultas interdicta sit.

Accademicorum secta aliquantum a Sceptica dissidebat. Hæc nihil certi esse , ac de omnibus dubitandum pronunciabat. Illa omnia dubitando proponebat, quin omnia dubia esse, nihilque certum esse definiret.

„ absurdos Empirici conatus non rideat, quum
„ contra geometras probare nititur, neque cor-
„ pora dari, neque extensum; contra arithme-
„ ticos, ne numerum quidem esse; contra mu-
„ sicos, sonum non dari? enunciatio vel ipsa
„ ridiculorum horum paradoxorum ea satis con-
„ futat. "

Sophista Baylæus omnes acuti, futilisque ingenii sui vires contendit postremis hisce temporibus, ut vetera hæc deliramenta iterum in scenam produceret, & promoveret; & sane fatendum est, id tanta arte, tamque insidiosis sophismatis eum præstare, ut a principio cuicumque vel in sophisticis cavillationibus refellendis peritissimo negotium facessere possit.

IV. Absurdis sententiis, & stolidis Pyrrhonicorum, & Scepticorum ineptiis semper instar ærei muri obstitit *recta ratio*, quæ quando dubitandum sit sentiens, sentit etiam ubi effulgeat certitudo (180).

Vera datur scientia, vera certitudo; atque scientia hæc, atque certitudo a quatuor certissimis fontibus emanat, quatuorque inconcussis basibus innititur, quas toto sequenti tractatu plenissime cognoscendas exhibebimus.

243. NOTA II. Quæ proprio nomine scientiæ dicuntur, eæ in *scientias speculativas*, *&* *practicas* dividuntur. Harum primæ objecta contemplantur, nec producunt; alteræ regulas tradunt dilucide demonstratas, quibus suos effectus producere discamus.

I. Exempli causa: Geometria scientia est speculativa; tantum enim diversas extensi proprietates contemplatur; & principiis evidentibus utens diversas, quas extenso proprietates tribuit, in iis objectis demonstrat, in quibus illas concipit.

II. Arithmetica est scientia practica; docens enim numeros pluribus modis pertractare, principiis evidentibus demonstrat, methodum, qua uti-

utitur, viam, quam ſequitur, canones, quos tradit, tuto, atque omni erroris periculo amoto adhiberi poſſe.

244. DEFINITIO II. *Artis* nomine vocatur, cæca omnis agendi ratio, methodus omnis experimentalis tantum, quæ aliquid facere docet, quin evidentibus principiis demonſtret, agendi rationem, qua utitur, canones, quos tradit, viam, quam ſequitur, tuto, ac nullo erroris periculo amplecti poſſe.

Ars itaque eſt *practicarum regularum collectio*, quas ſi ſequaris, ea, quæ facere ſuſceperis apte perficies, ac utilia, & grata efficies; non tamen regulæ illæ a principiis perſpicuis deductæ ſunt, quibus intimam earum efficacitatem, ac rectitudinem poſſis oſtendere.

I. Hujuſmodi *muſica* eſt, quæ ſonos edere ſuaves, atque jucundos docet, quin demonſtret qua ratione, & quare ſoni ad canones ab ipſa traditos editi ſint, aut eſſe debeant grati, ac ſuaves.

II. Hujuſmodi *ſaltatio* eſt, quæ decenter, molliter, eleganter, graviter incedere docet, quin demonſtret quare iſte inceſſus ad canones ab ipſa traditos compoſitus ita elegans eſſe debeat, uti ars hæc fore eum docet, & re ipſa facit.

III. Hujuſmodi *pictura* eſt, quæ animatas, & miras tabulas pingere docet, quin tamen oſtendat quare, & qua ratione tabulæ ad canones, quos ipſa ſequitur, pictæ, & animatæ videri debeant, & admirationem ſibi conciliare.

IV. Hujuſmodi ſunt *Eloquentia*, & *Poeſis*, quæ ad celebriorum auctorum exemplaria regulas tutas, certaſque ſtatuunt, quas qui ſequatur placebit, attentionem ſibi conciliabit, movebit, ſuadebit; non tamen demonſtratione docent, quare ſi regulas has ſequaris, tantos in hominum animis motus ſis excitaturus.

245. NOTA. Præclariſſimi tum veteris Græciæ, tum veteris Romæ viri glorioſum ſibi putabant, imo proprii muneris eſſe cenſebant elegantiores quaſdam artes excolere, in quibus ingenii vis magis emineret; cujuſmodi ſunt, Pictura, ſculptura, muſica, architectura, poeſis, eloquentia, ars militaris, aliæque: propterea *artes* hæ *liberales* appellatæ fuerunt; artes nempe, quas liberi homines, & aut dignitate, aut virtute illuſtres exercuerunt, & coluerunt.

Artes, quas paſſim ſervi, & plebeii exercebant, & in quibus perfectum opus ſolo labore aſſiduo, & diuturuo obtineri poteſt, exiguo aut nullo ingenii adjumento, *artes mechanicæ* nuncupatæ fuerunt: artes nempe, quæ diuturnum at cæcum ad artis canones in artifice laborem poſtulant.

SCIENTIARUM, ET ARTIUM OBJECTA TUM MATERIALIA, TUM FORMALIA.

Scientiæ, & artes *objectum materiale*, *& objectum formale* ſimul habent: hæc ambo apte dignoſcere, & diſtinguere opportunum.

246. OBSERVATIO I. *Scientiæ ſpeculativæ*, ſive quæ objectum ſuum contemplantur dumtaxat, *objectum materiale* habent rem ipſam, quam contemplantur; *objectum vero formale* proprietatem, quam hac ipſa in re dignoſcere ſtudent.

Exempli cauſa, Phyſica corporum proprietates dignoſcere ſtudet. Corpus eſt ejus objectum materiale: proprietates corporum, veluti gravitas, durities, fluiditas, elaſticitas, ejus objectum formale ſunt.

Scientiæ ſpeculativæ objectum ſuum ſive materiale, ſive formale, *exiſtens ſupponunt*, ſive ut exiſtens illud conſiderant. Exempli cauſa, Phyſicus in cognoſcendis corporum proprietatibus totus eſt, quin de producendis cogitet aut

cor-

corporibus, aut proprietatibus, quas in corporibus inquirit. Geometra in triangulo, & circulo proprietates inquirit, quæ hisce figuris continentur; quin proprias circuli, aut trianguli proprietates illis dare contendat: quum vero aut circulum, aut triangulum describit, non id potissimum facit, ut hæc objecta existere faciat, quæ satis jam in ejus idea existunt; at vere, ac præcipue, ut eorum imaginem magis præsentem, ac constantem sibi reddat.

247. OBSERVATIO II. *Scientiæ practicæ*, seu quæ aliquid in objecto suo facere, aut producere docent, *objectum materiale* rem illam habent, in qua operantur; *objectum* vero *formale* proprietatem, quam in re ista producunt.

Exempli gratia, Medicina humani corporis bonæ valetudini operam navat. Humanum corpus ejus objectum materiale est. Bona valetudo, quam aut tueri, aut restituere hominibus curat, ejus objectum formale est.

Idem dicas de *liberalibus*, *ac mechanicis artibus*. Earum materiale objectum res est, in qua operantur; objectum vero formale proprietas, seu forma, quam rei huic inducunt. Exempli causa, musicæ objectum est humanæ vocis modulatio. Humana vox ejus objectum materiale est; elegans humanæ vocis modulatio producenda ejus objectum formale est.

248. OBSERVATIO III. Inter *scientias practicas*, ut & inter *artes liberales* aliæ sunt, quæ objectum suum materiale *existens supponunt* ante objectum formale; aliæ quæ utrumque objectum simul producunt. Exempli gratia.

I. In artibus liberalibus *Sculptura* objectum materiale sunt marmor, æs, argentum, cetera; quæ omnia nullam de se, & natura sua formam a sculptore sibi dari postulant, & ante formam hanc existunt.

II. *Musica* e contra non modulatur sonum jam existentem, nec tonum gravem in acutum

mutare docet; at tonum aut gravem, aut acutum edere docet ea lege, quam in harmonia sequi debet.

Primo casu, quum scilicet materiale objectum formali præexistit, forma, quam scientia, aut ars tribuit, objecto materiali accidentalis est.

Altero casu, quum scilicet tum materiale, tum formale objectum simul ab arte, seu scientia producuntur, forma materiali objecto essentialis est.

Utroque casu scientia, sive ars in objecti sui productione mentem semper dirigit. Primo quidem, illam docens accidentalem formam, quam marmor, puta, aut æs actu habet, in aliam æque accidentalem formam mutare. Altero vero docens inter sonos innumeros, qui edi possunt, quinam tunc harmoniæ conveniat, mentem determinat ad sonum edendum consonum, & harmonicum, non vero inconditum, & discordem.

249. NOTA I. Iis positis, quæ de scientiis speculativis, & practicis jam tradidimus, facile intelliges, *logicam*, & *moralem veras scientias practicas esse*: utraque enim evidentibus principiis innititur, & utraque objectum suum producere docet; illa intellectus, hæc voluntatis actus.

I. *Logicæ* objectum materiale sunt tres generales intellectus operationes; objectum vero formale rectitudo, qua quævis harum operationum fieri debet.

Moralis objectum materiale sunt diversi voluntatis actus; objectum vero formale rectitudo horum actuum cuique conveniens.

Utraque non in objecto præexistente operatur, at in objecto materiali, quod ea producunt instructum forma, quam intendunt, cuique forma hæc essentialis est, non accidentalis.

II. Logica intellectum dirigit, eum docens apte definire, apte objecta suarum idearum sejun-

jungere, apte propositiones perpendere, apte consequentias deducere.

Moralis voluntatem dirigit illi veras ideas exhibens recti, & virtutis, eamque inclinans validis sublimium harum idearum motivis ad producendos juxta diversas humanæ vitæ circumstantias actum hunc licitum, & virtuti consentaneum potius, quam alium illicitum, & vitiosum, ac pœna dignum.

Ab idea vel ipsa, quam *objecti materialis*, *& formalis* plerarumque scientiarum exhibuimus, tres hæ sequentes veritates fluunt.

250. COROLLARIUM I. *Objectum materiale scientiæ non semper est quid materiale*; objectum enim materiale scientiæ, juxta definitionem ipsam hujus objecti, est id, quod scientia ista considerat, si speculativa sit, & in quo operatur, si practica sit; scientia autem in re immateriali speculari, & operari potest.

Ita Pneumatologiæ objectum materiale sunt spiritus, qui sane quid materiale non sunt, imo spirituales substantiæ. Ita dialecticæ, seu logicæ objectum materiale sunt tres humani intellectus operationes, ideæ scilicet, judicia, & ratiocinia, quæ non sunt quid materiale, at animæ spirituales modificationes. Ita arithmeticæ objectum materiale sunt numeri, qui æque quid materiale, & quid immateriale esse possunt.

251. COROLLARIUM II. *Eadem res diverso modo accepta plurium scientiarum illam diverso modo attingentium objectum materiale esse potest.*

EXPLICATIO. Exempli gratia, corpus humanum, ut corpus naturale est objectum physicæ; ut subjectum plurium morborum vicissitudinibus obnoxium est objectum medicinæ; ut quantitas mensurabilis est objectum geometriæ.

Ita quoque tres humani intellectus operationes, ut modificationes spirituales sunt, pneu-

matologiæ objectum sunt, scientiæ nempe de spiritu agentis; ut modificationes perfectibiles, quæ majori, vel minori rectitudine haberi possunt, eas dirigentibus quibusdam regulis solide demonstratis, dialecticæ objectum sunt.

252. COROLLARIUM III. *Non materiale, sed formale objectum diversas scientias specificat*; quandoquidem plures diversæ scientiæ, uti physica, & medicina, pneumatologia, & dialectica idem materiale objectum habere possunt; atque hæ scientiæ specifice diversæ fiunt a diverso earum in suum materiale objectum tendendi modo, qui earum formale objectum constituit, ut explicavimus.

OBJECTUM ATTRIBUTIONIS IN SCIENTIIS.

253. OBSERVATIO. Quum una, eademque scientia plura habet materialia objecta, quorum unum sit alteri subordinatum; objectum primarium, antonomasticum, cui cetera omnia scientiæ hujus objecta referuntur, aut subordinata sunt, *objectum attributionis* nuncupatur.

Exemplum. Dialecticæ objectum materiale sunt & perceptiones, & propositiones, & diversæ syllogismorum species, de his enim tribus objectis regulas tradit optime demonstratas.

At *objectum attributionis dialectica*, ejus objectum antonomasticum est syllogismus; neque enim in perceptionibus, & propositionibus versatur, nisi ut eas præparet, atque disponat ad syllogismum, seu ratiocinationem perficiendam.

Huic ferme simili significatione in scholis theologicis dici solet, *Messias fuisse objectum attributionis mysteriorum*, *prophetiarum*, *sacramentorum legis veteris*; ad ipsum enim præcipue referebantur in gente prædilecta, in qua nasciturus erat, oracula prophetica, quibus erudiebatur, figuræ symbolicæ, quas reverebatur, sacrificia, holocausta, sacramenta, in quibus confide-

debat; universa denique providentiæ œconomia, qua & in politicis, & in sacris rebus regebatur.

SIGNUM NATURALE, SIGNUM INSTITUTIONIS.

254. DEFINITIO I. *Signum* est res sensibilis, quæ alius rei in se ipsa non cognitæ in cognitionem ducit.

I. Exemplum. Fumus, qui magnis vorticibus e camino, vel e subterraneo specu erumpere videtur, signum est enuncians existentiam, & actionem ignis eum producentis, & qui non videtur.

II. Pari pacto, verba apud homines ad hoc instituta sunt, ut sint idearum, opinionum, judiciorum suorum signa: quæ res in se ipsis dignosci nequeunt.

Alia signa naturalia sunt, alia sunt institutionis, & conventionis; quæ apte sunt distinguenda.

255. DEFINITIO II. *Signum naturale* est natura sua connexum, nulla divina institutione, nulla humana conventione interveniente, cum re, quam significat, detegit, cognoscendam præbet. Hoc semper est, vel *effectus sensibilis*, qui existentiam, aut actionem annunciat causæ aut non sensibilis, aut quæ non se præbet in se ipsa sensibilem; sive est *causa sensibilis*, quæ existentiam annunciat effectus, cum quo necessario connexa est, licet effectus hic non sit actu in se, & per se sensibilis.

Ita brachii, aut cruris amputatio spectatoribus signum naturale est doloris invisibilis, quo torquetur miser ille, qui tam gravi artis chirurgicæ operationi subjicitur.

Ita exlex arteriæ pulsatio perito medico signum est naturale vitii in animali corporis humani œconomia latentis.

Ita quoque nonnulli sive oculorum, sive faciei motus experto physiognomoni signum naturale sunt spiritualium animæ affectionum.

Ita nonnullæ externæ notæ, seu nonnulla, quæ exterius apparent, sunt plerisque naturæ studiosis, imo plerisque etiam negotiatoribus signa naturalia, quibus satis dignoscunt plurium naturalium productionum intrinsecas qualitates.

256. DEFINITIO III. *Signum institutionis* cum re, quam annunciat, aut significat, natura sua connexum non est. Connexionem hanc habet vel ab aliqua *divina institutione*, quæ rem aliquam signum esse voluit alius rei, quin inter utramque relatio ulla naturalis intercedat; sive ab aliqua *hominum conventione*, qui ut cogitationes & voluntates suas patefacerent, communi consensu statuerunt, ac decreverunt, hanc rem sensibilem hoc aliud significaturam, quod latet, & cum quo nullam natura sua relationem habet.

I. Exempla. Ita in lege veteri iris divina institutione posita fuit, ut significaret, numquam amplius diluvio universum orbem obrutum iri. Ita in quibusdam regionibus ignis excelso loco accensus significat arma capienda, & patriæ incolumitati invigilandum. Ita in pagis & urbibus creber æris campani tinnitus incendium nunciat, & auxilium invocat. Ita in omnibus Europæ nationibus peculiaris vestis color, & forma hominem indicat militiæ adscriptum, aut in militia hac vel illa dignitate insignitum.

II. Inter diversa *humanæ institutionis signa* magis communia, & utiliora sunt *sermo*, & *scriptura*, quæ sunt sensibiles imagines eorum, quæ in intimo, & maxime abdito animorum penetrali celantur.

Exiguus sonorum numerus, quos os, & lingua edit, exiguus linearum numerus, quos manus describit, & charta retinet, nobis mira facili-

cili-

cilitate, & quodam veluti nunquam satis admirando præstigio pingunt, ac retegunt ideas, sensationes, cogitationes, voluntates, quæ sensibile nihil habent; & quibuscum nulla horum sive sonorum, sive harum linearum relatio natura intercedit.

257. NOTA. In lege veteri plura habebantur signa tum divinæ, tum humanæ institutionis ad plures mysticos eventus sive præteritos, sive futuros significandos instituta.

In lege nova *Sacramenta* signa sunt divinæ institutionis ad invisibilem gratiam, quam significant, producendam instituta. Exempli gratia, in Sacramento Baptismatis videmus *ablutionem materialem*, quam naturæ, & religionis auctor erexit in signum ablutionis spiritualis. Huic materiali ablutioni divinæ voluntatis efficacitate, & propter divina Salvatoris nostri merita interior peccatorum remissio adnexa est.

Patet, internam hanc peccatorum remissionem dari posse; divinumque naturæ, & religionis auctorem, cujus potentia nullis limitibus coercetur, posse illam cuicumque conditioni alligare, quam ad hoc illi libitum fuerit eligere, & assignare.

LINGUARUM ORIGO.

258. OBSERVATIO. Homines societati nati, invicem proprias ideas, & quę sentiunt, opus habent sibi communicare; hinc in ipsis loquelæ usus; hinc etiam in illis *linguarum origo*.

I. Supponamus primo, hominem unicum in natura existere; nulla hic cum brutorum, & vegetabilium speciebus, inter quas vivit, cogitationum, aut judiciorum communicatione indigebit; neque enim illę ista percipere possent, aut ipsi respondere. Inutilis ergo illi erit lo-

quelæ usus; ac propterea nullam conventionis linguam instituet, nihilque ei, quod nos *sermonem* dicimus, simile procreabit.

II. Ponamus modo, hominem unum, & fœminam unam tantum in natura existere, eosque amœnam aliquam regionem incolere in zona temperata sitam, cujusmodi Mesopotamia est inter Tigrim, & Euphratem, sive Idumæa ad Jordanis ripas. Cito necessitatem sentient proprias ideas, & animi sensus sibi invicem communicandi; necessarius proinde ipsis fiet loquelæ usus; quare paulatim sibi linguam efformabunt conventionis, cui mutuo consensu certas, atque determinatas significationes appingent.

Quum vero a principio pauca ipsi cognoscant, paucisque indigeant, eorum *lingua conventionis* paucis admodum articulatis sonis constabit; facile autem intelligimus cuique articulato sono ab ipsis adnecti posse objecti cujuscumque significationem, sive illud substantia sit, sive modificatio. Exempli causa, statuere poterunt, ac simul convenire, sonum hunc articulatum *shemesh* (sol) significare astrum illud, quo interdiu illustrantur; sonum alium articulatum *Rakia* (firmamentum) significare stellatum illum fornicem, quem noctu contemplantur; sonum articulatum *Ghaun* (fons) significare scaturiginem, quæ eorum domicilium irrigat; sonos articulatos *Baith*, *leboush* (Domus, vestis) significare tugurium, seu casam, in quam se recipiunt, & vestem illam quamcumque, quæ ipsos ab aeris intemperie protegit; sonos articulatos *eshekhol*, *Thaphouakh* (racemus, pomum) significare vineæ, & mali fructus; sonos articulatos *Pharah*, *Khelab* (vacca, canis) significare vaccam, cujus lacte nutriuntur, canem, qui eorum comes, & custos est; sonos articulatos *Rosh*, *iad*, *Reghel* (caput, manus, pedes) significare eorum caput, manus, pedes; sonos articulatos *Ahabah*, *Raab* (amor, fames)

mes) illum significare tenerum illum affectum, quo se invicem prosequuntur, hunc sensationem, quam experiuntur quum eorum stomacus cibo indiget; sonos articulatos *Keeb*, *eden* (dolor, voluptas) significare doloris, & voluptatis perceptiones, quibus alternis eorum anima afficitur; sonos articulatos *Tob*, *Ra* (bonus, malus) significare attributa boni, & mali, quę rebus applicant; sonum articulatum *iehoah* (Deus) significare ens supremum, invisibilem naturæ visibilis Auctorem (*a*).

En jam ipsis linguam communem, qua satis apte indicare, & exprimere poterunt quidquid eorum sensus, & animam afficit. Hæc procul dubio linguæ Adami, & Evę origo in Asia fuit, unde satis probabiliter vetus lingua Hebraica prima mundi ætate orta est.

Si homo hic, & fœmina plures gignunt liberos, hi quoque, ut patet, quum lingua in iis solvi, & sonis articulandis apta fiet, rebus, a quibus afficiuntur, ea nomina indere paullatim assuescent, quæ illis parentes indiderunt. Hinc *linguæ ejusdem perseverantia* in eadem familia, & subinde in eadem natione, quæ ex hac familia progigni poterit.

III. Ponamus adhuc duodecim aut quindecim sęculorum decursu primitivam hanc familiam ita

(a) Præclari duo linguæ hebraicæ Professores in Collegio Regio (Abbas de Villefroy, & Abbas Lourdetus ejus successor) pronunciationem ab ea, quam hic indicamus, paullo diversam statuerunt in quibusdam literis, & vocibus Hebraicis. Etsi, quam viri isti statuerunt, pronunciatio communi pronunciationi anteferenda sit, nos hanc secuti sumus in vocibus, *firmamentum*, *pomum*, *voluptas*, *fames*, *bonum*, atque hoc propterea quia notis apud nos usitatis facilius designatur, & scribitur.

ita subinde multiplicari, generationibus quavis ætate semper auctis, ut jam ingens natio effecta *duas magnas colonias* deducere possit, quæ coloniæ duæ paullatim regiones mille leucis a patrio solo dissitas pergant incolere, altera ad austrum, ad boream altera; atque ita, ut cœlum mutantes, leges etiam, & mores ex parte saltem mutent.

Certum est, novos hosce colonos, cœlo, legibus, moribusque mutatis innumera nova objecta præ oculis habituros, quorum pleraque ab iis omnino diversa erunt, quibus in patrio solo afficiebantur. En porro hinc ortam necessitatem nova nomina innumera excogitandi, & statuendi in novo hoc domicilio; hinc etiam oblivio sequetur plurium vocum, quibus uti in patria consueverant; ecce jam in utraque colonia *linguas* duas, a materna lingua *derivatas*, cum qua quidem utraque analogiam habebit a principio satis sensibilem, quæ tamen temporis lapsu sensim sine sensu evanescet, atque hoc eo magis, quo utraque lingua derivata dilatabitur, & perficietur. Quin harum linguarum quævis eo magis a materna lingua distare perget dato quodam tempore, quo plures colonia, in qua jam viget, vicissitudines patietur, & quo majori numero, & frequentius coloni alio, atque alio, dato hoc eodem tempore transmigrabunt. Hinc procul dubio in Europa nostra lingua Illyrica, & lingua Celtica originem ducunt, quæ veluti linguæ primitivæ, seu *linguæ matres* jam factæ sunt: nulla enim in illis certa analogia dignoscitur, cum linguis primitivis, a quibus ortum habuerunt.

Lingua coloniæ borealis formam assumens cœlo consentaneam, sub quo viget, ubi frigoris vis exiguum oris hiatum suadet, magis erit concisa, & monosyllabis abundans. Hujusmodi, exempli causa, est lingua Sinica, quæ in gelidis Taurosc ytharum regionibus nata videtur, & in

& in qua tantum trecentæ supra triginta voces numerantur, eæque monosyllabæ, aut saltem tam arcte pronunciatæ, ut in iis una tantum syllaba passim audiatur. Quælibet harum vocum Sinicarum, pro toni modo gravis, modo acuti, sive accentuum diversitate plurimas diversas significationes sortitur: atque ita hisce tantum tercentis supra triginta vocibus Sinenses omnia omnino tum physicæ, tum moralis objecta exprimere possunt.

Lingua coloniæ australis formam capiens suo cœlo consentaneam, in quo caloris vis ad aperti oris hiatum invitat, magis gutturalis erit, magisque emphatica, copiosa, atque sonora. Hujusmodi, exempli gratia, aliquo pacto est lingua Arabica.

Lingua primitivæ patriæ sub cœlo magis temperato formata medium tenebit inter duo hæc extrema. Hujusmodi fuit Hebræorum lingua; hujusmodi fuerunt postea linguæ Græcorum, & Romanorum. Harum prima fuisse videtur lingua mater Syriacæ, Arabicæ, & Chaldaicæ; altera quoque veluti mater fuit Italicæ, Gallicæ, & Hispanicæ.

IV. Ponamus quoque in patria primitiva, sive in aliqua ex ejus coloniis temporis lapsu nasci quatuor vel quinque homines sublimi, raroque ingenio, puta, Homerum, Platonem, Thucididem, Demosthenem, Aristotelem. Hujus regionis lingua, ab hisce ingeniis ad nova creanda natis exculta brevi barbariem exuet, & elegantior, acditior fiet; natio vero, quæ eam loquitur, undequaque veluti electrico quodam vapore correpta, magno impetu ad quascumque scientias, artesque tum utiles, tum jucundas addiscendas incitabitur. Quo fiet, ut ad eam, veluti ad elegantiæ, & doctrinæ regiam nationes finitimæ convolent, ubi præclaris artibus, ac disciplinis imbui possint.

Quamobrem falsum est, quod a recentioribus in-

incredulis ad aurium faſtidium indeſinenter repetitur, immenſam ſæculorum ſeriem requiri, ut lingua aliqua inſtituatur, & perficiatur, ut artes, ſcientiæ pulcri, & boni ſtudium vigeſcat.

V. Ponamus tandem vel a primitiva patria, vel ab aliqua colonia inſtitorum parvam claſſem ſolvere, quæ ventis acta miſere naufragium faciat aut ad novi Belgii deſerta litora in Aſia, aut ad æque inhoſpitas plagas ſive Braſilienſes, ſive Canadenſes in America. Fiat etiam navigantes omnes mergi, & perire, excepto juvenculo, & puella, quos fluctus ipſe diverſis locis ad litus projecit: hujus plagæ adhuc ſunt unici habitatores; & uterque ſe ſolum e naufragio ſalvum credet.

Si duo hæc humanæ ſpeciei individua tres, vel quatuor annos in terris his deſertis, ad quas illos tempeſtas conjecit, ita vivant, ut nunquam ſibi invicem occurrant; toto hoc tempore nullus ipſis erit loquelæ uſus: quare nativum ſermonem pene omnino obliviſcentur. Tantum de vitæ neceſſariis ſolliciti, & ſolo inſtinctu ducti, hebetes, & ferme ſtupidi evadent; quod quidem illi *Alexandro Selkirk* origine Scoto accidit, qui a navis præfecto Straling in deſerta inſula Ferdinandi barbare derelictus, quum illinc eductus fuit a Rogerio quoque navis præfecto anno 1709. poſt annos quatuor, & menſes item quatuor, quibus ea in inſula ſolus vixerat, ipſum quoque patriæ ſuæ nomen, quin & ſuum ipſum nomen oblitus erat.

Tandem duo hæc humanæ ſpeciei individua caſu ſibi occurrant poſt annos tres, vel quatuor, quibus brutorum more ſoli vixerunt. Eorum animæ vis iterum excitabitur: neceſſitas ea, quæ cogitant, vel ſentiunt ſecum invicem communicandi exorietur; ſibi veluti novam linguam creabunt, quæ cum materna eorum lin-

gua

gua vix quidquam commune habebit; quæque fiet in regione, ubi ſunt ſine ſpe reditus, puta in novo Belgio in Aſia, ſive in Braſilia, aut Canadia in America, *alia lingua mater*; atque hæc ſuorum poſterorum lingua erit. Hinc *aliæ* emergere poterunt temporis lapſu *linguæ derivatæ*, in quibus plus, minuſve apparebit analogia cum poſtrema hac lingua matre, a qua prodierunt.

Huic ſimilis fortaſſe fuit in America, & in pleriſque inſulis adhuc barbaris inter veterem, novumque orbem interceptis, origo plurimarum *linguarum matrum*, a quarum nonnullis aliæ linguæ proceſſerunt, ab aliis nullæ; quæ linguæ omnes nullam ferme cum linguis notis ſive antiquis, ſive recentioribus Europæ, Africæ, atque Aſiæ habent analogiam.

SCRIPTURÆ ORIGO.

259. OBSERVATIO. A neceſſitate ſimul vivendi, atque hoc ipſo a neceſſitate legum, quibus permanenter homines regerentur, a neceſſitate quoque mutuas obligationes perpetuo certas reddendi, quin & perpetuo certa reddendi jura eorum, quæ quiſque ſua norat, *ars ſcribendi* orta eſt; ars nempe voces pingendi, oculis loquendi, & colorem veluti, & corpus cogitationibus & animæ ſenſibus tribuendi.

Perſpicuum eſt cuique ſigno ad arbitrium ſumpto tribui potuiſſe hominum conſenſu permanentem ideæ alicujus, ſeu ſententiæ, ſeu judicii, ſeu voluntatis, ſeu obligationis ſignificationem; quin & objecti cujuſcumque ſive in re phyſica, ſive in morali, ſive in metaphyſica; eo ferme pacto, quo ſono cuicumque ad arbitrium ſumpto pari hominum conſenſione eorumdem objectorum expreſſio tranſvolans appoſita fuit. Quare idem naturæ inſtinctus, qui loquelam peperit, potuit, imo debuit *ſcriptu-*

ram

ram parere; cujus quatuor diversæ species pro diversis ejus ætatibus, seu progressibus, distingui possunt: nempe scriptura signis rudibus, & confusis constans; scriptura hieroglyphicis integris, & res pingentibus; scriptura hieroglyphicis mutilatis; scriptura notis linearibus.

I. Prima nascentis societatis ætate, homines signa diversa, diversaque monumenta ad arbitrium assumpta adhibuisse putandum est, quibus veluti perdurantes redderent cogitationes, mutuas obligationes, publicas, & privatas voluntates; tum memoriam servarent eventuum memoria dignorum, quos posteris cognoscendos relinquerent.

Exempli causa, *lapidum cumulus* in monumentum erectus *festa* quædam *periodica* statis temporibus celebranda, esse potuit expressio permanens legis alicujus sive divinæ, sive humanæ, facti alicujus memorabilis, cujus memoria religiose servanda erat; tum vero & domesticis documentis, & nationis traditione significationem hisce monumentis addictam ad posteros transisse putandum est per succedentes generationes. Hac scribendi ratione, testibus sacris literis, primi humani generis Patriarchæ usi sunt.

Versicolores item *funiculi* variis modis nexi, variisque nodis esse potuerunt expressio permanens cujusvis ideæ, sententiæ, legis, pœnæ infligendæ, aut præmii donandi, facti cujusque memoria digni, cujusvis historicæ narrationis, quin & oratoriæ, seu poeticæ lucubrationis. Hæc fuit, quam *Quipos* in Peruvia vocabant, scribendi ratio, seu nulla alia in toto eo regno scriptura in usu fuit usque ad ea tempora, quibus in Hispanorum potestatem regiones illæ venerunt.

Tandem etiam *paxilli* materia, & forma diversi, & diversis modis dispositi hominum consensu, idem præstare potuerunt, quod *Quipos* *Pe-*

Peruviensium, de quibus paulo supra. Hac ratione scribebant olim veteres Germaniæ, & Scandiæ populi; quod quidem ipsa nominis etymologia testatur, quo literæ Runnicæ, & Germanicæ appellantur. Germanicæ enim notæ alphabeticæ adhuc dicuntur *Bucstaben*, quæ vox paxillos fagineos significat; libri vero dicuntur *Bucher*; nempe paxillorum fagineorum congeries. Runnæ, seu literæ Runnicæ ipsæ quoque etymologiam trahunt a Scandiaca voce *Runne*, quæ sorbum silvestrem significat, arborem borealium regionum indigenam, quo fortasse utebantur ad paxillos elaborandos, qui diversis modis dispositi integram sententiam exprimebant, non secus ac literæ nostræ alphabeticæ eam nobis exhibent.

II. In magis exculta, & composita societate putandum est, homines alia signa investigasse expedita magis, & apta natura sua rem significatam referre. Hinc ortum duxit *scriptura hieroglyphica*, quæ vera pictura erat, rudis ea quidem, rerum exprimendarum. Hæc olim communis Ægyptiorum, & Sinensium scriptura fuit; ut & in Mexico quo tempore regnum illud Ferdinandus Cortesius occupavit; imo apud plerasque parvas nationes barbaras in borealibus Americæ regionibus adhuc in usu est.

Hac scribendi ratione objectum quodcumque exprimendum rudi veluti tabula pingebatur, quæ lineamenta illi soli convenientia referebat, quæque nulli alii objecto aptari poterant. Exempli causa, ut indicarent, se emisse equum, agrum, pallium, rudibus lineamentis sive pluma, sive penicillo aut in arborum corticibus, aut in belluinis pellibus rem pingebant, de qua agebatur; tum lineas aliquas intermiscebant, quæ communi consensu institutæ erant ad actus animæ significandos, qui pictura referri nequibant.

III. In magis adhuc exulta societate *hiero-*

glyphica mutilata integris ſuffecta fuerunt ; quod multo breviorem ſcripturam reddidit. Exempli gratia, totius tauri loco, ſolum cornu pinxerunt; pro integra domo angulum tantum; atque ita in ceteris.

In utraque ſcriptura hieroglyphica totidem diverſæ notæ requirebantur, quot diverſæ res exprimendæ, & ſcribendæ fuiſſent, quod ſane maximum negotium faceſſebat. At hujuſmodi etiam per hos dies eſt *ſcriptura Sinica*, quæ & a ſcriptura funiculari, & ab integra hieroglyphica ſimul, & a mutilata provenire videtur.

IV. Tribus hiſce ſcribendi modis *ſcriptura notis linearibus* tandem ſucceſſit, cujus origo ad remotiſſimam antiquitatem referenda nos prorſus latet; hujus autem vetuſtiora monumenta, ex iis, quæ temporis falcem effugerunt, ſunt quinque Moyſis libri ſcripti literis Samaritanis.

Hac ſcribendi ratione exiguus literarum numerus, cujus figura, & ſignificatio arbitrio hominum eſt inſtituta, ſufficit, ut & menti, & imaginationi pingantur permanenter ea omnia, quæ humana mens concipere, & noſcere poteſt tum in phyſicis, tum in iis, quæ in ſola hominum mente exiſtere poſſunt.

Facile intelligemus in quacumque ſcribendi ratione poſſe ſcripturam, majori, vel minori ſcribentis commodo aut a ſiniſtra ad dexteram pregredi, quemadmodum omnes Europæ populi ſcribere conſueverunt; ſive a dextera ad ſiniſtram, ut Hebræi veteres, & noſtræ ætatis Judæi ſcribunt; aut a paginæ vertice ad calcem, ut Sinenſes ſcribunt; ſive a calce ad verticem, qui nonnullarum Indicarum nationum ſcribendi mos eſt.

§. IX.

§. IX.

CAUSARUM NOTIO GENERALIS.

260. DEFINITIO. CAusæ, & effectus magna illa duo objecta sunt, quæ philosophus observat, & meditatur; tota enim Physici, naturæ studiosi, metaphysici ars in eo est, ut a causarum cognitione ad effectus cognoscendos perveniat; aut ab his notis ad eas cognoscendas sibi aditum faciat (73 & 75).

I. *Causa* vocatur id, quod aut producit ens aliquod, aut illius existentiæ occasionem præbet: intellige sive ens illud substantia sit, sive modificatio.

Exemplum. Deus causa est prima, atque unica substantiarum omnium sive materialium, sive immaterialium, quæ in natura sint; ipse enim solus illis primo existentiam tribuit, easque solus ipse e nihilo eduxit.

Deus quoque prima, & unica causa est motuum regularium, quos in cælestibus corporibus observamus: ipse enim solus tanta potentia, tantaque sapientia præditus est, quanta opus est ad tam ingentes, mirandosque motus producendos, & perpetuo conservandos.

Deus prima rerum omnium causa est; omnia enim ex ipso primitus emanarunt (*a*); at non unica rerum omnium ipse causa est; aliæ siquidem sunt causæ sive efficientes, sive occasionales, a quibus vere, & re ipsa innumeri effectus producuntur, ut explicare pergimus.

II. *Ef-*

(a) *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil; quod factum est, in ipso vita erat.* Joan. cap. 1.

II. *Effectus* dicitur ens quodcumque, sive illud substantia sit, sive modificatio, quod a causæ alicujus influxu existit. Omnes creatæ substantiæ respectu Entis increati, & creantis effectus sunt. Omnes substantiarum modificationes effectus quoque sunt respectu illius cujuscumque causæ sive creatæ, sive increatæ, sive materialis, sive immaterialis, cujus influxu existunt. Omnes quoque tum substantiarum, tum modificationum proprietates effectus sunt respectu causarum quarumcumque (sive notæ hæ sint, sive ignotæ) a quibus earum existentia procedit.

CAUSARUM DIVISIO.

261. OBSERVATIO. Causæ diversas denominationes sortiuntur ratione diversi modi, quo effectus suos operantur, seu quo in suorum effectuum existentiam influunt. Hinc orta præcipua earum divisio in *causas efficientes*, & in *causas occasionales*, quæ utræque sunt veræ *causæ physicæ* suorum effectuum; quandoquidem ab utrisque vere, & re ipsa horum effectuum existentia pendet. Hinc etiam fortasse accuratior divisio in causas physicas, in causas morales, in causas instrumentales, & in causas finales.

I. Veteres philosophi quadam metaphysica instinctus ducti omnes eas causas ut *efficientes* considerabant, quæ immediatam, & realem in effectus suos haberent actionem; quare hoc pacto per ipsos nulla habebatur causa occasionalis.

Materiæ massa, quæ in aliam materiæ massam impingeret, ipsis erat causa efficiens istius determinatæ, & constantis quantitatis motus, quæ in massa impulsa, & loco suo mota producebatur. Homo, & brutum pro voluntate progredientia erant ipsa quoque causa efficiens motuum omnium, qui diversis animati corporis partibus indebantur. Solum magis, minusve fœcun-

cundum, in quo vegetabile nascebatur, ipsum quoque, illorum judicio, erat causa efficiens miri hujus machinamenti physici, quod vegetabile & nasci, & crescere faciebat.

II. Recentiores philosophi de naturæ, motusque legibus melius instructi, ac profunda, sublimique metaphysica eruditi, non nisi *occasionales causas* ubique viderunt, ubi veteres efficientes causas tantum videbant. Exempli causa, non nisi occasionales causas in actione materiæ in materiam, materiæ in spiritum, spiritus in materiam agnoverunt.

Nos hic generalem ideam tantum proferemus, at illam dilucidam, atque perspicuam diversarum causarum, a quibus diversa naturæ sive animatæ, sive inanimatæ phœnomena emanant; neque interim discutiemus, num tantum occasionales causæ, an vero & efficientes in substantiarum tum materialium, tum immaterialium actione sint admittendæ. *Quæstio hæc facti*, quam modo intactam relinquimus, in secunda sectione Tractatus de anima humana aptius pertractabitur, & solvetur (1157, & 1211).

CAUSÆ EFFICIENTES.

262. DEFINITIO. Ea dicitur *causa efficiens*, quæ propria virtute effectum parit; vi nempe activa sibi propria, & intrinseca, suæque naturæ adnexa.

Hoc pacto Deus substantiarum omnium hujus universitatis, quas creavit, causa efficiens est; ut & magnorum omnium naturæ motuum, quos primitus produxit, perpetuoque conservat.

Pari pacto anima humana quarundam suarum modificationum causa efficiens est; veluti quarundam suarum idearum, suorum diversorum judiciorum, omnium suarum liberarum determinationum; has enim producit virtute sibi propria, & intrinseca.

Non

Non tamen ita certum eſt, animam humanam diverſorum motuum, quos in corpore, cui ineſt, quodque animat, cauſam efficientem eſſe; fieri enim poteſt, eam omnium horum motuum non niſi cauſam occaſionalem eſſe.

QUA RATIONE RES UNA IN ALIA CONTINERI POSSIT.

Tribus modis res aliam rem poteſt continere; aut formaliter, aut eminenter, aut virtualiter: atque his tribus modis cauſa efficiens effectum ſuum continere poteſt.

263. EXPLICATIO I. *Res aliam rem formaliter continet*, quum res contenta exiſtit in ſua propria natura, & *ſub propria ſua forma diſtinctiva* in re continente.

Ita pluvia formaliter continetur in nube, a qua in terras effunditur; minimæ enim hæ aquæ particulæ priuſquam in ſenſibiles globulos coacervarentur, ſparſim in propria natura, & ſub *propria earum forma aquoſa* in nubis ſinu continebantur.

Ita fœtus, ſive embrio pulli formaliter in ovo fœcundato continetur, a quo per incubationem erumpit; in hoc enim ovo fœcundato exiſtunt ſub propria diſtinctiva forma parvi pulli omnia eſſentialia corporis organici rudimenta, quæ incubatione creſcunt, atque evolvuntur.

Ita in oratione aliqua propoſitio formaliter continetur, quum in ea ita omnino eſt, ut enunciatur, nihil illi addendo, vel demendo illis quæ ipſam conſtituunt.

264. EXPLICATIO II. *Res aliam rem eminenter continet*, quum res continens perfectiones, & proprietates habet *eminentioris generis* ſublimiori excellentiæ gradu continentes quidquid virtutum, ac perfectionum habet res eminenter contenta, quin hujus conſtitutiva propria, & formalia contineat.

Hoc

Hoc pacto Deus & humanæ mentis aciem, & mechanicam globi bellici e tormento explosi vim mechanicam eminenter continet: Deo enim inest infinita intelligentia, qua infinite perfectiori ratione non tantum omnia intelligibilia objecta attingit, quæ mens humana percipere potest, verum & objecta alia infinita, quæ mens humana attingere nequit; & in Deo quoque est potentia infinite activa, qua infinite perfectiori ratione non solum effectus omnes exequi potest, qui a globi bellici vi producuntur, verum & infinitos sive ejusdem, sive diversæ speciei effectus, ad quos producendos quarumcumque mechanicarum potentiarum actio numquam elevari potest.

Ita nummi aurei valor eminenter oboli valorem continet; nummus enim aureus præter oboli valorem multo majorem valorem habet.

Ita regis dignitas, principis, provinciæ præfecti, judicis cujuscumque dignitatem eminenter continet; regia enim dignitas excellentiori, & eminentiori gradu quascumque inferioris, & subalterni ordinis dignitates complectitur.

265. NOTA. Positis duabus superioribus explicationibus, diligenter adnotandum:

I. *Divinam essentiam omnes creatarum rerum perfectiones eminenter continere*; perfectiones enim continet excellentioris, eminentiorisque naturæ quidquid in creatis perfecti est infinite exsuperantes.

II. *Divinam essentiam nullam creatarum rerum perfectionem formaliter continere*; exempli causa, neque rationem hominis, neque instinctum bruti, neque auri ductibilitatem, neque globi bellici impetum; hæ siquidem proprietates, ut in creatis rebus existunt, semper in *sua formali, & distinctiva natura* (a) perfectionis defectus

(a) *ETYMOLOGIA.* Proprietas formalis *rei di-*

ctus aliquos includunt, quos divina essentia essentialiter excludit.

III. *Nullam esse in creatis rebus, quæ aliam omni ex parte eminenter contineat.* Nulla est enim rerum species, quæ id omne omnino operari possit, quod ab alia specie operatur.

Auri pes cubicus, exempli gratia, pedem ferri cubicum eminenter valore continet; at non in omni proprietatum genere illum eminenter continet; ferrum enim proprietates habet, quibus aurum omnino caret.

266. EXPLICATIO III. *Res aliam rem virtualiter continet*, quum prima vim, ac virtutem habet alteri existentiam impertiendi.

Ita ante rerum creationem Deus in essentia sua infinita omnes existentes substantias virtualiter continebat; antequam enim has substantias crearet, potens erat illis existentiam tribuere.

Ita anima mea actus liberos, & intrinsecos voluntatis suæ virtualiter continet ante ipsam horum actuum existentiam; antequam enim eos eliciat, & efformet potestatem in se habet illos efformandi, & eliciendi.

Hic vides quænam sit illius philosophici axiomatis significatio: *nemo dat, quod non habet*: quod quidem causarum actioni accommodari potest.

---

dicitur, qua eam determinat, ut talis sit. Inde procul dubio hæc denominatio orta est, quod rei primo in idea subjecti vagi *considerata addita fuit mente* forma determinans. (80).

Proprietas formaliter consideratur, *quum veluti a subjecto sejuncta, & sub idea formæ hujus determinantis, qua talis esse constituitur, consideratur.* Natura formalis *rerum creatarum semper his, & his realibus proprietatibus constituitur in ea limitatis, & circumscriptis ab his, & his aliarum proprietatum negationibus.*

test. Causa in effectum suum transmittere proprietates nequit, quas neque eminenter, neque formaliter, neque virtualiter ipsa habeat; at quas proprietates formaliter non habet transmittere potest, modo eas aut eminenter, aut virtualiter habeat.

CAUSÆ OCCASIONALES.

267. DEFINITIO. *Causa occasionalis* ea dicitur, quæ efficaciter esse facit effectum quin ipsa propria sua activitate illum producat: sive ea, quæ re ipsa effectum producere videtur, at hoc tantum præstat, ut conditionem ponat, quam exigit, atque præstolatur causa alia, efficiens nempe, ut hunc effectum a se ipsa producat.

Triplicis generis causas occasionales, exemplis adjectis, hic tantum explicabimus; nempe in actione corporum in corpore, corporum in spiritus, & spirituum in corpora.

268. EXPLICATIO I. *Causas occasionales in actione corporum in corpora* concipere facile est. Sit, exempli gratia, globus argillaceus, vel ligneus in alium globum quiescentem conjectus. In hypothesi, in qua Deus est unica causa efficiens motus, globus impingens est causa occasionalis motus in globo icto excitati.

I. Primo globus impingens, qui tantum materiæ massa est, & cujus natura est *inertia intrinseca*, sive omnimodus activitatis, & intelligentiæ defectus, incapax est a se globo quiescenti & motum, & hanc determinatam motus quantitatem impertiri. Non ergo globus impingens ille est, qui a se & hunc motum, & hanc determinatam motus quantitatem in globo quiescente producit; est ergo Naturæ auctor, qui & hunc motum, & motus quantitatem ipse a se in globo quiescente producit juxta ab ipso statutas leges, quibus ipse solus effectus conformes potest efficere.

II. Deinde Naturæ auctor, qui nihil casu, & temere operatur, nec nisi juxta generales regulas, legesque ab ipso statutas, nunquam motum, & hunc motum in globo quiescente produceret, nisi aliqua adesset ratio, quæ hanc productionem expeteret, & illi occasionem præberet. *Impulsio globi moti* in globum quiescentem est ratio illa, quæ Naturæ auctorem eo adducit, ut a se ipse motum, & hunc motum in globo quiescente producat: en tibi *causam occasionalem* motus in globo quiescente exorti.

At vero si globus ictus jam moveretur priusquam a globo ipsum assequente, & feriente impulsionem haberet; hæc impulsio causa occasionalis est, non motus sane, qui antea jam in globo impulso aderat, at novi illius motus, qui in ipso producitur.

III. Perspicuum est, ea omnia, quæ *de globo in globum impingente* hactenus diximus, æque de aquæ impulsu in molendini rotam dici posse, de venti in navis vela, de scintillæ in ignis escam, de pulveris pyrii succensi in incendiarium globum, quem ad scopum ejaculatur, de ferrei globi per tormentum bellicum in murcs conjecti, de equi contra rhedam, quam trahit, de ensis in caput, quod amputat, impulsionibus; idem dicito de sexcentis. Diversi hi impulsus totidem *causa occasionales* sunt effectuum, qui consequuntur.

269. EXPLICATIO II. Æque facile est *causas occasionales in actione corporum in spiritus* concipere. Aristus molliter in hemicyclo sedens demisso capite, dejectisque brachiis, dum ceteri hilariter colloquia miscent, placide somno indulgeat. Æmilia hoc indignata *levem doloris sensationem* in Aristi anima excitare parat, qua a sopore revocetur; quare flabello, quod gestat, illi acriter manum verberet. Aristus illico somno excutitur, ejusque anima ad mutua colloquia revocatur levi, quam percipit, doloris sensatione.

I. Pri-

I. Primo hæc doloris sensatio in Aristi anima excitata non fuisset, si nullum aliud agens præter datam, & acceptam impulsionem, in natura extitisset: quandoquidem & flabellum percutiens, & manus icta duæ tantum sunt materiæ massæ nullam a se actionem habentes, neque vim in substantiam spiritualem.

Non itaque aut impulsio flabelli, aut hæc in manu recepta hanc doloris sensationem in Aristi anima excitavit. Est ergo Naturæ auctor, qui hanc in Aristi anima doloris sensationem effecit ad leges conjunctionis animæ cum corpore ab ipso statutas.

II. Præterea Naturæ auctor, qui nihil temere, & inconsulto agit, at omnia ad leges genericas, & immutabiles ab ipso statutas, nunquam hanc doloris sensationem in Aristi anima excitasset, nisi rerum, & eventuum nexus hanc illi rationem, occasionemque obtulisset, quæ hunc effectum fieri postulasset.

Ipsa *impressio in Aristi manu* flabelli ictu ratio fuit, quare naturæ Auctor ipse a se hanc sensationem in Aristi anima efficeret: hæc *causa* fuit *occasionalis* sensationis in Aristi anima excitatæ.

III. Patet jam generalem theoriam, quam *impressioni in mente factæ* adhibuimus ictu flabelli, æque facile accommodari posse cuicumque impressioni in omnibus tactus organis effectæ a diversorum sensibilium corporum ictu, aut resistentia; impressioni in organis visus ab impulsu radiorum lucis; impressioni in organo olfactus odorantium atomorum appulsu; impressioni in auditus organis aerearum particularum incursu, quas sonora corpora tremere faciunt; impressioni in organis gustus ab ictu, & actione corpusculorum a solidis, liquidisque alimentis emanantium.

Diversæ hæ impressiones totidem *causæ occasionales* in nobis sunt, quæ Naturæ auctorem ef-

ficaciter, & indefectibiliter determinant ad leges ab ipso libere sancitas, atque statutas, ut ipse a se in anima nostra & ideas producat, & sensationes, quibus, aliæ aliis excitandis illæ destinatæ fuerunt occasionem præbere.

Eadem theoria jam ipsa sponte & brutorum animæ accommodatur; in horum animis enim diversæ sensationes intimæ diversis organicis affectionibus tamquam *causis occasionalibus* debentur.

270. EXPLICATIO III. Neque difficilius est *causas occasionales in actione spirituum in corpora* concipere. Exempli gratia: vult anima mea, & præcipit, brachium attolli: brachium attollitur. Hæc *anima voluntas* causa occasionalis est, quare Naturæ auctor ad leges conjunctionis animæ cum corpore ab ipso sancitas eum ipsum motum efficiat, quem animæ voluntas postulat.

I. Primo, brachium hoc neutiquam moveretur, nisi aliud agens præter animam in natura esset; caret enim anima aut actione, aut agendi modo in brachium; quin si & actionem, & agendi modum in brachium haberet, quæ fibræ contrahendæ sint, quinam nervi, quinam motores musculi ad brachium potius, quam pedem, aut linguam, aut caput movendum adhibendi sint plane ignorat. Non ergo anima est, quæ hunc brachii motum ipsa producat. Naturæ igitur auctor est, qui ipse hunc brachii motum efficit.

II. Præterea Naturæ auctor, qui tantum ad leges ab ipso statutas agit, nunquam hunc brachii mei motum efficeret, nisi rerum ordo ab ipso statutus rationem illi præberet, quæ hunc motum exigeret.

Hæc *anima mea voluntas* ipsa est ratio, quæ Naturæ auctorem inducit ad brachii mei motum efficiendum: en tibi *causam occasionalem* motus in brachio producti.

271.

271. NOTA. Summa diligentia animadverte, neque hoc tibi sinas mente excidere, nisi omnia in causarum occasionalium theoria perturbare velis, *anima* nempe *voluntatem non esse causam occasionalem immediatam nisi motus producti in fluido movente, sive in fluido animali corporis; quod animat.*

I. Voluntatis animę occasionalis influxus est tantum ad motum fluidi moventis, seu fluidi animalis. Quo posito, fluidum hoc animale fit ipsum, uti postulant leges physicæ de motus communicatione in causis pure materialibus, *causa occasionalis* motus in diversis fibris, nervisque producti, qui diversas humani corporis partes movent: fluidum nempe hoc animale eo majorem hisce fibris, nervisque vim motricem indit, quo majori copia, majori velocitate, paucioribusque obstaculis in illas partes fertur.

Itaque brachii motus non ad arbitrarium animæ nutum producitur: at posito animæ nutu motus iste producitur, ut & fluidum animale, & fibræ motrices, & tota corporis magis, minusve perfecta structura postulant.

II. Quare summa motus, quem *anima voluntas* excitat, sive illa sit motus causa occasionalis, sive efficiens, minima erit in *pueruli* brachio, maxima in *homine robusto*, nulla in *paralitico*; etsi omnes hi eandem brachium movendi voluntatem habeant toto nisu, quo possunt, quantumque eorum natura exigit.

In primo fluidum animale & parva copia est, & multo verisimile est quadam adhuc densitate carere ad agendum necessaria; præterea varii meatus, per quos ferri debet, impediti adhuc, & informes, nondum videntur illi vias præbere satis solidas, apertas, liberas, quibus excurrat nullo impedimento.

In altero fluidum animale copiosissimum, optimum, maxime activum est: vię, quibus excurrit, bene solidæ sunt ad ejus cursum diri-

gendum; præterea fatis apertæ, & liberæ, ut nullo obſtaculo retardetur.

In tertio aut fluidum animale ipſum & in ſua ſubſtantia vitiatum eſt; aut, ſi non ſit, viæ obſtructæ ſunt, quibus ad brachii movendi fibras deferatur; aut ſi ad brachium uſque pertingat, ibi obſtacula offendit, quæ ejus actionem deſtruunt, & nullam reddunt.

Nos alibi objectiones nonnullas alias aliis ſpecioſiores de medio tollemus, quas in maxime philoſophicam, maximeque veriſimilem cauſarum occaſionalium hypotheſim quis poſſet ingerere. Hoc unum modo contendimus, ut claram, diſtinctamque & harum cauſarum, & hujus hypotheſis ideam præbeamus.

CAUSÆ PHYSICÆ.

272. DEFINITIO. *Cauſa phyſica* ea dicitur, quæ influxu ſuo immediato effectum aliquem in natura exiſtere facit; ſive ut cauſa efficiens agat, ſive tantum ut occaſionalis. In utraque hypotheſi cauſæ phyſicæ nomen meretur: in phyſico enim rerum ſtatu æque effectus ſui exiſtentiam obtinet; neque hic effectus in phyſico rerum ſtatu exiſteret, niſi hic cauſæ ſuæ aut efficientis, aut occaſionalis influxus adeſſet.

Exemplum. Anima mea æque vera cauſa phyſica eſt motus, quem in meo brachio oriri facit, quique ſine ipſa in meo brachio non fieret ſive hunc ipſa a ſe efficaciter producat, ſive dumtaxat conditionem ponat, qua poſita indefectibiliter produci debet, & ſine qua nullo pacto a cauſa efficiente univerſali, ab actione nempe auctoris Naturę produceretur.

I. Itaque diverſæ *naturæ leges*, uti leges impulſionis, attractionis, affinitatis, *veræ cauſæ phyſicæ* ſunt; ex iis enim innumeri effectus phyſici, & reales in natura emanant.

II. Ita homo enſe feriens, equus rhedam trahens,

hens, globus ferreus e tormento murum diruens, aqua molendinum vertens, ventus vela impellens sunt *veræ causæ physicæ*: hæ siquidem diversæ causæ sive efficientes sint, sive occasionales, effectus physicos, & reales, quæque suum, in natura oriri faciunt, qui sine ipsis in natura non essent.

III. Ita tandem diversæ creaturę sive materiales, sive immateriales, intelligentes, sive intellectu carentes, *veræ sunt causæ physicæ* in iis, quæ earum actio dicuntur; ipsæ siquidem innumeros physicos, & reales effectus in natura producunt, aut illis occasionem prębent: atque hi effectus hisce causis quoque suam debent existentiam, quicumque earum sive efficiens, sive occasionalis tantum influxus sit.

Neutram modo sententiam propugnantes, seu veterem de causis efficientibus, seu recentiorem de occasionalibus, pręvias hic assertiones quasdam de causis in genere pręcipuas ponere, ac statuere pergimus, quæ in utraque hypothesi æque verę sunt.

ASSERTIONES GENERICÆ DE CAUSIS.

273. ASSERTIO I. *Causa agens existit: ergo ex effectu visibili causam, licet invisibilem, existere, jure affirmatur.*

DEMONSTRATIO. *Actio* proprietas est realis, & physica, quæ non nisi *enti existenti* convenire potest. Si ergo effectus existit, quicumque sit, cujus actualis existentia necessario requirat, aut supponat actualem sive actionem, sive influxum causæ, quæ illum existere facit, aut existentem servat: hic effectus causam hanc existere necessario supponit. Hic ergo effectus notus medium est infallibile demonstrandi, existere causam hanc, sive ea nota sit, sive ignota, visibilis, sive invisibilis. Q. E. D.

274. NOTA I. Ita *cogitationes nostræ* princi-

pium cogitans in nobis esse demonstrant: *actus* nostri *liberi* principium liberum; quæcumque principii hujus invisibilis natura sit, aut esse possit.

Ita *permanens hæc motus summa*, *permanens hæc rerum harmonia*, quam in visibili rerum universitate dignoscimus, demonstrant invisibile principium in natura existere infinita intelligentia, & activitate præditum, a quo & motus iste, & ista harmonia est; quęcumque invisibilis hujus principii natura sit, aut esse possit.

Ita corporum *gravitas*, *&* *elasticitas* in his corporibus causam supponunt, quęcumque ea sit, sive ab eorum natura pendens, sive illi extranea, quæ in illis hos elasticitatis, & gravitationis effectus pariat: quęcumque causę hujus latentis natura sit.

Ita *nonnulli distinctivi effectus*, quos ab his, vel illis animantibus, vegetabilibus, fossilibus emanare, aut evenire videmus, nobis in quavis diversa specie annunciant, atque indicant, *proprietates quasdam distinctivas* existere, a quibus hi effectus cujusvis speciei proprii provenire possint, quibusque *natura cujusvis speciei propria* adnexa sit; licet invisibiles, & ignotæ nobis sint proprietates hę distinctivę, quę eorum specifica natura sunt.

Ita denique quivis existens effectus nobis probat, & ostendit, se causam existentem habere, aut habuisse: quilibet effectus notus ad causæ suæ sive sensibilis, sive insensibilis cognitionem nos adducit; etsi ceterum causæ hujus natura mentis quoque nostræ viribus minime comprehendi posset.

275. NOTA II. In natura *effectus* alii *permanentes* sunt, alii *non permanentes*. Primi causam suam existere non supponunt, nisi quo temporis momento existere cœperunt. Alteri, qui actu existere nequeunt, nisi quatenus actu a causa

sa sua existentiam habeant, eam causam actu existere supponunt.

Exemplum. existentia actualis signi a Phydia sculpti Phydię existentiam non supponit, nisi quo tempore sculptum fuit. Actualis motus quorundam corporum a vulcano erumpentium supponit in vulcani visceribus actualem causam, quæ actu applicata sit ad motum hisce corporibus communicandum. Ita de reliquis.

276. ASSERTIO II. *Effectus potentiam, aut activitatem causæ excedens huic tribui nequit: quidquid ergo perfectionis in effectu est, aut formaliter, aut eminenter, aut virtualiter in ejus causa esse debet.*

DEMONSTRATIO. Quandoquidem *effectus perfectiones*, quicumque is sit, ipsi inesse nequeunt, nisi quatenus illi veniunt a causa, a qua existit, quæque eas ipsi cum existentia impertitur; evidens est, majori perfectione effectum prędituum esse nequire, quam quæ ipsi a sua causa tribui possit; neque causam perfectionem majorem tribuere posse, quam ipsa habeat: in quacumque enim causa potentia ab eo, quod ipsa est, circumscribitur; neque unquam potentia ejus, quod ipsa est, activitatem excedere potest. Q. E. D.

277. COROLLARIUM. Hinc necessario sequitur:

I. *Cogitationem* nunquam ut materię effectum haberi posse, quamdiu cogitatio perfectiones, aut proprietates habeat, quæ materiæ activitatem excedant, nec a materiæ constitutivis emanare possint.

II. *Natura harmoniam* materiæ, & casus actioni tribui nequire, si materia, & casus ad hanc harmoniam producendam inepti sunt.

III. *Organicam materiæ structuram* a rudi, & organis destituta materia ut effectum a causa, provenire non potuisse, si evidens sit, rudem, & organis destitutam materiam & intelligentia,

& actione carere, quam hujusmodi structura supponit, atque exigit. Ita de reliquis.

278. ASSERTIO III. *Causa necessaria tota sua activitate semper agit: quantitas ergo effectus causa activitatem determinat.*

DEMONSTRATIO. I. Causa necessaria nihil habet, quod actionem suam cohibeat, aut moretur: itaque hujusmodi causa tota energia actionem suam exercebit, atque exeret; atqui hoc pacto totam suam activitatem explicat; ergo causa necessaria in effectu totam suam activitatem explicat; quantitas ergo effectus activitatem causæ detegit, aut determinat.

II. *In causa libera* non ita res habet: hæc actionis suæ domina, pro voluntate aut totam agens activitatem suam exerere potest, aut partem tantum, quam velit. Non ergo effectus quantitas causę liberæ activitatem determinat.

Exemplum. Globus ferreus bilanci impositus lancem tota activitate sua terrę centrum versus urget. Manus mea alteri lanci imposita, eam majori, minorive activitate deprimere potest, atque ita vel oppositam globi ferrei resistentiam vincere, aut illi cedere. Q. E. D.

279. ASSERTIO IV. *Causa necessaria, cujus actionem nihil destruit, aut eludit, eo majorem effectum producit, quo diutius illi producendo est applicata. Quantitas ergo effectus tempori, quo causa illi producendo applicatur, proportionalis est.*

DEMONSTRATIO. Causa necessaria, cujus nihil actionem destruit, aut eludit, in effectu suo actionem suam aggregat, & cumulat toto tempore, quo effectui suo actionem, & influxum applicat.

Exemplum. *Actio ignis* applicata ferri massę, quam in fabri fornace candentem reddere contendo, in hac ferri massa aggregatur, & cumulatur quamdiu hinc amittat, quod illinc lucratur.

Alterum. *Actio gravitatis* corpus ad terræ cen-

centrum propellens, repetitis, ac veluti cumulatis impulsibus motum centripetam hujus corporis successive auget, donec extranea vis nisum gravitatis semper permanentis destruat, & veluti conficiat, quo motum jam existentem magis, magisque augere contendit.

Itaque si tempus, quo causa agit, duplum, aut triplum est, dupla quoque, seu tripla erit actio causæ; ergo effectus ab hac causæ actione procedens, quique hujus actionis rationem sequitur, tempore duplo, aut triplo duplus, aut triplus est. Q. E. D.

280. NOTA. Pluribus, ac præcipuis physicæ objectis principium hoc magnam lucem affundit; uti motui gravium accelerato, areis ęquali tempore a planeta, seu cometa descriptis, alicui theoriæ ignis, & electricitatis parti, ac aliis plerisque.

At non ubique eo uti possumus; non enim in omnibus, & ubique actio causæ in effectu ita coacervatur in ratione temporis, quo actio exercetur. Exempli causa: in ignis, & gravitatis actione eo adducimur, ut tantundem amittat effectus quantum causa præbet. In pondere librarum centum, cui in altera lance centum pondo ęquilibrium faciat, actio unius ex his ponderibus in effectu suo non coacervatur: quovis enim instanti ab ęquali, & opposita alterius ponderis actione destruitur.

281. ASSERTIO V. *Eadem causa diversos effectus producere potest: ergo effectuum diversitas non semper causarum multiplicitatem enunciat.*

DEMONSTRATIO. *Ens increatum, & creans* existentiam impertitum est tum intelligentibus, tum non intelligentibus substantiis: spiritui, & materię; effectus diversi sunt; causa simplex, atque unica.

Homo pariter causa est sive efficiens, sive occasionalis quarundam suarum idearum, suorum diversorum judiciorum, quarundam suarum si-

ve voluptatis, sive doloris sensationum: effectus diversi sunt, causa unica; semper enim est idem homo anima, & corpore constans, natura eadem unica, totum idem.

Ita quoque *gravitationis lex* aut causa, aut occasio est diversorum in corporibus motus effectuum pro eorum diversa a gravitationis centro distantia: diversi sunt effectus, causa unica; hæc enim tantum est una, eademque *Creatoris primitiva voluntas* pro diversis corporum inter se respectivis positionibus.

Ab hac generali causarum, & effectuum theoria duæ, quas addemus, veritates consequuntur.

282. COROLLARIUM I. Certum est, *plures diversos effectus eidem causæ esse tribuendos, quum eadem causa sufficit, ut horum diversorum effectuum existentiæ ratio reddi possit*. Juxta enim philosophicum axioma passim receptum, evidenter rationi innixum, & passim ut certum, & ineluctabile admissum, *principia, aut causæ sine necessitate non sunt multiplicanda*.

Quod redundat, & inutile est ideæ Agentis infinite simplicis, & infinite sapientis non includitur, cujusmodi illud esse patet, quo universa visibilis natura regitur, & gubernatur: quare absurdum esset supponere, plures causas ab ipso adhiberi ad effectum præstandum, cui una satis sit.

283. COROLLARIUM II. Certum est, *plures diversos effectus tunc causis diversis attribuendos esse, quum una tantum horum existentia rationem reddere nequimus*. Omnia enim in visibilis naturæ universitate causam sui, & rationem habent; quare si ad effectum quemcumque præstandum peculiaris quædam causa impar sit, hoc jam indicat, & perspicuum facit, alii causæ effectum hunc suam existentiam debere, illique esse attribuendum.

284. OBJECTIO. Universa hæc causarum præ-

preclara theoria, vere philosophica, & apte statuta est in causarum efficientium hypothesi; at futilis, & inanis est *in hypothesi causarum occasionalium*. Si enim Deus unica est causa efficiens actionis corporum in corpora, corporum in spiritus, spirituum in corpora, patet jam, quidquid effectuum in natura detegimus unice ostendere existentiam, & proprietates causę efficientis universalis, quin vel minimum quid existentiam, & proprietates illarum, quas causas occasionales dicimus, ostendat.

RESPONSIO. Si in causarum occasionalium hypothesi omnia Agens universale arbitrio suo operaretur, quin quidpiam illi agendi rationem offerret, perspicuum sane est, in hac hypothesi universam causarum theoriam a nobis traditam futilem fore, & illusoriam.

At vero si in hac causarum occasionalium hypothesi Agens universale non operatur, aut agit, nisi *data agendi, & operandi occasione*, quam illi rerum natura præbet; patet jam, hanc universalis Agentis actionem id omne in natura demonstrare, quod actio rerum efficiens demonstraret. Atqui hujusmodi est causarum occasionalium hypothesis: supponit enim *Creatoris actionem* in res non haberi, nisi quatenus rerum natura, & exigentia illam exerendi occasionem præbet (268 & 270).

Quare sive causarum occasionalium hypothesim admittas, sive respuas; certum est hac objectione positam a nobis generalem theoriam ne minimum quidem infirmari; si enim hanc theoriam in *causarum occasionalium hypothesi* consideres, hac objectione ipsa nec læditur, nec lædi potest, nisi si falsam hujus maxime philosophicę hypothesis tibi ideam confingas.

CAU-

CAUSÆ MORALES, CAUSÆ FINALES.

285. DEFINITIO. I. *Causa moralis* ea dicitur, qua effectus existit non immediato, & actionis influxu, at mediato, & rationis moventis; non effectum a se producendo, sed invitando, & efficaciter suadendo causam physicam sive hortationibus, sive illecebris, sive rationibus, sive promissis, sive minis, sive verbis, sive exemplis, ut illum producat.

Hoc pacto qui hortatur, aut excitat ad crimen, criminis hujus est causa moralis, etsi ab alio crimen immediate perpetretur; ipsum enim re ipsa, & indivisibiliter existentiam suam debet & perpetranti, & ad perpetrandum hortanti, & incitanti.

286. NOTA I. Causa moralis semper est causa intelligens, quæ ratione sua utens, aut abutens urget, atque sollicitat *existentiam effectus*, puta, rei exequendę, sive ęquæ, sive iniquæ, sive ut aliquid agatur, sive ut omittatur: causę physicæ, & immediatę rationes proponens ad agendum, vel non agendum moventes. In actionibus enim liberis non minus vera voluntatis determinatio requiritur ad quid omittendum, quam ad agendum; ad abstinendum a proposita actione, aut actionis medio, quam ad illam actionem probandam, & medium amplectendum. Hinc axioma philosophicum, liberam omissionem sine vero voluntatis actu non haberi: *repugnat omissio pura libera*.

I. Inter *causam efficientem*, & effectum nihil est medium, nisi actio hujus causæ: causa hæc agit immediato suæ activitatis exercitio. Inter *causam occasionalem*, & effectum nihil medium est præter Dei actionem: causa hæc est occasio immediata, unde indefectibiliter, & veluti necessario provenit effectus existentia.

II. Inter *Causam moralem* & effectum media est

est causa libera, & intelligens æque ac moralis: media hæc causa ea est, quæ agit determinatione, ad quam capiendam inducitur a causa morali.

287. NOTA II. Causa moralis ab ea, quæ aliquando dicitur causa *instrumentalis*, essentia differt; causa enim moralis semper necessario est causa intelligens; at causa instrumentalis semper est causa non intelligens, quæ non nisi extrinseco impulsu agit, seu quæ in actione sua nullam habet intrinsecam libertatem.

Glans plumbea, qua nocturnus fur traijcitur, molossus mordax, qui in hunc furem incitatus eum laniat, causæ sunt instrumentales exitii, quod ejus crimen illi peperit.

288. DEFINITIO II. *Causa finalis rei alicujus* dicitur id, ad quod res ista in physico naturæ ordine videtur peculiariter destinata: sive *peculiaris aptitudo*, quam res hæc habere videtur ad effectus quosdam, quos destinata videtur producere, aut quibus occasionem præbere; quique ejus existentiam postulasse, & determinasse videntur. Exempli gratia, causa finalis oculi est colorum perceptio, sive ad colores percipiendos aptitudo.

I. Causæ finales existunt etiam cum non agunt; quum agunt fiunt causæ physicæ. Exemplum. Causa finalis auris est perceptio soni: hæc causa finalis, ut finalis, existit etiam quum auris nullam soni perceptionem præbet; *aptitudo enim ad soni perceptionem dandam* in aure est etiam quum hæc potentia ad actum non reducitur.

II. In genere quævis naturæ lex, & quævis naturæ pars peculiarem suam *causam finalem* habet; ab hac vero causarum finalium collectione, & concordia exoritur rerum harmonia, atque firmitas.

Ita quoque in genere omnes corporis organici partes suam peculiarem causam finalem habent;

exem-

exempli gratia, in humano corpore oculus ad colorum perceptionem dandam effectus est, auris ad soni, olfactus ad odorum perceptiones dandas est institutus; brachii fibræ, & musculi ad aptos huic brachi omotus imprimendos; & sic de reliquis.

In naturæ spectaculo *causarum finalium* studium non minus utile, ac jucundum est causarum physicarum studio. Causarum finalium aspectus omnium optima existentiæ Dei demonstratio magno Nevvtono videbatur.

POTENTIA OBEDIENTIALIS RERUM.

289. DEFINITIO In substantia quacumque sive materiali, sive immateriali, intelligente, aut intellectu carente *potentia naturalis* dicitur facultas, quam natura sua habet aliquid faciendi, aut in se recipiendi; *potentia* vero *obedientialis* facultas, quam adipisci potest auxilio illi ab omnipotenti Deo impertito aliquid faciendi, aut in se recipiendi, quod facultatem suam naturalem sibi relictam excedat.

I. Exemplum. Oculus meus *facultatem* habet objecta visibilia *referendi*: hæc ejus potentia est naturalis.

Hæc facultas visibilia objecta referendi, quæ nulla fit objectis maxime dissitis, *ope telescopii* adjuta, & elevata facultatem obtinet hæc ipsa objecta referendi, & visibilia reddendi: en tibi speciem quandam potentiæ obedientialis oculi mei.

II. Modo pro telescopio, quod pure naturale auxilium est, fac haberi *auxilium supernaturale*, quod Deus dare potest, & oculo meo applicare. Oculus hoc supernaturali auxilio adjutus, & elevatus facultatem habebit intuendi, & referendi objecta ipsi nova, quæ nullo modo naturalem ejus activitatem afficere poterant, quum supernaturali hoc auxilio carebat.

Fa-

Facultas auxilium supernaturale in natura sua recipiendi: facultas hoc supernaturali auxilio in sua natura recepto objecta videndi, quæ sine hoc intueri, & deprehendere nunquam poterat, hæc *oculi potentia obedientialis est*.

290. NOTA. Hinc facile intelliges quam tibi efformare debeas ideam *potentiæ obedientialis olfactus*, quem supponas supernaturaliter elevatum ad quasdam habendas odoris perceptiones omnem suam naturalem activitatem excedentes; *potentia obedientialis brachii*, quod supponas supernaturaliter elevatum ad quosdam motus effectus producendos, quibus ejus naturalis activitas impar est; *potentia obedientialis intellectus*, quem supernaturali lumine elevatum supponas ad veritates percipiendas naturali suæ facultati sibi relictæ prorsus inaccessas; *potentia obedientialis voluntatis*, quam supponas supernaturaliter elevatam ad bonum appetendum, cujus nullam natura cognionem habet, & quod natura nullo pacto appetere potest; atque ita de ceteris.

291. COROLLARIA. Ab hac potentiæ obedientialis notione, & definitione quatuor hæ veritates sequuntur.

I. Sequitur primo, *in substantia quacumque potentiam naturalem, & potentiam obedientialem re ipsa unum esse*. Hæc enim tantum est illius extensio, perfectio, & nova applicatio.

II. Sequitur secundo, *in quavis substantia elevationem potentiæ naturalis ad effectus naturam suam excedentes primitivam hanc naturam non destruere:* hæc enim elevatio id tantum præstat, ut superiori, & perfectiori modo primitivam hanc naturam exerceat.

III. Sequitur tertio, *in quavis substantia potentiam naturalem elevari non posse ad effectus producendos, qui nullam natura sua relationem dicant*; quodvis enim telescopium, quodvis instrumentum, quodvis seu naturale, seu supernaturale auxilium supponam, exempli gratia, auri

meæ

meæ applicatum, percipere nequeo hæc five telefcopia, five inftrumenta, five auxilia debere, aut poffe eam aptam reddere, ut mihi vifibilia præbeat objecta, aut fenfibiles colores.

IV. Sequitur tandem, *naturam humanam elevari poffe ad finem fupernaturalem habendum, & ad actus fupernaturales producendos.*

Evidens enim eft, naturæ, & religionis auctorem poffe creaturam intelligentem *ad finem fupernaturalem* deftinare, five ad finem ejus naturæ indebitum, puta, ad plena, & immutabili felicitate gaudendum in intima, & æterna Dei poffeffione.

Evidens quoque eft, creaturam intelligentem poffe a naturæ, & religionis auctore fupernaturales illuftrationes in intellectu accipere, & fupernaturales motus in voluntate, quibus apta reddatur *actus fupernaturales* elicere, ad quos facultates ejus naturales hoc auxilio deftitutæ, fibique relictæ, nunquam extendi, & elevari potuiffent.

292. NOTA. Hac pofita theoria facile intelliges quomodo *actus aliquis refpectu potentiæ alicujus confideratus cenfeatur effe aut juxta naturam, aut fupra naturam, aut contra naturam hujus potentiæ:* quum nempe aut naturæ competit, aut naturam excedit, aut ftare nequit cum hujus caufæ, aut potentiæ natura.

I. Actus eft *juxta naturam* caufæ, quum ex eorum genere eft, ad quos producendos folius fuæ naturæ viribus eft deftinata; puta, cognitio geometricæ veritatis, felicitatis amor, juxta naturam meam funt.

II. Actus eft *fupra naturam*, quum menfuram activitatis excedit, quam natura caufa hæc habet; etfi ex eorum genere fit, quos ipfa producere eft natura deftinata, neque ab iis nifi fublimiori excellentiæ gradu differat.

Exempli gratia: cognitio veritatis omnibus intellectus mei naturalibus facultatibus imperce-

cepti-

ceptibilis, amor boni nullis meis affectivis potentiis naturaliter appetendi, est supra naturam meam.

III. Actus *contra naturam* est causæ alicujus, neque illi unquam tribui potest, quum nullo pacto ex eorum genere est, ad quos producendos ipsa est destinata; seu quum aliquid in hac causa supponit ejus naturæ repugnans.

Exempla. Muscæ creatio, imo atomi contra naturam meam est; hic enim actus nullo pacto ex eorum genere est, ad quos producendos sum destinatus; atque hic activitatem infinitam in me supponeret, quam natura mea finita essentialiter excludit.

Item amor mali, ut malum est, assensus falso, ut falsum est, contra naturam meam est; hic enim amor, hic assensus directo iis qualitatibus opponitur, quæ naturam meam constituunt, quasque in natura mea sentio, & concipio.

§. X.

RERUM RELATIONES.

293. DEFINITIO. R*Elatio* dicitur ordo, seu respectus rei unius ad aliam; aut, si mavis, id, quo res nota in alius cognitionem inducit. Exempli gratia: filium, ut filius est, concipere nequeo, quin matrem, a qua natus est, quoque concipiam: *Filiatio*, seu filii qualitas, relatio est.

Res considerari possunt aut aspectu quodam, quo tantum *entia positiva*, & *absoluta* exhibeant, aut alio aspectu, quo exhibeant *entia relativa*. Exempla sint:

I. Idea Clitandri Clitandrum tantum exhibet, atque id, quod Clitandrum constituit, nulla ad alia objecta relatione.

Ita

Ita quoque ideæ materiæ, ſpiritus, vegetabilis, ſingulæ objectum tantum abſolutum exhibent, nulla ad alia objecta relatione.

II. Non ita ideæ patris, mariti, chriſtiani, creaturæ, majoris, aut minoris, & aliæ innumeræ.

Idea patris præter ſubjectum, quod eſt pater, aliud ſubjectum exhibet, cui vitam dedit. *Idea mariti* præter ſubjectum, quod eſt maritus, conjugem continet ſacro, & inſolubili vinculo ſibi conjunctam. *Idea chriſtiani* præter ſubjectum, quod chriſtianus eſt, religionem divinam dicit, quam ſequi profitetur. *Idea creaturæ* præter ſubjectum creatum, menti exhibet cauſam infinite activam, a qua creatio effecta fuit. *Idea majoris* præter ſubjectum notæ magnitudinis, aliud ſubjectum indicat minoris magnitudinis, cui comparatur; atque ita de ceteris.

294. ASSERTIO I. *Relatio quævis tria neceſſario continet: relationis ſubjectum, terminum, & fundamentum.*

EXPLICATIO. *Relationis ſubjectum* eſt res, quæ ad aliam refertur. *Relationis terminus* eſt res, ad quam ſubjectum refertur. *Relationis fundamentum* eſt qualitas ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quæ facit, ut ſubjectum ad terminum referatur; ſive ratio quæcumque, qua ſubjectum ad terminum refertur.

Exempla. In relatione patris ad filium, pater eſt relationis ſubjectum, filius terminus, vita data fundamentum. In relatione filii ad patrem filius eſt relationis ſubjectum, pater terminus, vita accepta fundamentum. In relatione magiſtri ad diſcipulum, ſive diſcipuli ad magiſtrum, doctrina tradita, aut audita eſt relationis fundamentum.

295. ASSERTIO II. *In rebus relationes reales ſunt, quas mens noſtra detegit, at non facit.*

DEMONSTATIO. Mens noſtra in filio rela-

lationem ad patrem detegit, in servo relationem ad dominum, in marito relationem ad uxorem, in cive relationem ad corpus politicum, cujus membrum est, in possidente relationem ad rem possessam, in creatura relationem ad creatorem; cetera. Ergo relationes hæ in rebus sunt, quin a mente nostra pendeant; hæc tantum illas detegit, & probe noscit, illas detegere non esse illas facere. Q. E. D.

296. ASSERTIO III. *Rerum relationes in fundamento considerata alia essentiales sunt, alia accidentales, alia arbitraria.*

EXPLICATIO. I. *Relatio essentialis* ea est, in qua relationis fundamentum subjecto est essentiale. Exempli gratia: relatio creaturæ ad creatorem, effectus ad causam, modificationis ad substantiam modificatam, ideæ ad objectum ab ipsa repræsentatum, essentialis est.

In relatione essentiali fundamentum destrui nequit, quin & totum subjectum destruatur. Hoc ostendit, in relatione essentiali fundamentum a subjecto non distingui, ipsumque in eo toto consistere, quod subjecti essentiam constituit. Exemplum: fundamentum relationis creaturæ ad creatorem destruere nequis, quin totum hujus relationis subjectum destruas; id totum scilicet, quod creaturam constituit, quæ hujus relationis subjectum est.

II. *Relatio accidentalis* illa est, in qua fundamentum subjecto est accidentale. Exempla. Relatio discipuli ad magistrum accidentalis est; doctrina enim a discipulo audita, quæ hujus relationis fundamentum est, omnino accidentalis est subjecto, quod se discipulum fecit. Ita relatio subditi ad regem, seu regis ad subditum, accidentalis est; auctoritas enim in rege, & subjectio in subditum, quæ sunt harum relationum fundamenta, res sunt omnino accidentales subjectis, in quibus sunt.

III. *Relatio arbitraria* ea est, in qua pro volun-

luntate de objecto judicamus a relatione cum alio objecto, cui illud comparamus. Exemplum. In Pigmæorum insula Guliverius se ut gigantem considerat: in gigantum insula hic idem Guliverius suis oculis pigmæus apparet: unde colliges omnem creatam magnitudinem esse relativam.

297. NOTA. *Fundamentum relationis arbitrariæ* est respectus magnitudinis, aut valoris, aut meriti, qui inter duas res detegitur, quas simul comparamus. At respectus iste *veram relationem* inter has duas res ita arbitrio comparatas non constituit; unius enim idea nullo modo alterius ideam inducit.

Exemplum. Respectus quidam datur inter pondus unius libræ, & pondus duarum librarum; nec tamen idea unius pondo, ad ideam duorum pondo non adducit, ut idea filii ad ideam patris, idea effectus ad ideam causæ adducit.

In quavis relatione proprie dicta idea subjecti ideam termini implicite exhibere debet: quod in improprie dicta relatione non contingit, quam propterea *arbitrariam* diximus. De hac nihil ultra dicemus, quæ maximo in usu est apud geometras, nihil vero habet cum metaphysicis.

298. ASSERTIO IV. *Fundamentum relationis essentialis non est quid distinctum a subjecti hujus relationis natura, seu est ipsa hujus subjecti natura.*

DEMONSTRATIO. Relatio essentialis intercedit inter infinitam Dei intelligentiam, & intelligibilia objecta, quæ repræsentat; inter infinitam Dei potentiam, & entia possibilia, quibus existentiam impertiri potest. Jam vero quid in divina essentia est *harum relationum fundamentum*? ipsa prorsus divina essentia. Si enim ipsam præcise essentiam divinam concipio a quacumque extranea huic essentiæ entitate segregatam, jam in ipsa relationem essentialem concipio ad entia intelligibilia, quæ repræsen-

tat,

tat, ad entia possibilia, quibus essentiam impertiri potest. Ergo harum relationum essentialium fundamentum nihil est præter divinam essentiam, quæ harum relationum subjectum est.

Pariter relatio essentialis dependentiæ intercedit inter creaturam, & creatorem. Quodnam itaque in natura creata est hujus *relationis fundamentum*? universa hæc natura, & nihil præterea. Si enim naturam hanc præcise mente concipio, illam cogitatione segregando, ab iis omnibus, quæ ab ipsa præscindi possunt, quin destruatur, semper in ipsa dependentiam a creatore concipio; & si forte velim cogitatione id omne præscindere, quod hanc dependentiam fundat, jam & ipsam naturam de medio tollo, quin ne hilum quidem ipsius supersit. Fundamentum ergo essentialis hujus relationis est tantum natura ista creata, quæ & ejusdem relationis subjectum est.

Ergo in genere in relatione essentiali ejus fundamentum non est quidpiam a subjecto re ipsa distinctum, quodque accidentaliter ipsi subjecto additum sit, & subjectum determinet physice, ut ad terminum referatur. Ergo in relatione essentiali fundamentum nihil est præter naturam ipsam subjecti relationis. Q. E. D.

299. ASSERTIO V. *Fundamentum relationis accidentalis est aliquid subjecto relationis accidentale.*

DEMONSTRATIO. Evidens est primo, fundamentum relationis accidentalis esse non posse *subjecti essentiam*, seu quid subjecto essentiale; ceterum hæc relatio essentialis esset, contra hypothesim. Evidens est præterea, hoc fundamentum non posse esse *nihilum*; ceterum hæc relatio realis non esset; seu potius nulla esset relatio. Necesse est igitur, (quandoquidem hoc unicum medium est inter duo hæc extrema) fundamentum relationis accidentalis esse *quid accidentale* subjecto, sive intrinsecum sit, sive extrinsecum subjecti naturæ.

I. Fun-

I. Fundamentum relationis accidentalis eſt *ſubjecto intrinſecum*, quum ſitum eſt in aliqua ſive activa, ſive paſſiva ſubjecti modificatione. Exempli gratia: in relatione matris ad filium fundamentum eſt vita, quam illi mater dedit; vita hæc eſt matris actio, ac propterea quid matri intrinſecum.

II. Fundamentum relationis accidentalis eſt *ſubjecto extrinſecum*, quum in aliquo ſitum eſt, quod in ſubjecto non recipiatur. Exempli gratia: Conſtantinopolitanus Imperator dono det Regi Perſarum ſervum quempiam ex iis, quos tyrannice in ſervitutem redigit. Miſer iſte ſervus hoc pacto cum novo domino relationem acquirit dependentiæ, cujus unicum fundamentum eſt horum tyrannorum voluntas, quæque illi eſt omnino extrinſeca.

300. NOTA. Relationum theoria primo intuitu inanis, futiliſque videtur; non talis tamen apparebit, ſi *omnia in natura relationem eſſe* animadvertas.

Religio ſiquidem tum naturalis, cum revelata in relationibus inter hominem, & Deum, tum inter Deum, & hominem fundata eſt.

Relationes civis ad civem, ſubditi ad regem, regis ad ſubditos, patrum ad filios, filiorum ad patres, cujuſcumque humanæ ſocietatis baſim, & vincula conſtituunt.

In relationibus partis ad partem, partis ad totum, totius ad finem ſuum, ſita eſt mundi viſibilis perfectio, & pulcritudo, quin & oratoriæ, ac poeſeos, & operis cujuſcumque elegantia, & ingenii acumine elaborati.

Nos ubique relationes videre, & ſentire conſuevimus; quare itaque paululum harum relationum naturam perpendere recuſabimus?

§. XI.

§. XI.

DISTINCTIONES PHILOSOPHICÆ.

301. DEFINITIO. *Distinctio* in diversis cognitionum nostrarum objectis dicitur aut alteritas naturæ, aut alteritas conceptibilitatis.

I. Duo *alteritatem naturæ* habent, quando unum non est aliud.

II. Idem, quodcumque sit, *alteritatem conceptibilitatis* habet, quum diversis aspectibus sese objicit, unde occasionem præbet, ut diverso modo, seu pluribus diversis ideis concipiatur; etsi simplex, atque unica ejus natura sit.

Hinc binæ in cognitionum nostrarum objectis distinctionum species; *distinctio* neinpe *realis*, quæ inter res, aut relationes habetur, quarum una non est alia; & *distinctio rationis*, quæ habetur inter ejusdem rei proprietates essentiales, quæ etsi inter se identificatæ, tamen intellectui occasionem præbent, ut diversis ideis concipiantur.

Sequentibus explicationibus nonnulla exempla definitioni huic universæ claritatem afferent.

302. EXPLICATIO. I. *Distinctio realis* est *realis naturæ alteritas*, sive realis defectus identitatis naturæ. Hæc inter duo quæcumque intercedit, quorum unum sine altero existere, aut de altero negari potest. *Distinctio realis est vera duorum alteritas, mutua duorum negabilitas.*

I. Patet primo distinctionem realem *inter substantias* haberi; puta, inter duos homines, duos leones, duo saxa, duas animas humanas, duas aquæ guttas, duas aeris, aut lucis particulas, duas sive dividuas, sive individuas ejusdem elementi materiæ partes; hæc enim considerando

vides, unum non esse aliud, unum sine altero existere, aut de altero negari posse.

II. Patet præterea distinctionem realem *inter substantiarum modificationes* haberi; puta, inter hujus marmoris figuram, & alterius marmoris figuram; inter figuram sphæricam, quam modo habet massa cerea, & figuram cubicam, quam postea huic ipsi ceræ induco; inter motum saxi hodiernum, & hesternum, sive alium corporis cujuscumque hodiernum motum; inter animæ meæ, & alius animæ cogitationem; inter voluptatis, & doloris sensationes, sive inter unam, atque alteram voluptatis in eadem anima sensationem; si enim has modificationes consideras, vides unam non esse aliam, atque unam sine altera existere, & de altera negari posse.

III. Patet adhuc distinctionem realem *inter substantiam, & ejus modificationem* haberi; puta, inter animam, & ejus cogitationem, inter ceram, & ejus figuram sive sphæricam, sive cubicam, sive conicam; inter globum bellicum, ejusque motum, atque ita porro; substantia enim de modificatione, modificatio de substantia negari potest; substantia sine modificatione existere potest, licet sine substantia modificatio nequeat existere. Quum vero duorum unum sine altero existere potest, patet primum non esse alterum, neque alterum primum.

In scholis philosophicis passim *distinctio modalis* dicitur, quæ inter substantiam, & ejus modificationem quamcumque intercedit; sive inter modificationem quamcumque & substantiam, cui ipsa inhæret (202 & 227).

IV. Patet tandem, positis fidei principiis, distinctionem realem haberi *inter tres Divinas Personas*: licet enim una sine aliis existere nequeat propter divinæ naturæ, quam constituunt, seu in qua subsistunt, unicitatem, & indivisibilitatem; fidei principiis constat, unam non

esse

esse aliam, unam de aliis negari posse: vere enim, exempli gratia, dici potest, paternitatem non esse filiationem, & vice versa; atque ita de ceteris.

303. EXPLICATIO II. *Distinctio rationis* est in una, eademque re *alteritas conceptibilitatis*. Hæc inter essentiales, & realiter indistinctas unius, ejusdemque rei proprietates habetur, quum proprietates hæ essentiales, & realiter in se indistinctæ concipiuntur seu respectu ad diversas causas, a quibus emanant, aut diversorum effectuum, quorum causa ipsæ, aut occasio sint. *Distinctio rationis est diversa unius, ejusdemque rei conceptibilitas.*

I. Exemplum. Etsi in Deo *attributum sapientiæ*, & *attributum potentiæ* realiter non sint, & intrinsece, nisi ipsa divina natura, cum qua ambo sunt identificata; mens nostra tamen duo hæc divina attributa concipit duabus diversis ideis, quarum una non est altera; atque hoc ratione diversorum effectuum sapientiæ, & potentiæ ab una, eademque in se infinite simplici divina natura emanantium, & ad quos veram, & realem hæc eadem infinite simplex divina natura relationem dicit.

Quum divinam essentiam concipis omnia infinita sapientia coordinantem, & disponentem, non tunc illam concipis ut omnia infinita potentia producentem, & moderantem; etsi semper tantum sit objective eadem divina essentia, quam in Deo diversis hisce duabus ideis concipis. En itaque in eadem, & indivisibili essentia *diversam conceptibilitatem*, quæ rationem præbet, cur in illa non realem, at idearum, & rationis distinctionem statuamus.

II. Exemplum alterum. Etsi in homine *attributum animalis*, & *attributum rationalis*, non sint realiter, & intrinsece, nisi humana natura, cum qua utrumque identificatum est; mens nostra tamen duo hæc hominis attributa di-

diversis ideis concipit, quarum una non est alia; atque hoc ratione sensationum, & ratiocinationum hominis, ad quas hæc duo attributa referuntur.

Naturam humanam concipere ut sensationum capacem non est illam concipere ut ratiocinationum capacem; etsi quod concipis semper sit objective illa eademque humana natura duabus hisce ideis concepta. En itaque in una, eademque natura, puta Aristi, *diversam conceptibilitatem*, quæ rationem præbet, cur in illa non realem quidem, at idearum, & rationis distinctionem admittamus.

III. Idem de *proprietatibus essentialibus* entium quorumcumque dici potest, quæ licet inter se identificatæ, quum nihil sint, præter naturam ipsam entis, ad quod spectant, tamen diversis ideis, aut imaginibus sæpius concipiuntur: quod in harum idearum objecto diversam conceptibilitatem, seu rationis distinctionem supponit.

QUÆSTIONIS DE PHILOSOPHICIS DISTINCTIONIBUS STATUS DILUCIDE PROPONITUR.

304. OBSERVATIO. Nulla de *distinctione reali* inter philosophos controversia est. Omnes ad unum consentiunt, hanc distinctionem inter res haberi, eamque *in natura alteritate* consistere. Consentiunt propterea, quum duo objecta realiter invicem distincta concipimus, tunc idearum nostrarum objecta esse res duas, quarum una non est altera, res duas, quarum una sine altera existere, aut saltem de altera negari potest.

At non ita res habet in hac *alia distinctione*, quæ inter unius, ejusdemque rei essentiales proprietates intercedit, quæque in hac unica re saltem *diversam conceptibilitatem* suppo-

nit

nit. Hæc in philosophicis scholis clamosissimas contentiones excitavit, & adhuc excitat, inanes illas per se quidem, at objecti universalitate magni momenti; neque eas sine periculo omnia in ideis metaphysicis perturbandi ignorare licet. In hanc igitur tantum distinctionis speciem, quæ inter unius, ejusdemque rei essentiales proprietates intercedit, modo omnes mentis nostræ vires sunt intendendæ.

Ut recte, ac dilucide *ipsum quæstionis statum* arripiamus de hac altera distinctione, hoc unico metaphysico problemate eum includimus, & proferimus: *Quodnam est præcisum, & determinatum mearum idearum objectum, quum unius, ejusdemque rei diversas essentiales proprietates concipio?*

Exempla. Quodnam est præcisum, & determinatum mearum idearum objectum, quum Deum concipio modo ut Deum, modo ut æternum, modo ut omnipotentem, modo ut justum, modo ut beneficum, modo ut sapientem? Seu quum eundem hominem, puta Aristum, concipio modo ut Aristum, modo ut hominem, modo ut rationalem, modo ut animal, modo ut substantiam, cetera? En quod tota universalitate explicare, & determinare contendimus.

Unice ut *problema* hoc *metaphysicum* resolveretur tria excogitata sunt systemata, quæ exponere, & perpendere aggredimur: horum primum a delirio, alterum a sophismate, tertium a vera philosophia originem duxisse videntur.

CAPUT PRIMUM.

DISTINCTIO SCOTISTICA, ET DISTINCTIO THOMISTICA.

305. OBSERVATIO. Ut propositum problema solveretur, sive ut explicaretur quodnam esset *objectum præcisum*, & *determinatum* diversarum idearum, quæ diversas unius, ejusdemque rei essentiales proprietates referunt, excogitatum fuit systema *distinctionis formalis* Scotistarum, & systema *distinctionis virtualis* Thomistarum (*a*).

SYSTEMA PRIMUM

DISTINCTIO FORMALIS SCOTISTARUM.

306. EXPLICATIO I. In systemate Scotistico diversa attributa essentialia, seu diversæ essentiales unius, ejusdemque rei proprietates, sunt totidem formalitates distinctæ, quarum una

(a) *ETYMOLOGIA. Scotistæ dicuntur quicumque sententias aliquas celebri Scoto acutissimo Franciscano attributas sequuntur; ita Thomistæ dicuntur Sectatores quicumque quarundam sententiarum Divo Thomæ illustri Dominicano attributarum.*

Ita generalis Scotistæ, & Thomistæ idea potest & non omnes Franciscanos, & Dominicanos complecti, & eos quoque, qui sua vivendi ratione nihil cum hisce religiosis Ordinibus commune habent.

una non est alia, & quarum collectio unicum subjectum constituit. Exempli gratia:

I. Concipe attributa entis, substantiæ, viventis, animalis, rationalis, hominis, Aristi, & sexcenta alia essentialia attributa, quæ in Aristo observare poteris (221 & 225).

Quodlibet ex his attributis forma est, seu *formalitas peculiaris*: quævis formalitas ab alia distinguitur, & de alia negari potest: quævis formalitas seorsim sumpta non est Aristus: *omnes simul hæ formalitates* sunt Aristus.

II. Pari modo concipe attributa æterni, omnipotentis, infinite sapientis, infinite justi, infinite magni, infinite sancti, attributa, quæ ens constituunt ut substantiam, ut spiritum, ut Deum, & innumera alia, quæ in Deo detegere poteris.

Quodlibet ex his attributis in systemate distinctionis formalis Scotisticæ, est *peculiaris formalitas*: quævis formalitas ab alia distinguitur, & de alia quavis negari potest: quævis formalitas seorsim sumpta non est natura divina; sed *omnes hæ formalitates simul sunt natura divina*.

III. Patet, speculationem hanc entibus quibuscumque veluti a se applicari, puta animal vegetabile, saxum, arenæ granum, aeris particula, ignis, aut lucis globus, singula non sunt nisi *peculiaris collectio diversarum formalitatum*; & natura universa sive animata, sive inanimata, sive intelligens, sive non intelligens, ipsa quoque non est nisi aggregatum diversarum hujusmodi collectionum formalitatum.

307. EXPLICATIO II. In hoc Scotistico systemate *facile est præcisum, & determinatum diversarum idearum objectum assignare, quæ unius ejusdemque rei cujuscumque diversas proprietates, sive diversa attributa repræsentent*; ut hoc enim systemate harum idearum quæli-

bet unam rei hujus formalitatem objectum habet; exempli gratia:

I. Quum Aristum concipis modo ut animal, modo ut rationalem, modo ut hominem, modo ut Aristum, tu quatuor ideas habes, quarum singulæ objectum habent unam ex his formalitatibus, quarum collectio format, & constituit subjectum, quod tu Aristum vocas.

Primæ ideæ objectum est formalitas, qua Aristus determinatur, ut sit *animal* potius, quam vegetabile. Alterius objectum est alia formalitas, qua Aristus determinatur, ut sit potius *rationalis*, quam irrationalis. Tertiæ objectum est formalitas omnino a præcedentibus distincta, qua Aristus determinatur, ut sit *homo* potius, quam Angelus, aut brutum. Quartæ objectum est alia formalitas a tribus præcedentibus omnino distincta, qua Aristus determinatur, ut sit *Aristus* potius, quam Clitander.

II. Ita quum Deum concipis modo ut infinite sapientem, modo ut infinite potentem, modo ut Deum; tu tres habes ideas, quarum quælibet objectum habet præcisum, & determinatum unam ex his formalitatibus infinite perfectis, quarum collectio format, & constituit subjectum, quod Deum dicis.

Primæ ideæ objectum est formalitas, qua Deus constituitur *sapiens*; alterius objectum est formalitas omnino a prima distincta, qua Deus constituitur *potens*; tertiæ objectum est alia formalitas omnino a præcedentibus distincta, qua Deus constituitur *Deus*.

308. NOTA I. In systemate hoc Scotistico concreta metaphysica concipiuntur, ut concreta physica: porro hoc ipsum est systematis vitium, quo plane fabulosum, planeque falsum apparet.

I. In *concretis* enim *physicis* quibuscumque forma determinans est aut modificatio actualis,

aut

aut modificatio habitualis subjecti; atque hæc modificatio a subjecto distincta est subjecto accidentalis, & veluti forma est, quæ illud determinat ut tale sit, & sine qua tale esse nequit; puta quæ illud determinat ut sit sapiens potius, quam stultum, videns potius, quam cæcum, humanum potius, quam inhumanum, urbanum, potius, quam rusticum; cetera (81 & 84).

II. At non ita res habet in *concretis metaphysicis*, quæ non sunt vera concreta, aut vera composita nisi in ideis nostris abstractivis; quæ in se non sunt nisi una indivisibilis essentia, quam quidem diversis modis intueri mente possumus; at quæ quocumque modo inspiciatur, satis est, ut sit ipsa, ut perseveranter sit id omne, quod in ea deprehenditur essentiale, & quod rationem præbet, ut concipiatur tamquam concretum metaphysicum.

309. NOTA II. Si expositi systematis propugnatores audias:

I. *Vera distinctio* inter formalitatem, & aliam intercedit; una enim de alia negari potest.

II. Non tamen inter duas formalitates est *distinctio realis*; hæc enim, inquiunt, non datur nisi inter subjectum, & subjectum, sive inter subjectum, & formam ab hoc subjecto separabilem.

III. At inter duas has formalitates distinctio datur, quam *formalem* appellant, appellatione a duobus formis, sive formalitatibus, inter quas datur, deducta.

HUJUS SYSTEMATIS VITIA.

310. OBSERVATIO. *Systema* hoc *Scotisticum* inter omnia, quæ excogitata fuerunt, sane singulare, nulla prorsus, ut patet, ratione fulcitur, neque illud tueri possunt nisi qui commenta pro natura, deliria pro ratione habent.

Inter innumera philoſophica argumenta, quibus conteritur, duo tantum indicabimus, alterum a ratione, alterum ab auctoritate deſumptum.

311. REFUTATIO I. *Syſtema hoc evidenter rationi oppoſitum videtur*; hæ ſiquidem formalitates, quarum collectio efficit concretum metaphyſicum quodcumque, puta animam, vel ſunt ſubſtantiæ, vel modificationes (201 & 202): at neutrum admitti poteſt.

I. *Si hæ diverſæ formalitates ſunt ſubſtantiæ*, ſequitur, ſubſtantiam unicam, puta animam, componi innumeris ſubſtantiis diſtinctis, quarum una ſine aliis ſubſiſtere nequit; at hoc *idea ſubſtantiæ* videtur repugnare, quæ dicit ens aptum a ſe, & per ſe exiſtere, cujus natura ipſum ſolum exigit ut ſubjectum exiſtentiæ ſuæ (201).

Anima eſt indiviſibiliter ens, ſubſtantia, ſpiritus; cetera. At ſi ſupponas, formalitatem, a qua ipſa conſtituitur ſubſtantia, ſubſtantiam eſſe; formalitatem, a qua ipſa conſtituitur ſpiritus, eſſe aliam ſubſtantiam; quare prima ſubſtantia ſine altera, & hæc ſine prima exiſtere non poterit? quare anima ſpiritus eſſe nequibit, quin ſit ſubſtantia; eſſe ſubſtantia, quin ſit ens?

II. *Si diverſæ hæ formalitates ſunt modificationes*, ut in Scotiſtarum placitis eſſe videntur; quum harum diverſarum formalitatum collectio ſubſtantiam conſtituat (puta Ariſtum, qui cum collectione formalitatum illum conſtituentium identificatus eſt), ſequetur, ſubſtantiam conſtitui ſubſtantiam infinito rerum numero, quæ ſubſtantia non ſunt, & quarum natura ſubſtantiæ qualitatem eſſentialiter excludit.

Porro idem, ut mihi videtur, hoc eſſet, ac ſi diceres, extenſionem conſtitui *extenſionem* infinitis extenſionis privationibus, ſeu negationibus; intelligentiam conſtitui *intelligentiam* infinitis intelligentiæ negationibus, ſeu privationi-

ni-

nibus: hominem constituit *videntem* innumeris cæcitatibus; *sanum*, & *existentem* collectione negationum, seu privationum sanitatis, & existentiæ.

312. REFUTATIO II. *Systema hoc naturæ divinæ applicatum cum fide conciliari non posse videtur*. Nimis enim consentire videtur erroneis opinionibus Gilberti Porræi, quas ad annum 1148 *magnum Rhemense Concilium* mille ferme, & centum Patribus constans damnavit, atque proscripsit.

I. Gilbertus Porræus (ut ea tantum, quæ ad rem hanc faciunt, expendamus) *formalitates distinctas* in natura divina admittebat iis, quas in illa Scotistæ admittunt, valde similes (306). Asserebat, exempli gratia, in Deo divinitatem non esse Deum, sed tantum formam, seu formalitatem, quæ illum constituit Deum; ut in homine, ait ipse, humanitas non est homo, sed tantum forma, seu formalitas, quæ illum constituit hominem. „ Quod natura di- „ vina, quæ divinitas dicitur, Deus non sit; „ sed *forma*, qua Deus est: quemadmodum hu- „ manitas homo non est, sed *forma*, qua est „ homo ".

II. Hanc ipsam Gilberti Porræi sententiam, has ipsas *formalitates distinctas*, *& reales* inter Deum, & ejus attributa, inter attributum absolutum, & aliud attributum absolutum damnat, atque proscribit magnum Rhemense Concilium, cui Ecclesia universa plausit, & adhæsit; ut colligere est a symbolo fidei, quem tunc Concilium illud composuit, quemque hic nos totum subiicimus.

„ Credimus, & confitemur, *simplicem natu-* „ *ram Divinitatis esse Deum*; nec aliquo sensu „ catholico posse negari, quin Divinitas sit „ Deus, & Deus Divinitas. Sicubi vero dici- „ tur, Dominum sapientia sapientem, magni- „ tudine magnum, divinitate Deum esse, &

„ alia hujusmodi; credimus non nisi ea sapien„ tia, quæ est ipse Deus, sapientem esse; non „ nisi ea magnitudine, quæ est ipse Deus, ma„ gnum esse; non nisi ea æternitate, quæ est „ ipse Deus, æternum esse; non nisi ea unita„ te unum, quæ est ipse: idest se ipso sapien„ tem, magnum, æternum, unum, Deum.

„ Quum de *tribus personis* loquimur, Patre, „ Filio, & Spiritu Sancto, ipsas unum Deum, „ unam divinam substantiam esse fatemur; & „ e converso, quum de uno Deo, una divina „ substantia loquimur; ipsum unum Deum, „ unam divinam substantiam esse tres Personas „ confitemur. Credimus, & confitemur, solum „ Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum San„ ctum æternum esse; nec *aliquas omnino res*, „ sive relationes, sive proprietates, sive singu„ laritates, vel unitates dicantur, vel alia hu„ jusmodi, adesse Deo, quæ sint ab æterno, „ & non sint Deus “.

III. Hic animadverti potest, solemnem hanc magni Rhemensis Concilii decisionem ad amussim cohærere doctrinæ magni Hypponensis Episcopi cadente jam sæculo quarto. En sancti Doctoris verba libro primo de Trinitate, capite decimo. „ Deus ea magnitudine magnus est, „ qua est ipse eadem magnitudo: hoc est enim „ Deum esse, quod magnum esse: quia ipse sua „ est magnitudo. Hoc de bonitate, & de æter„ nitate, & de omnipotentia dictum sit, om„ nibusque omnino prædicamentis, quæ de Deo „ possunt pronunciari “.

AL-

ALTERUM SYSTEMA:

DISTINCTIO VIRTUALIS INTRINSECA THOMISTARUM.

313. EXPLICATIO. Ut idem problema metaphysicum, de quo supra, solvatur (304), sive ut explicetur quodnam sit *objectum præcisum, & determinatum* diversarum idearum, quæ unius, ejusdemque rei diversas essentiales proprietates referunt, excogitatum fuit systema *distinctionis virtualis intrinsecæ* Thomistarum: en quomodo in hoc systemate res concipiantur.

I. Certum est, ajunt Thomistæ, *unam, eandemque rem quamcumque ratione diversarum essentialium proprietatum pluribus rebus intrinsece æquivalere, quarum qualibet unam tantum harum essentialium proprietatum haberet.* Exempli gratia:

Homo quilibet est simul capax sentiendi, ratiocinandi, per se existendi. Tribus igitur rebus intrinsece æquivalet, quarum prima tantum esset sentiendi capax; & esset tantum *animal*; altera tantum esset ratiocinandi capax, & esset tantum *rationalis*; tertia tantum esset per se existendi capax, & esset tantum *substantia.*

Ita vegetabile quodcumque est simul *corpus organicum*, & *substantia materialis*; ergo intrinsece æquivalet duabus rebus, quarum prima haberet partes solidas, & vitalem structuram; altera partes solidas, non vero vitalem structuram, qua carens supponi potest.

II. Certum est, addunt Thomistæ, *eandem quamcumque rem ratione suæ intrinsecæ æquivalentiæ pluribus rebus inter se distinctis esse veluti intrinsece a se distinctam in suis intrinsecis æquivalentiis.*

Ita

Ita etsi vera, & realis distinctio non habeatur inter essentiales hujus rei proprietates, in his tamen habetur *aliquid*, quo proprietatibus intrinsece inter se distinctis æquivalet; aliquid, quod id præstat, quod proprietates intrinsece inter se distinctæ præstare possent; quodque propterea *distinctioni virtuali intrinsecæ* inter has essentiales proprietates æquivalet.

III. Ratione intrinsecæ hujus æquivalentiæ unius, ejusdemque rei rebus pluribus distinctis; sive ratione distinctionis hujus virtualis intrinsecæ, qua una, eademque res est æquivalenter, & intrinsece veluti multiplex, pergunt Thomistæ, *res hæc unica intrinsece cognosci poterit in una ex suis æquivalentiis, puta, ut substantia, quin intrinsece cognoscatur in alia æquivalentia, puta, ut materia*; etsi æquivalentiæ hæ duæ, nempe substantiæ, & materiæ proprietas non sint intrinsece, nisi res ea ipsa, si hæc est quid materiale.

Res hæc unica, inferunt, intrinsece capax erit ratione distinctionis virtualis intrinsecæ, seu intrinsecæ æquivalentiæ pluribus rebus distinctis *sustinendi attributa contradictoria extrinseca*, cujusmodi essent: cognosci, & non cognosci, amari, & non amari, videri, & non videri; cetera.

IV. Juxta hanc Thomisticam speculationem, quam nos uni exemplo accommodabimus, tu cuicumque, quod huic suffeceris, pro voluntate accommodare poteris; idea, quæ hominem sub *qualitate animalis*, seu principii sensitivi refert, objectum habet præcisum, & determinatum hominem ipsum in quantum æquivalet principio, quod tantum sensationes haberet; idea vero hominem repræsentans sub *qualitate rationalis*, seu principii ratiocinantis, objectum quoque præcisum, & determinatum habet hominem ipsum, sive naturam, quæ hominem constituit, quatenus principio æquivalet, quod tantum

tum ratiocinii capax esset; ita tamen, ut prima idea non id referat, quod altera: etsi ambæ *hominem ipsum* referant, seu naturam, quæ hominem constituit.

HUJUS SYSTEMATIS VITIA.

314. REFUTATIO. Præcipuum, & minime admittendum Thomistici hujus systematis vitium est hæc ipsa *distinctio virtualis, & intrinseca*, quam semper, & ubique supponit in una, eademque natura; quodque præpostere excogitatum fuit, ut una, eademque natura cognoscatur simul, & non cognoscatur, ac propterea cognoscibilis sit, & non cognoscibilis, ut intrinsece in se ipsa est: quod sane patentem dicit contradictionem.

Inter sexcenta ratiocinia, quibus hoc systema proteri potest, unum casu oblatum arripio, illudque exemplo in scholis trito accommodans Thomistam urgeo. Ac primum ponamus, Thomistam dum silvam pertransit, objectum se inter vepreta movens procul vidisse; tum vero certo noscentem vivens, & animatum illud esse, nondum detexisse sit ne homo, an bellua; tandem hominem esse, non belluam deprehendisse. Hoc posito sic Thomistam alloquor.

Quum *animal* tantum in objecto, quod in vepreto movebatur, dignoveras, quin nondum quidquam dignosceres, aut affirmare posses de *rationali*, quod tibi non nisi paulo post patuit, noveras certe tuæ cognitionis terminum, aut objectum, nempe animal. Atqui tuæ cognitionis terminus, nempe animal, est realiter idem, ac rationale; in tuis enim principiis ipsis animal cum rationali est realiter identificatum; ergo dum primo animal tantum cognoscebas, jam id, quod cum rationali identificatum erat, cognoscebas.

At vero quod cum rationali realiter identifica-

ca-

catum est, re ipsa est rationale; ergo quum primum animal tantum cognoscebas nihil de rationali adhuc cognoscens, jam rationale cognoscebas; quod evidenter contradictorium videtur.

CAPUT II.

DISTINCTIO RATIONIS.

315. OBSERVATIO. UT idem problema metaphysicum solvant, sive ut explicent quodnam sit *objectum praecisum*, & *determinatum* diversarum idearum diversas unius, ejusdemque rei proprietates referentium, omnes ferme philosophi systema *distinctionis rationis* admittunt. Hoc id tantum supponit, quod evidens videtur, mentem nostram scilicet intrinsecam rerum naturam in se non videre, neque aliquo pacto naturam hanc cognoscere, nisi paullatim eam divinando ope idearum sejunctarum, quae illi successive ejus proprietates, & sensibiles qualitates detegunt, a quibus in quavis rerum specie indicatur (112 & 213). Exemplum.

316. EXPLICATIO I. Quomodo ad cognoscendam in me pervenio *naturam humanam meam*? Undenam scio naturam humanam meam intrinsece constitui *principio sensitivo*, & *principio animadvertente*, quae appello *animal rationale*? Quid duplex hoc principium ego cognoscens in me cognosco? & qua ratione eo devenio, ut judicem, hoc principium esse unicum?

I. Animadverto primo, me sensationes habere; & quum intelligam in me sensationes has existere nequaquam posse sine principio, quod efficiat, aut sine subjecto, quod eas recipiat, atque sustineat; infero in me principium, seu subjectum existere, quod immediate in se non vi-

video, & quod voco *Ens sensitivum*, propterea quia illud est in me principium, sive subjectum sensationum.

Hoc principium, sive subjectum adhuc mihi est *ens vagum*; & ideæ meæ objectum est, non jam ens sensitivum ut in me existit, at ens sensitivum in genere, & ut æque in me, ac in leone existere potest.

II. Animadverto deinde, me animadversiones, judicia, ratiocinia efformare: & quum cognoscam, hæc in me existere nequire sine principio, quod illa efficiat, aut sine subjecto, quod illa recipiat, atque sustineat; infero, in me existere principium, sive subjectum, quod immediate in se non video, & quod voco *Ens animadvertens*.

Hoc principium, seu subjectum adhuc mihi est *ens vagum*; & ideæ meæ objectum est, non jam ens animadvertens ut in me existit, at ens animadvertens in genere, & ut existere posset in ente omnino sensationibus destituto.

III. Animadverto tandem, fieri posse, ut principium sensitivum, & principium animadvertens sint in me unum, idemque principium: ac sine hac unitate, ac identitate principii stare non posse totius harmoniam, perfectamque, & constantem inter omnes ejus partes concordiam.

Posita hac *utilitatis*, *&* *actionis Identitate*, quam in me deprehendo inter principium sensitivum, & principium animadvertens; infero, utrumque principium esse unam, eamdemque rem, ad quam indivisibiliter & ratiocinia, & sensationes spectant. Hinc in me idea *principii unici*, quod nuncupo animal rationale.

317. EXPLICATIO II. Pari modo quomodo eo devenio, ut in hac visibili rerum universitate dignoscam *Naturam infinite intelligentem*, *&* *infinite potentem*? & quid hanc Naturam cognoscens cognosco?

I. Ani-

I. Animadverto primo in hac universitate visibili ordinem rerum, atque harmoniam, quæ in principio; quodcumque illud sit, quod eas regit, ac moderatur, indicat ideas infinite copiosas, atque fœcundas, cognitiones infinite extensas, ac rectas, intelligentiam infinitam; & quum plane videam, hæc omnia sine aliquo, quod eorum sit subjectum, atque principium, existere non posse; infero in natura existere principium adhuc imperfecte cognitum, in quo sit, aut a quo emanet hæc *intelligentia infinita*.

Hoc principium adhuc in idea mea non est nisi *principium vagum*: in ipso infinitam intelligentiam video, quin ipsum in se videam: & hoc primæ hujus ideæ est objectum præcisum.

II. Animadverto deinde in hac eadem visibili universitate motum, & actionem ostendentes in principio, a quo movetur, & animatur, activitatem infinitam; & quum intelligam, hujusmodi activitatem existere non posse sine aliquo, quod ejus & subjectum, & principium sit; infero in natura principium existere adhuc imperfecte cognitum, in quo sit, aut a quo emanet hæc *activitas infinita*.

Adhuc in idea mea hoc est *principium vagum*: infinitum quidem apparet; at tantum activitate; atque hoc hujus alterius ideæ est objectum præcisum.

III. Animadverto tandem id, quod hactenus percepi tamquam duo principia vaga, fieri posse, ut sit unum, idemque principium, quod simul esset & infinitæ intelligentiæ, & infinitæ activitatis principium. Et quum videam in omnibus intelligentiam activitati, activitatem intelligentiæ concordare; infero, principium infinite intelligens, & principium infinite activum non esse nisi unum, idemque principium, quod se ut unicum cognoscendum præbet actionis suæ harmonia, & unitate.

Hinc in me idea *principii unici*, cui totum tri-

tribuo quidquid intelligentiæ, ac potentiæ infinitæ exerit natura visibilis.

IDEÆ PRÆCISIVÆ IN DISTINCTIONE RATIONIS.

318. OBSERVATIO. *Distinctio rationis* omnino ideis præcisivis innititur, sive abstractione metaphysica, cujus alibi ideam prodromam exhibuimus (35 & 40).

Idea præcisiva est, quæ rei essentialem proprietatem attingit, & repræsentat, quin ceteras ejusdem rei proprietates attingat, & repræsentet.

Hujusmodi est idea, quæ *naturam divinam* repræsentat respectu effectuum sapientiæ, quin eam repræsentet respectu effectuum potentiæ, aut justitiæ, aut beneficentiæ; sive idea, quæ repræsentat *naturam humanam* respectu suarum sensationum, quin eam repræsentet respectu suarum ratiocinationum; sive idea, quæ *naturam leonis* repræsentat respectu effectuum, qui illam cum ceteris brutis confundunt, quin illam repræsentet respectu effectuum, qui tantum suæ speciei conveniunt; sive idea, quæ *substantiam solidam, & extensam* repræsentat ut corpus generatim, ut vegetabile generatim, ut fructiferam arborem generatim, quin illam ut malum Assyriam, aut cerasum repræsentet; cetera.

319. NOTA I. Valde hallucinaretur qui crederet, idearum præcisivarum, abstractionum, & distinctionum metaphysicarum usum in scholis philosophicis tantum invalescere, ibique tantum utilitati esse posse.

I. Certum est experientia teste *idearum præcisivarum* usum, ac proinde & abstractionum, & philosophicarum distinctionum minus, quam quod credatur, esse hominibus inusitatum; quin veluti omni humano generi a natura inditum affirmari potest.

Nul-

Nullo philosophiæ studio homines etiam tenui ingenio, nec eruditi, at solo rationis instinctu ducti, optime norunt unum, idemque objectum eo aspectu intueri, qui illis magis faveat; omnino ab aliis aspectibus abstrahentes, qui eos aut nihil, aut minus juvant. Exempli causa: optime eumdem hominem considerare norunt ut patrem, quin illum ut civem respiciant; etsi civis, & pater in illo unum, idemque sint. Ita optime norunt saccharum, puta, respicere ut objectum mercimonii, quin illud respiciant ut productionem salinam regni vegetabilis; etsi in saccharo objectum mercimonii, & productio salina unum, idemque sint.

II. Certum est experientia teste, idearum præcisivarum, abstractionum, & distinctionum metaphysicarum usum re ipsa utilem esse in observationibus omnibus, ac meditationibus aliquantum arduis de earum rerum natura, quam nostra interest apte dignoscere.

Quemadmodum oculus visibile objectum apte, & perfecte repræsentare nequit, nisi illud diversis aspectibus intueatur, singulos seorsim intuens: ita mens nostra *objectum intelligibile* apte, & perfecte percipere nequit, quod diversis proprietatibus præditum sit, quin illud per singulas has proprietates, diversosque ejus aspectus seorsim contempletur.

Sive philosophi simus, sive non, naturæ instinctu, ac ratione docemur, si totas potentiæ intellectivæ vires in unam, eandemque proprietatem, seu aspectum objecti cognoscendi intenderimus, aptius nos, atque perfectius hanc solitariam proprietatem, sive hunc objecti aspectum percepturos. Hinc in nobis, imo in hominibus omnibus idearum præcisivarum, abstractionum, & distinctionum metaphysicarum usus, & habitus.

320. NOTA II. Quoniam *systema distinctionis rationis* nihil esse nobis videtur præter viam ipsam,

ſam, qua natura progreditur in iis omnibus arduis, atque abſtruſis cognitionibus, quas nobis impertitur; opportunum, imo neceſſarium arbitramur illud omni claritate, qua fieri poſſit, accuratius pertractare, atque explicare.

Propterea duplici peculiari exemplo hoc præſtabimus: quæ dicturi ſumus facile ad alia referes; cuicumque enim alii objecto idem ratiocinium adhiberi poſſe facile intelliges.

DISTINCTIO RATIONIS IN HOMINIS ATTRIBUTIS.

321. EXPLICATIO. Notavimus jam, nos *intrinſecam rerum naturam* in ſe ipſa minime videre (112 *&* 213). Quare intimam hanc rerum naturam non niſi per ſenſibiles effectus ab illa emanantes intueri poſſumus; nec niſi ex cognitis effectibus ad abditæ, & ignotæ cauſæ cognitionem mens noſtra progreditur.

I. Hac poſita generali obſervatione, fingo me inſtante nocte denſum nemus ingreſſum, quod regia via dividit, a qua me plurimum tædet diverti ſſe. Ibi inter ceſpites aliquanto procul ignotum objectum detego, hominem, an belluam ignoro, quod citato greſſu me petit.

Hoc motu progreſſivo judico id, quod accedit, *qualitatem animalis* habere: at nondum hanc qualitatem ut eſt, & in ſe exiſtit, percipio, rationalis ne ſit, an irrationalis. Hactenus ideæ meæ præciſum objectum eſt *animal in natura ſua vagum, & indeterminatum*, quod æque rationali, ac irrationali conjungi poteſt.

II. Paulo poſt ferociter inclamari audio: *aut nummos, aut vitam*. Inviſa hac voce mens mea illuſtratur: ipſa ideam ſuam determinat. Noſco modo, illud animal prius in idea vagum, & indeterminatum eſſe animal rationis particeps, qua abutitur.

In idearum præciſivarum ſyſtemate prima idea, quæ

quæ ſub qualitate animalis objectum primo perceptum repræſentat, objectum habet, non animal ut in ſe eſt, animal nempe cum rationali identificatum; at animal vagum, & indeterminatum, cognitum, atque perceptum in ſtatu abſtractionis, qui neque includit, neque excludit rationale.

Altera idea in me exorta occaſione ſigni cum ratione connexi objectum habet, non rationale ut in ſe eſt, cum animali nempe identificatum; ſed *rationale vagum*, & *indeterminatum*, cognitum, atque perceptum in ſtatu abſtractionis, qui animal neque includit, neque excludit; neque enim repugnat, Deum ponere ens ratiocinandi capax, non vero ſentiendi.

III. Etſi in hoc abſtractionis ſtatu primæ ideæ objectum alterius objectum non ſit, & vice verſa; percipio tamen duo hæc objecta in uno, eodemque ſubjecto exiſtere, in eo nempe, quod aut nummos, aut vitam amittendam edixit.

Itaque a præviis obſervationibus, aut a præſentibus animadverſionibus colligo, & dignoſco primæ meæ ideæ objectum, ſive animal, & alterius ideæ objectum, ſive rationale non eſſe, niſi unum, idemque ſubjectum, ſive principium, quod voco animal rationale (316).

322. NOTA. Patet eaſdem *ideas præciſivas* haberi poſſe attributorum eſſentialium alius cujuſvis objecti; puta columbæ, quam primum cognoſcere poſſum ut animal volatile generatim, deinde ut tale animal volatile, ſeu columbam; ceraſi, quam primum ut arborem generatim cognoſcere poſſum, deinde ut talem arborem, ſeu ceraſum; ſalaris, quem primum ut piſcem generatim, poſtea ut talem piſcem, ſalarim nempe, cognoſcere poſſum; numiſmatis, aut aureæ pyxidis, quæ primum ut ſubſtantiam metallicam generatim, deinde ut talem ſubſtantiam cognoſcere poſſum; cetera (38 & 40).

Hoc *diſtinctionis rationis* ſyſtema neque ridicu-

culam primi compositionem habet, ut vides, neque præposteram alterius contradictionem. In ipso simplici, & fœcundo naturæ, & philosophiæ concordia prorsus elucet.

DISTINCTIO RATIONIS IN DIVINIS ATTRIBUTIS.

323. EXPLICATIO. Eædem *ideæ præcisivæ*, sive abstractiones metaphysicæ æque habentur in divinis attributis; puta in sapientia, & beneficientia Dei, quæ in illo sunt ipsa unica divina natura.

I. Mens mea mirum illum ordinem contemplans, qui in visibili natura est, elevatur ad cognitionem principii *infinita sapientia* præditi, quod totam universi machinam dirigit, ac moderatur.

Percipiens benefacta plurima, quæ manus semper dives, atque munifica naturæ visibili impertitur, mens mea ad cognitionem attollitur principii *infinite benefici*, a quo primitus quidquid boni nobis natura visibilis largitur, emanavit.

Harum duarum idearum primæ objectum est tantum principium infinite sapiens, quodcumque sit; alterius principium tantum infinite beneficum, quodcumque sit. Illa infinitam beneficentiam, hæc infinitam sapientiam non repræsentat; utraque enim illud tantum objectum repræsentare potest, quod exprimit, atque designat; ut tabula illud objectum tantum referre potest, cujus in illa lineamenta descripta sunt.

II. Licet in hoc abstractionis statu primæ ideæ objectum non sit objectum alterius, aut vice versa; tamen concipio fieri posse, ut duo illa objecta, infinita nempe sapientia, & infinita beneficentia in eodem subjecto sint; sive ut una, eademque natura simul sit & infinite sapiens, & infinite benefica. Idem dicas de infinita potentia, justitia, ceterisque divinis attributis.

Qua-

Quare perpendens axioma, *entia sine necessitate non multiplicanda*, concipiam, & judicabo, quum fieri possit, ut hæc diversa attributa, infinita nempe sapientia, beneficentia, justitia, potentia, cetera, non sint in se nisi unum, & idem, me illa non ut diversas res illas accipere debere.

III. Hinc colliges, qua ratione mens diversos effectus, seu diversa visibilis naturæ phœnomena contemplans, sibi *Causam simplicem*, *& unicam* repræsentet ideis, quæ primo illam dividere, ac multiplicare videntur; & qua ratione eo deveniat ope ratiocinii, ut ex his multiplicibus idearum objectis, ac per illas divisis unicum, & simplex objectum tandem efficiat (317).

324. NOTA. Aliquid simile, aliquid diversum habent systema hoc, & Thomisticum.

I. Similitudo in eo sita est, quod utrumque systema ponit, essentialia cujusque rei attributa non esse re ipsa, nisi unam, eandemque rem; puta in homine animal, & rationale, seu principium sentiendi, & principium animadvertendi, non esse nisi eandem indivisibilem naturam, nempe *naturam humanam* consideratam respectu suorum diversorum effectuum, seu suarum diversarum proprietatum.

II. Diversitas in eo est, quod systema Thomisticum vult, quum essentialis rei proprietas cognoscitur, semper hanc proprietatem, ut in re existit, cognosci; at vero alterum systema vult, quum essentialis rei proprietas cognoscitur, non semper eam ut in re existit cognosci, at unice ut existit in idea præcisiva.

§. XII.

§. XII.

UNIVERSALE SCIENTIFICUM.

325. DEFINITIO. Tres diversas *universalium* species admittunt philosophi; nempe universale in genere causæ, universale in genere signi, universale in genere naturæ.

I. *Universale in genere causæ* est causa unica plures effectus producens. Hujusmodi est Deus, exempli gratia, a quo entia omnia & esse, & agere habent; anima quoque, quæ & nonnullas suas ideas, & sua diversa judicia, & omnes suas liberas determinationes efficit.

II. *Universale in genere signi* est signum unicum plures rerum species, aut plura harum specierum individua exprimens. Hujusmodi esset aut Sinensis, aut Æthiopis in genere tabula figuram exhibens, quæ in nobis excitaret, aut in mentem revocaret genericam Sinensium, & Æthiopum ideam. Hujusmodi sunt voces hæ aut ore prolatæ, aut in charta scriptæ: *animal*, *homo*: hæ animalia omnia, & omnes homines generatim exprimunt.

III. *Universale in genere naturæ* est natura propria, & communis sive pluribus speciebus, sive pluribus individuis, sive ut in scholis philosophicis ajunt: *Universale est unum aptum inesse multis, & identificari cum multis, & prædicari de multis.*

Genus, & *species* duo sunt postremæ hujus classis universalia; nunc vero explicandum est, qua ratione genus & species hanc habeant universalitatem; quod quamprimum præstabimus (330 & 336).

326. NOTA. De primis duobus universalibus inter philosophos nulla quæstio. Sentiunt om-

nes, & *causas unicas* esse, quæ plures sive similes, sive diversos effectus pariant, & *signa unica* esse, quæ plura sive similia, sive diversa exprimant.

Universa igitur quæstio est, qua ratione, quove sensu *natura unica*, (ut natura humana, seu leonis, trianguli, carasi, cetera) identice convenire possit pluribus individuis, quorum unum non sit aliud. Hoc postremum universale, nempe in genere naturæ, *universale scientificum* vocatur, quod scientiis viam sternat, earum objecta reddens generica.

At qua ratione existit, aut fit universale hoc in genere natura? Hoc est metaphysicum problema solvendum.

DUPLEX HAC DE RE SENTENTIA.

327. Ideas nostras genericas reddere nos natura ipsa consuevimus, atque naturas unicas pluribus speciebus, aut individuis convenientes percipere.

Exempla. Nos *naturam substantiam* concipimus, quæ generatim omnibus quę sunt, aut esse possunt, substantiis congruit; *naturam modificationem* omnibus, quæ sunt, aut esse possunt, modificationibus generatim congruentem; *naturam triangulum* cuicumque triangulo generatim convenientem; *naturam hominem*, quam generatim Aristo, Clitandro, Sylviæ, individuo cuicumque humanæ speciei attribuimus. Non ergo vana, & futilis est universalium theoria; a natura enim emanat, & scientiis viam sternit.

At enimvero quid sunt *naturæ istæ unicæ, & universales?* Rebus ne insunt, aut non nisi in mente nostra sunt? Hinc sententiæ duæ, quas proponere aggredimur.

328. SENTENTIA I. Ad hoc problema solvendum nonnulli Scotistæ philosophi sequioribus

sæ-

sæculis *universalia a parte rei* confinxerunt; suppofuerunt nempe, pro quavis entium specie haberi *naturam unicam communem* omnibus individuis.

In hac sententia non nisi unica humana natura habetur, unica leonis, quercus, cerasi, auri, trianguli natura; cetera: atque hæc unica natura est identice omnibus cujusque speciei individuis incorporata. Exempla.

I. Aristus, & Clitander homines sunt, propterea quia uterque cum hac *unica universali natura*, quam humanam vocant, est incorporatus. Aristus, & Clitander duo homines sunt, non ideo, quia in duobus hisce individuis duæ humanæ naturæ sint; at ideò, quia huic unicæ, & communi naturæ applicatæ sunt nonnullæ *formalitates individuales*, ut, inter ceteras, *Clitandreitas*, & *Aristeitas*, quæ efficiunt, ut hæc unica natura plurium individuorum propria fiat (306).

II. Ita Bucephalus, & Ronsinantes identice unicæ naturæ communi incorporati sunt, quæ universam equorum speciem constituit: & Bucephalus, & Ronsinantes ideo tantum duo hujus speciei individua sunt, quia unica eorum communis natura veluti duplex fit *individualibus formalitatibus* illis additis, atque applicatis, ut illa hic sit Bucephalus, illic Ronsinantes; & sic de ceteris.

329. NOTA. Celebris Baylæus, qui non præpostere de rebus sentiebat, quum furiis incredulitatis, & mania in religionem non agebatur, nullum re ipsa discrimen deprehendebat inter naturas unicas, & universales Scotistarum, & substantiam unicam, & universalem Spinosæ, de qua alibi (808 & 815).

Enimvero utrimque habes *naturam unicam*, quæ in diversas species, seu diversa individua transformatur, diversis formalitatibus, aut modificationibus illi intrinsece additis, & applica-

tis, quæ illam diversam reddunt, quin ejus unitatem destruant. Spinosa id tantum præstitit, ut Scotisticam sententiam magis extenderet eam rerum universalitati accommodans, & Atheismi veneno eam inficiens.

Porro, si absurdum aliquod alio magis philosophicum esse potest, hac ratione Spinosæ systema Scotistico præstare videtur. Si enim una *unica natura saxum*, puta, esse potest saxa omnia, quæ esse possint; quare una *unica natura substantia* non omnes, quæ esse possint, substantias esse poterit?

Et si una eadem, & unica *natura communis* esse potest omnia possibilia; quare in rerum universitate plures naturas communes cum Scotistis admittamus, puta, *naturam communem hominem*, naturam communem leonem?

330. SENTENTIA II. Magis excultæ ætatis philosophi nullas alias in suarum cognitionum objectis *naturas universales* admiserunt, quam quas mens humana ideis præcisivis efformat. (35 & 318).

I. Exemplum. Quum ideam habeo hominis generatim, quin huic ideæ ullum humanæ speciei individuum applicem, abstractam hominis ideam habeo; *objectum hujus ideæ abstractæ*, est universale per intellectum.

Patet, hoc *objectum hominem* ita abstractum, & ab omnibus individualibus proprietatibus segregatum, esse objectum unicum in idea mea abstracta, quam terminat; & objectum hoc unicum existere posse, imo re ipsa existere in omnibus humanæ speciei individuis, in quibus id omne est, quod in idea mea est, seu id omne, quod idea mea mihi repræsentat (35 & 36).

II. Pari modo quum mihi leonis ideam effingo, sive mali assyriæ, quin hanc ideam alicui individuo applicem, abstractam leonis, seu mali assyriæ ideam habeo; hujus *ideæ abstractæ objectum* alterum est universale per intellectum.

Leo

Leo hic, malus hæc assyria est objectum unicum, quod abstractam ideam meam terminat; porro hoc objectum unicum in singulis suæ speciei individuis id omne est, quod in idea mea abstracta est.

III. Hinc vides, qua ratione *naturas universales* in genere omni effingere mens nostra possit. Cujusvis ideæ abstractæ, aut præcisivæ objectum est natura quædam universalis; natura scilicet unica ratione constitutivorum distinctivorum, quæque extra abstractionis statum existit innumeris individuis identificata, quorum unum non est aliud.

331. ASSERTIO I. *Non datur universale in genere natura, quod ab intellectu non dependeat: universale a parte rei plane, ac manifeste est absurdum.*

DEMONSTRATIO. I. Ut re ipsa haberetur *universale a parte rei*, necessario requireretur natura, quæ eodem tempore, eodemque sensu esset unica, & non unica, pluribus communis, & non communis; quod sane patenter est omnino *ἀδύνατον*, contradictorium, absurdum.

II. Etsi veram, quantum fieri potest, Scotistarum sententiam mente fingeremus *de naturis communibus*, non propterea haberetur universale a parte rei. Etsi enim supponamus, quantum supponi potest, unicam existere, exempli gratia, naturam humanam, cui singuli homines singillatim participent, perspicuum est, naturam hanc esse debere aut unicam, aut non unicam in omnibus individuis. Si in omnibus individuis unica est, jam una est, & non multiplex; non ergo est *universale*. Si in omnibus individuis non est unica, jam multiplex est, & non una; neque nunc ergo est *universale*.

Ergo *universale a parte rei* omnino chimæricum est, & absurdum. Q. E. D.

332. NOTA I. Quod inter cetera videtur ortum dedisse systemati *naturarum communium*,

 sunt

funt falſæ inductiones ab *individuorum* ejuſdem ſpeciei *ſimilitudine* deductæ.

Viderunt Scotiſtæ humanam Ariſti naturam, & humanam Clitandri naturam, exempli gratia, ſimiles eſſe; atque hinc cenſuerunt, alteram ab altera minime diſtinctam eſſe. Dixerunt enim: humana Ariſti natura humanæ Clitandri naturæ ſimilis eſt; ergo non duæ naturæ ſunt, ſed una, eademque natura utrique communis.

Peſſima ratiocinatio, peſſima conſequentia. Ex antecedente infertur non naturæ identitas, at naturæ non identitas inter Ariſtum, & Clitandrum. Si enim eorum naturæ ſimiles ſunt, profecto una non ſit altera oportet; quævis enim ſimilitudo unam, & aliam rem in idea ſua eſſentialiter includit; ac proinde rerum diſtinctionem, ſeu non identitatem.

Patet, rem aliquam ſibi ſimilem eſſe nequire; & quum dicis, aliquid alii ſimile eſſe, te neceſſario unam, & alteram rem dicere, adeoque rerum alteritatem, ſeu diſtinctionem.

333. NOTA II. Quod etiam *naturarum communium* ſyſtemati occaſionem dediſſe videtur, ſunt falſæ inductiones a Trinitatis myſterio deductæ.

I. Trinitatis myſterium nihil exhibet ullo pacto ſimile univerſali a parte rei. *Natura* enim *divina* eſt quid unicum in genere naturæ. *Tres divinæ perſonæ* conſideratæ ut divinam naturam conſtituentes, ipſæ quoque ſingulæ ſunt quid unicum in genere perſonæ. Quare in his omnibus nihil eſt, quod univerſale conſtituat, ſeu ſit in eodem genere unum, & multiplex.

II. Videtur tamen ex ipſa Trinitatis idea ſequioribus ſæculis abſurdum hoc emerſiſſe *naturarum unicarum*, & *univerſalium* ſyſtema. In Deo, dixerunt, Scotiſtæ, unica eſt natura divina, atque hæc unica natura a tribus diſtinctis perſonis participatur; ergo pari ratione natura humana, exempli gratia, eſſe debet unica, cui plu-

plura distincta individua participent. Pari quoque ratione, natura leonis, formicæ, cerasi, cetera, totidem erunt naturæ unicæ, cui individua speciei cujusque participabunt.

At dum præposterum hoc systema confingebatur, qui fieri potuit, ut non dignosceretur, nullam haberi similitudinem inter naturam divinam, & ceterarum rerum naturam? omnia in Deo *naturæ unitatem ostendere*, quum in ceteris omnia plane ostendant *naturæ alteritatem*? & hoc esse fide abuti, & rationem evertere: velle nempe mentis omnis creatæ vires excedenti, ineffabilique mysterio absurditatem, & contradictionem superstruere?

In Deo, docente fide, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non sunt nisi unus, & idem Deus, eadem divina substantia: quare, ut systema Scotisticum staret, Adam, & Cæsar, Caligula, & Nero non nisi unus, & idem homo esse deberent, atque una, eademque humana substantia.

334. NOTA III. Alia quoque causa, quæ *naturarum communium* systemati ortum dedisse videtur, sunt falsæ inductiones ab originali peccato, & a divini Verbi incarnationis mysterio deductæ.

I. Scholastici nonnulli sequioribus sæculis ut ea, quæ ad magna hæc duo Christianæ fidei mysteria spectant, explicarent, sibi naturam humanam effinxerunt ut *unicam*, *eamdemque substantiam* ab Adamo vitiatam, & a Jesu Christo reparatam. Hinc ansa data extruendæ naturæ unicæ, & universali in humana specie, & ratione analogiæ in speciebus omnibus ceteris.

II. At enim vero, ut humana natura ab Adamo vitiaretur, & a Jesu Christo repararetur, necesse ne erat, eam in omnibus hominibus unam esse, eandemque naturam? Nequaquam sane.

Ens infinite liberum, & infinite independens decrevit initio temporum, primi parentis peccatum, qui primus universum humanum genus re-

præsentabat, imputatum, & attributum iri individuis omnibus, quæ ab ipso nascerentur: en *peccati originalis mysterium*.

Idem ens infinite liberum, & infinite independens decrevit quoque initio temporum, merita expiatoria, & satisfactoria Dei hominis facti omnibus Adami nepotibus imputatum, & attributum iri: en redemptionis mysterium.

Quid quæso hic habes, unde aut philosophice, aut theologice naturam communem in humana specie possis inferre?

335. NOTA IV. Quidam voluerunt, Platonem in Deo admisisse numerum quemdam, seu supellectilem *Idearum substantialium*, quas ipse ut totidem naturas diversis entium speciebus communes respiciebat, sive ut totidem *naturas communes*, quæ individuorum cujusvis speciei propriæ fierent communicatione, applicatione, participatione; ita ut, ex Platonis sententia, omnia, exempli gratia, *individua homines* essent ideæ divinæ participatio humanam naturam referentis, & constituentis; omnia *individua leones* essent alterius ideæ divinæ participatio leonis naturam referentis, & constituentis.

At vero certum ne est hæc absurda, quæ illi adscribuntur, Platonem commentum esse? Non sane hæc prima esset ignorantiæ, & futilis literaturæ impostura, qua magnis viris injuria illata fuerit, ut suis ineptiis, atque deliriis nomen aliquod compararent. At vero his omissis.

I. Certum videtur primo, ideas divinas esse *ideas substantiales*; quid enim illæ sunt, nisi Dei ipsius substantia, sive divina essentia necessario omnium intelligibilium repræsentativa?

II. Certum præterea est, divinas ideas esse *ideas prototypas*, quæ sunt regula primitiva, & increata, qua Deus dirigitur in entium productione; neque enim Deus essentialiter sapiens quid creat, aut producit, nisi quod prius indefectibili, & infinita sua scientia cognovit.

III.

III. Certum tandem est, ideas divinas nec esse, nec ullo pacto esse posse *objectum creatum*, quod repræsentant: ideæ enim hæ nil sunt nisi Deus, Deus, inquam, ipse res repræsentans; neque sane Deus rem repræsentans est ipsa res repræsentata magis, quam mens mea, sive mentis meæ idea est aut mens, aut fluvius mihi proximus, quem mihi repræsentat.

336. ASSERTIO II. *Universale scientificum in mente nostra producitur ab ideis præcisivis, quæ generica reddunt objecta singularia, ea repræsentantes ideis communibus ea confundentibus.*

EXPLICATIO. Certum est, mentem nostram concipere *naturas communes*, atque ita sibi ad scientias viam sternere. At vero quanam ratione naturæ peculiares invicem singulæ distinctæ in mente nostra genericæ, & communes fiunt? Hoc fit *ideis præcisivis*, quæ sive plures species, sive plura individua eo modo repræsentant, quo invicem confunduntur, & fiunt veluti *natura unica*, ut pluribus locis jam explicavimus. (35, 318, & 330).

I. Exempla. Si scientifice *natura humana* proprietates noscere volo, non eam in singulis hominibus perscrutari pergam, quod infinitum, & ἀδύνατον esset; sed idea præcisiva mihi naturam humanam abstracte repræsentabo, quin ulli peculiari individuo eam applicem; atque ad hoc ideæ meæ præcisivæ objectum animadvertens, hanc nempe humanam naturam ita generatim sumptam, judicabo, naturam hanc humanam, quam contemplor, non desituram esse veram humanam naturam, si existat in Aristo, in Clitandro, & in alio quovis individuo. Hinc inferam, *proprietates quas in hac natura ita generatim sumpta noto, ac detego, existere in quovis humanæ speciei individuo*, quandoquidem quodvis individuum una est humana natura, sive id, cujus ideam actu habeo, & contemplor.

II. Pari modo, si scientifice *trianguli naturam*

noſcere contendo, mihi triangulum generatim repræſento; atque ita in triangulo ita generatim ſumpto proprietates detego cuivis triangulo, quod haberi poſſit, communes, atque eſſentiales; quæcumque ſuorum laterum, & angulorum magnitudo ſit, ſive materia, qua conſtruatur, ſi quando extra ideam meam extiterit. Hinc infero, *proprietates, quas in triangulo ita generatim ſumpto detego, cuivis, quod haberi poſſit, triangulo convenire*. Quodlibet enim ſingulare triangulum id eſt, cujus ideam habeo, & in quo has, & has proprietates actu deprehendo.

III. Idem dices de quavis alia objectorum ſpecie, quæ *idea præciſiva* generica effecerint iis individuales proprietates adimendo; puta ceraſi generatim ſumptæ, mali Aſſyriæ, leonis, circuli, ellipſis generatim ſumptorum; cetera. Atque hoc pacto *univerſale ſcientificum ab ideis præciſivis oritur*, quæ ſive omnes unius generis ſpecies, ſive omnia unius ſpeciei individua ita repræſentant, ut illa ſimul confundant, & ex iis in mente faciant veluti naturam unicam. Quare ita rerum natura *unica* fit, quin extra mentem multiplex eſſe deſinat, extra quam unum individuum evidenter non eſt aliud.

Atque hæc ſane rationis theoria evidenter eſt in iis, quæ ad idearum univerſalium objecta ſpectant; quæ profecto theoria plane oſtendit quam naturæ communes, & univerſalia a parte rei abſurda, & inepta ſint.

337. NOTA I. *Diſtinctiones metaphyſicæ* ſimplex, & unicum objectum aliquo pacto multiplicant, illud diverſis modis referentes, quibus multiplex fieri videtur.

Univerſalia, contra, ex pluribus invicem diſtinctis unum, atque unicum facere videntur, quum plura inter ſe diſtincta conceptu omnibus communi repræſentent, quo invicem confunduntur, & veluti in unum totum colliguntur.

338. NO-

338. NOTA II. Distinctionum metaphysicarum usus omnibus hominibus veluti natura insitus est (319); idem porro de universalium usu dicendum. Novimus, *scientias omnes, & plerasque artes liberales objecta sua generatim sumere.* Exempla.

Geometra objectum suum generatim sumit, quum circulum, aut triangulum contemplans demonstrationes profert cuivis circulo, aut triangulo, quod haberi possit, congruentes.

Orator sacer objectum suum generatim sumit, quum sacra eloquentia aut in vitium generatim invehitur, aut in aliquam peculiarem vitii speciem, ut in avaritiam, aut simulationem, quæ vitia semper generatim impugnantur,

Poeta epicus objectum suum generatim sumit, quum præclaram virtutis, & constantiæ imaginem exhibet, in qua virtus ipsa, veluti persona, pingitur omnibus iis imperfectionibus libera, ac vitiis, quæ nimium sæpius illam passim deturpant.

Poeta comicus objectum suum generatim sumit, quum avarum quemcumque referens, exempli gratia, ut illum spectatoribus deridendum exhibeat, illi appingit quidquid ridiculi avaritia præbet.

Pictor objectum suum generatim sumit, quum sive Herculem, sive Venerem pingens, in primo quidquid robur indicat, in altera quidquid gratiam refert, exprimere nititur.

Physicus objectum suum generice sumit, quum notat, atque scrutatur, non peculiares corporis alicujus, sed corporum generatim proprietates, sive diversarum corporum specierum, quas successive perpendere statuit. Idem de ceteris dicas.

§. XIII.

PRINCIPIUM INDIVIDUATIONIS IN REBUS.

339. DEFINITIO. *Individuum* est natura unica, quæ solitaria, & in se circumscripta totum quid in rerum universitate solitarium efficit, quarum ipsa unitas est; quæque sive simplex sit, sive composita, ipsa est id totum, quod suum esse constituit, quin ejus quidpiam alia res sit, & quin alia res quæpiam ipsa sit.

Hujusmodi in humana specie Aristus est; in equorum specie Bucephalus; hujusmodi generatim est hic homo, hic leo, hæc ceraſus, hoc saxum, hoc arenæ granum, hæc aquæ gutta, hæc aeris particula; cetera.

Quæri potest de individuis ejusdem speciei, qua ratione *essentiæ communi* participent; qua ratione, & cur *similem naturam* perseveranter habeant; qua ratione invicem distinguantur, seu quodnam sit *principium formale*, quo fit, ut unum non sit aliud.

Hinc tres sequentes quæstiones exortæ, quarum singulæ peculiarem responsionem, & explicationem merentur.

340. QUÆSTIO I. *Quo sensu ejusdem cujusque speciei individua essentiæ communi participant? quidve sunt hæ diversarum specierum communes essentiæ?*

EXPLICATIO. Omnes philosophi, omnes naturæ studiosi semper tenuerunt, quasdam in rebus *essentias communes* dari, quæcumque earum natura sit, quæ eas veluti in diversas classes partiantur, quæque id præstant, ut una sive classis, sive species rerum non sit alia, cuique omnia ejusdem speciei individua participant. At vero quid sunt hæ essentiæ communes?

I. Si

I. Si Scotistas audias, essentiæ hæ sunt quædam *naturæ communes*, quarum quælibet peculiarem speciem constituit, & essentiam communem efficit speciei totius, quam constituit. Exempli gratia, datur *natura humana*, quæ in omnibus hominibus eadem identice est, quæque omnium hominum generatim, & peculiariter essentiam facit; quæque in se unica, & indivisibilis fit natura Aristi, Clitandri, Sylviæ, per has, vel illas *formalitates individuales* quas rerum nexu in se recipit, quibusque intrinsece constituitur natura Aristi, natura Clitandri, natura Sylviæ, quin quidpiam suæ indivisibilitatis, & unicitatis amittat.

Facile vides quam a vera philosophandi ratione abhorreat ista sententia. (306 & 310).

II. Philosophi ferme omnes, ac naturæ studiosi sentiunt, essentias has cuique speciei communes, esse tantum *constitutionem* quamdam *intrinsecam principiorum*, quæ natura, seu potius naturæ Auctor constanter, & perseveranter eidem rerum speciei applicat: non secus ac quodvis ejusdem speciei individuum, puta quilibet homo, leo, cerasus, malus assyria, quum primum esse cœpit, ex eadem veluti materia confectum, eadem forma, ac figura elaboratum, & constitutum fuisset.

Sententia hæc & ideæ, quas rerum habemus, & ideæ, quam rerum Auctoris, & conservatoris habemus, optime consentire videtur.

341. NOTA. Quidquid de altera hac sententia sit, quam aliquanto fusius illustrabimus quæstione sequente, certum est, *in rerum universitate nec naturas communes, nec essentias communes haberi.*

Quidquid existit est ens unicum, natura unica, essentia unica: quodlibet individuum est ens solitarium, cujus essentia in ipso circumscripta est, nec ulli alii communicabilis. Essentia, aut natura Aristi, exempli gratia, non ma-

magis est essentia, aut natura Clitandri, quam sit essentia, seu natura leonis, lacerti, rapi, saxi.

Sume in natura individua duo quam magis possis similia, puta duos Menechmos in humana specie, numismata duo aurea eodem cuneo cusa, duas aquæ guttas ejusdem formæ, ac voluminis. Si vel paululum ista consideres, aperte intelliges nihil inter binas has res præter quamdam similitudinem commune haberi; unam non esse alteram; una enim sine altera optime existere potest.

342. QUÆSTIO II. *Quare ejusdem speciei individua, quum singula naturam propriam habeant, quæ nulla ratione aliena natura est, constanter natura similia sunt?*

EXPLICATIO. Experientia docemur, in perpetua entium reproductione species perseveranter easdem conservari. Hodierni homines, exempli gratia, & cameli, iidem omnino sunt natura, nempe intrinsecis constitutivis, vitalibus organis, interna, & externa figura, physicis qualitatibus, & proprietatibus, qui temporibus Darii, Alexandri, Abrahami, Nembroti fuerunt, nihilque iis additum est, aut ademptum. Qui vero, quibusque philosophicis principiis reddatur ratio *permanentis* hujus *similitudinis* in ejusdem speciei individuis?

I. Certum est, nihil a se factum fuisse, nihil casu, aut fortuito: intelligentiam, eamque infinitam rebus formandis præfuisse: *primaque* cujusque speciei, quæ exstiterunt, *individua* primitivam existentiam habuisse ab infinite sapiente, infiniteque activo principio, quod naturæ Auctorem esse dicimus, quicumque modo iste sit.

II. Certum est, hunc naturæ Auctorem, qui se in omnibus infinite sapientem præbet, nihil temere, aut inconsulto agere; ipsumque primitivam rebus existentiam impertientem, non

eas

eas creasse, nisi *ad ideas quasdam rerum exemplares*, quae in infinitae, & immutabilis essentiae suae veluti gazophylacio aeternum extiterunt, quaeque nec sunt, nec esse possunt, nisi haec eadem infinita, & immutabilis essentia, quatenus est omnium intelligibilium essentialiter repraesentativa.

Exemplum. Primum hominem, primam mulierem, primum cervum, primamque cervam, primam malum Assyriam, seu primum ejus germen, primam rosam, aut primum ejus germen non condidit, nisi ad *exemplar originale*, quod inamissibile in se omnium harum specierum habet.

III. Quum supponamus, *Deum immediate ipsum creare*, *aut producere quarumdam specierum individua*, cujusmodi sunt animae hominum, puta, & leonum, facile intelligemus qua ratione, & cur omnia haec ejusdem speciei individua invicem similia sint; exempli gratia, quare omnes hominum animae similem naturam habeant, omnes quoque leonum animae aliam similem naturam habeant; supponuntur enim creatae, aut productae, aliae quidem ad ideam exemplarem, quae primae humanae animae creationem primitus direxit, aliae ad ideam quoque exemplarem, quae primi leonis animae creationem primitus direxit. Idem dicas de ceteris.

Nulla igitur in horum individuorum similitudine, quae immediata Dei actione existunt, difficultas. Anima pueri modo nascentis animae Adami similis est, propterea quia ambae ad idem *originale exemplar* creatae fuerunt. Pulli aquilae anima nunc ex ovo erumpentis illi aquilae similis est', quae prima ab initio fuit; idem enim originale exemplar, eadem exemplaris idea, quae in primae aquilinae animae creatione naturae Auctorem direxit, etiam in modo nati pulli anima creanda ipsum direxit.

IV. Quum supponamus, *Deum non immediate*

te ipsum creare, aut producere quarumdam specierum individua, cujusmodi sunt corpora animalium, & vegetabilium, horumque individuorum productionem fieri actione quadam generali, & permanente a rerum Auctore materiali naturæ primitus impressa; æque facile intelligemus, qua ratione, & cur omnia ejusdem speciei individua similem constanter, & perseveranter naturam habeant. Si enim materialis natura ratione *legum physicarum* ab infinita creatoris sapientia, & potentia libere conditarum nonnulla corpora, eorumque organa effingit; certum est, hæc eam non effingere, nec organis instruere, nisi ad quasdam *formas specificas*, quas naturæ Auctor ad ideas rerum exemplares primitus produxit in quavis rerum materialium, & pereuntium specie, ut eas permanentes servaret; quæcumque tandem harum formarum specificarum natura, artificium, machina intima sit, quæ cujusvis speciei propriæ sunt, & nulli alii inserviunt.

Exempla. Quercus datum formarum specificarum numerum continet, quæ figura, structura, magnitudine diversæ sunt. In his regni vegetabilis elementares substantiæ infinitis modis elaborantur ad leges physicas, novas formas assumunt, novas componunt materiæ collectiones, novos cumulos; atque hac ratione aliæ quercus truncum constituunt, aliæ corticem, aliæ folia, aliæ flores, omnes demum germina fiunt apta quercum aliam producere. Hujusmodi vero sunt formæ hæ, ut quercus structuram producere aptæ sint, non mali assyriæ; eo ferme pacto, quo forma, qua imperatoris numisma cuditur, non apta est aut simii, aut leonis effigiem reddere.

Pari modo cervo inest datus formarum specificarum numerus, in quibus animalis regni elementares substantiæ variis modis elaborantur, quibus aliæ fiant cervi ossa, aliæ medul-

la

la, aliæ fibræ, aut musculi, omnes germina ad cervum iterum producendum; atque hujusmodi sunt formæ istæ, ut ab illis oriri debeant cervi organa, non apri, aut columbæ; cervi enim, non apri, aut columbæ organis sunt analogæ.

V. Quocumque modo *germen* animalem, aut vegetabilem substantiam *iterum producens* formetur, certum est, germen hoc a diversis typis, cribris, formis ab universa denique organica structura, ad quam attinet, elaboratum fuisse, cujus verosimile est illud non nisi quid redundans, & refluens esse. Ad hujus igitur substantiæ non ad alius formam veluti cusum esse debet; huic ergo, non alii simile esse debet; ergo majoris hujus, a qua gignitur, substantiæ veluti compendium esse debet.

At quare, quave ratione germen hoc se subinde evolvens sive in suæ speciei individui visceribus, ut in omnibus viviparis speciebus contingit, sive in substantia illi speciei suæ analoga, cujusmodi omnium ovipararum specierum ovum est, tum & fructus, seu germen omnium specierum vegetabilium, quare, inquam, quave ratione germen hoc dum explicatur, aliam naturam assumeret ab ea, quam adhuc exiguum habebat, quæque ad incrementum capiendum est instituta?

Quamobrem omnino naturæ consonum est, germen hoc fieri suæ, non alius speciei individuum; & jam evolutum, individuo suæ speciei, non alius, simile esse.

343. NOTA I. *Monstra*, sive individua quædam, quæ aliquando oriuntur, & quorum natura dissimilis est ab ea speciei unde orta sunt sive in regno animali, sive in vegetabili, nihil omnino officiunt huic maxime philosophicæ formarum specificarum hypothesi, quam hactenus explicavimus. Fieri enim potest,

Aut formas specificas vitiari, & immutari

in

in subjecto aliquo causis quibusque sive internis, sive externis; easque ita vitiatas, atque mutatas germina aut excessu, aut defectu vitiata elaborare, & componere.

Aut formas has specificas nihil immutatas in se, admittere substantias earum naturæ extraneas, easque prius pro alia specie elaboratas, atque formatas, quæ aliquatenus tantum simul colligantur, & similes fiunt substantiis pro ipsarum specie propria elaboratis.

Aut tandem, nulla adhuc in formis mutatione supposita, neque ulla heterogenearum substantiarum commixtione, germen ipsum causa aliqua sive interna, sive externa vitiari, atque aliqua partium suarum portione explicari, quin aliis partibus, quibus componitur apte explicari, & evolvi possit.

Forma ad Cæsaris numisma aureum cudendum sculpta non amplius hoc proferet, ut par est, si interna formæ sculptura deleatur; aut si in hanc integram conijciatur mixtura auri, terræ, silicum, materiæ demum cujuscumque simul cohærere prorsus ineptæ.

344. NOTA II. *Imbecilles* humanæ speciei, productiones imperfectæ videntur, si quo ad materiam tantum ipsa consideretur: in his organa aliqua aut non apte formata fuerunt, aut vitiata, aut destructa.

Homines bicipites, videntur conjunctio informis duorum germinum, quorum alterum partim destructum analogæ alterius parti se inseruit.

Non jam amplius per hos dies minotauros credimus, sive centauros, aut monstra humano capite in piscem desinentia, sive manibus caninis, aut belluinis: obsoletis his fabulis in veteri errore pertinax plebecula tantum jam fidem adhibet.

Altero physicæ nostræ volumine fusius egimus de nova, & successiva tum animalium,

tum

tum vegetabilium productione; quare de his modo nihil ultra addemus.

345. QUÆSTIO III. *Quodnam est principium formale, quo fit, ut duo similis naturæ individua inter se distinguantur, sive ut unum non sit alterum?*

EXPLICATIO. Duo individua natura similia sunt naturæ duæ ex eadem veluti materiæ massa compositæ, eadem forma conflatæ, & ad idem originale exemplar constructæ. Hac ratione bini homines, bini leones, bina mala Assyria, bini aurei nummi Ludovici sunt bina individua similia. Patet, unam ex his naturis alteram non esse; altera enim sine altera omnino existere potest, neque unius interitus interitum alterius trahit.

I. Similitudo, sive *duorum individuorum assimilatio* in ea proprietate sita est, quam utrumque habet, ut eodem modo oculo intuenti sese offerat, sive ut eandem perceptionem excitet in sensu quocumque, quem utrumque afficit; sive ut utrumque sub eadem idea menti illa consideranti sese exhibeat.

Hæc similitudo est *quid reale*; est enim utriusque individui natura ipsa, quatenus easdem sive ideas, sive perceptiones excitare apta est. Ipsa extrinsecum scientiarum fundamentum est: modum enim menti præbet ideas suas reddendi genericas, ac propterea uno veluti intuitu universam rerum quarumdam congeriem, seu speciem comprehendendi. Hinc illam vocant *speciem* rerum *fundamentalem*.

II. Certum est in sensibilibus rebus aut non haberi, aut vix ulla haberi individua omnino plane inter se similia. In horto, aut vireto cape poma bina, binos flores, bina insecta, bina arenæ grana, bina herbæ folia quam potes simillima. Semper in his etsi magno studio delectis aliquid deprehendes, quo unum ab altero differet, & quo alterum ab altero distingues.

At

At facta hypothesi, duas esse naturas, in quibus nil prorsus dissimile sit, non propterea individua duo, & quidem omnino inter se distincta esse desinent; at quare? unice propterea quia hæc duæ naturæ sunt, quarum una non est altera, & alterutra sine altera existere potest.

Ut Aristus, & Clitander sint individua duo, quid requiritur? Hinc Aristi corpus, & anima, illinc Clitandri corpus, & anima.

Pari modo, ut angeli duo, sive naturæ angelicæ duæ sint individua duo, quid requiritur? Hinc natura una, illinc altera. Hoc ipso enim, quod duas naturas concipio, quarum una non sit altera; quæcumque inter eas similitudo, vel diversitas supponatur, intelligo, unam non esse alteram. Ergo *principium formale*, *quod naturam individuum esse facit*, *est hæc ipsa natura*, & nihil præterea.

346. NOTA. *Principium individuationis*, seu principium, quod naturam intrinsece determinat, ut sit individuum, dividitur in *principium formale*, & in *principium manifestativum*.

I. *Principium formale* individuationis illud est, quod naturam facit esse individuum, seu ens solitarium. Atqui quod naturam facit esse individuum, est hæc ipsa natura, & nihil præterea.

II. *Principium manifestativum* individuationis est, quod facere potest, ut unum individuum ab altero secernatur, exempli gratia, Aristum a Clitandro, aureum horologium ab alio horologio aureo, quercum a malo, malum unam ab alia: cetera.

Signa manifestativa, quæ efficiunt, ut unum individuum ab altero secernatur, nihil aliud sunt, nisi quædam peculiares notæ sensibiles, quarum collectio illi soli convenit. Hæ sunt peculiaris substantiæ species, qua componitur, & con-

& constituitur, figura, qua apparet, locus, ubi est, tempus, quo est, nomen, quo vocatur, rerum species, a' qua originem ducit, patria, aut tellus, in qua ortum est. Profecto fieri nequire videtur, ut signa hæc distinctiva omnia duobus individuis ad amussim congruant.

En tibi signa hæc distinctiva duobus philosophicis versibus inclusa; in his, puto, poeticam harmoniam, & artis ornamenta non requires.

Forma, figura, locus, corpus, cum nomine sanguis,
Patria; sunt septem, quæ non habet unus, & alter.

PERSONA: HUJUS VOCIS SIGNIFICATIO.

347. DEFINITIO. *Persona* in speciebus intelligentibus dicitur individuum in se limitatum, & circumscriptum: natura alteri excellentiori naturæ non conjuncta, cui ejus activæ, & passivæ modificationes tribui debeant, aut possint.

I. In Aristo, exempli gratia, est *persona humana*: natura enim humana Aristi, quæ seipsa circumscripta est, neque excellentiori naturæ conjuncta, quæ illam perficiat, & moderetur, ipsa sola actionibus suis sibi laudem, aut vituperationem meretur, & terminus præcipuus est, cui omnes ejus actiones tribui, & referri debent.

Quum Aristum video ludentem, dolentem, orantem, dico: *Aristus ludit*, *Aristus dolet*, *Aristus orat*; in Aristo enim non nisi Aristum ipsum video, cui has sive activas, sive passivas modificationes, quas in ipso detego, tribuere possim; quod etiam alibi explicabimus (618).

II. In Homine Deo non est *persona humana*; natura enim humana Hominis Dei hypostatice divinæ naturæ unita, non amplius in se ipsa limita-

ta,

ta, & circumscripta est, nec jam a quavis perfectiori natura, a qua perfici possit, sejuncta est; non est causa unica meriti suarum modificationum activarum, & passivarum, suarum actionum, suorum dolorum, quæ omnia præcipuam, quam habent, excellentiam desumunt a *divina persona*, a qua divinitatis notam, & dignitatem accipiunt.

Hac ratione quum de homine Deo loquimur, recte dicimus: *Deus natus est*, *Deus passus est*, *Deus mortuus est*, *Deus resurrexit*; licet actiones, & passiones hæ Totius Theandrici in sola humana natura recipiantur, quæ sola & nasci, & pati, & mori, & resurgere potest.

In homine Deo hæ humanæ naturæ actiones, & passiones ipsi humanæ naturæ non tribuuntur, propterea quia in illo præter naturam humanam alia perfectior natura est, nempe divina, qua passiones hæ, & actiones humanæ naturæ perficiuntur, illique propterea tribui possunt, & debent.

348. NOTA. Ante incarnationis mysterium in homine natura, & persona una eademque res habebantur, nec ullo pacto distinguebantur, quum nulla adesset ratio nota quare altera ab altera distingueretur. Peracto incarnationis mysterio nos docuit fides, in Homine Deo *binas esse naturas*, *personam unam*, nempe divinam; Verbum divinum quum se naturæ humanæ uniret, naturam humanam assumpsisse, non personam. Hinc facile inferes, *in homine naturam, & personam non esse unam, eamdemque rem*; una enim sine altera existere potest.

Positis hisce principiis a fide traditis, & admissis, christiani philosophi, & theologi noscere studuerunt, in quo *formaliter* consisteret in homine qualitas *personæ*, quæ ab humana natura auferri potest, quum illi re ipsa ablata sit in homine Deo, in quo natura humana sine ulla persona humana est. Hac de re sententiæ duæ.

I. Sen-

I. Sentiunt alii in homine qualitatem personę consistere in *modificatione positiva naturæ humanæ accidentali*; & Verbum divinum se uniens humanæ naturæ id omne assumpsisse, quod hanc naturam constituit, præter hanc illi accidentalem modificationem. Ita in Homine Deo natura humana est sine humana persona.

In hac sententia persona humana in aliquo positivo, & accidentali consistit, quum realis, & positiva modificatio sit.

In Deo tres personæ aliquid positivum, & essentiale necessario sunt; in Deo enim nihil est accidentale, & negativum.

II. Sentiunt alii in homine qualitatem personæ consistere *in simplici unionis defectu cum perfectiori natura*; & Verbum divinum se uniens omnibus humanæ naturæ constitutivis, huic naturæ excellentiorem essendi modum tribuisse, quo ab ea tollitur qualitas hæc personæ, quam sine hac unione habuisset; ita quoque in Homine Deo natura humana est sine humana persona.

In hac sententia persona humana in aliquo negativo, & accidentali consistit, quum sit simplex *negatio unionis* perfectiori naturæ, quæ negatio in natura humana haberi, & non haberi potest.

§. XIV.

SPATIUM INFINITUM, RERUM LOCUS.

349. OBSERVATIO. I*deam spatii* in mente habemus; at vero quodnam hujus ideæ est præcisum, & determinatum objectum? Est ne unice, & tantum materia extensa, an aliquid aliud? En quod duobus superioribus sæculis inter præclaris-

rissima ingenia celeberrimas disceptationes excitavit, atque his doctissimas, & acutissimas de spatii natura speculationes, quibus quidquid de hoc objecto mens humana noscere, aut cognitionis sperare potest, in apertam lucem prolatum fuit.

I. Gassendus veterem Democriti, & Epicuri de spatio, & vacuo sententiam excitaverat: ipse spatium a materia in spatio sita distinxerat, & infinitum vacuum, seu *spatium purum* omni ex parte infinite extensum ultra omnia, quæ habentur corpora, admiserat.

II. Cartesius in spatium purum Epicuri, & Gassendi insurrexit; ab universa natura Vacuum suprema veluti potestate proscripsit: ipsum tamquam chimæricum, & contradictorium suggillavit: edixit, universum *plenum* esse, idque, quod vulgo spatium, dicitur, materiam extensam tantum esse: ita, ut ibi spatium desinat ubi materia desinit. Quare, si Cartesium audias, materia, & spatium unum, & idem sunt.

At enimvero materiæ hæc immensitas, quæ ipsa suum spatium est, in qua ne vacuolum quidem est, ubi Creator ipse minimam novam atomum locare posset, quæque in totidem vortices divisa est, quot habentur stellæ sive visibiles, sive invisibiles, limites ne habet, an non? finita ne est, an infinita? Hoc Cartesius decernere refugit, & ait dumtaxat, indefinitam esse.

III. Nevvtonus *Plenum Cartesii* procul amandavit; & firmissimis physicis observationibus, atque acutissimis geometricis meditationibus instructus ostendit, non solum omnia in natura non esse plena, verum vacuum, & hoc ferme perfectum dari in universa cælorum immensitate: quin ultra mundos, qui sunt, ingenio evectus, in materialis mundi finibus, sive ultra hos *spatium* statuit *re ipsa esse*, & *hoc infinitum*,

tum, in quo Deus omnia videt, discernit, & perfectissime comprehendit.

IV. Illustris Leibnitius, qui fœcundissimo ingenio, ac maxime singulari in sententias ducebatur novas omnino, & a ceteris dissentientes, quique mundum non nisi juxta sublimissimum illud, at fabulosum monadum suarum systema contemplabatur (1216), asseruit:

Neque vacuum, neque plenum vere dari in rerum universitate; ideasque pleni, & vacui non esse, nisi nostros videndi modos.

Nos *Plenum* appellare monadum congeriem, quas se invicem quavis in parte contingentes concipimus; *Vacuum* vero, monadum absentiam inter monadas quasdam, quas veluti sejunctas concipimus; etsi re ipsa monades neque remotæ, neque propinquæ sint.

Spatium nihil esse, nisi ordinem Coexistentium; exempli gratia, congeriem monadum, quæ solem efficit; eam quæ syrium, eam quæ cynosuram componit, ceterasque, esse quidem congeries diversas, at eas neque invicem propinquas, neque remotas esse; spatium vero, quod inter has diversas congeries concipimus, in se nihil esse, nisi forte sit ordo, quo congeries has coexistentes mens nostra concipit, inter quas neque intervallum, neque spatium ullum est, præter illud, quod ibi esse suis diversis perceptionibus mens nostra confingit.

Quare universam Neutoni de vacuo, & de corporum attractione in vacuo theoriam inanem esse, atque corruere cum chimærico, cui innititur, fundamento.

350. NOTA. Neutonus, & Leibnitius viri erant sane miro ingenio, maximique sui temporis geometræ, ac philosophi. Præclaræ hæ dotes eos æmulos effecerunt.

I. Leibnitius *Calculum differentialem* in Germania creaverat; & ab annis pluribus ea laude fruebatur, quam sibi præclaro hoc invento com-

paraverat. Neutonus eumdem ferme calculum differentialem in Britannia creaverat; at methodum suam non nisi multo post tempore, quam Leibnitius suam ediderat, publici juris fecit.

Quum in lucem venit Neutoniana methodus specie, & titulo a Leibnitiana aliquantum diversa, Neutoni fautores ipsi unice inventi hujus laudem tribuendam esse contenderunt, propterea quia, aiebant, ante Leibnitium Neutonus istam methodum excogitaverat, potueratque Leibnitius Neutonianam methodum cognovisse quum in Britannia fuisset antequam suam de calculo differentiali methodum in lucem ederet.

Hinc inter Neutonum, & Leibnitium adeo gravis simultas exorta, ut hunc nulla in re cum illo sentire sineret. Hinc omnes ingenii conatus a Leibnitio eo conversi, ut vacuum profligaret, quod Neutonus admiserat, & cui totum ferme ejus physicum systema innitebatur.

II. Neutonus temporis avarus, & contentiones perosus, Leibnitio dignum, qui cum illo colluctaret, adversarium objecit, celebrem nempe Clarkium, virum inter metaphysicos vere summum. Nos sane dicere non dubitabimus, contentionem inter Leibnitium, & Clarkium nihil omnino neque argumento, neque ingenii acumine celebri illi Achillis cum Agamemnone in Iphigenia cedere; quum miro ordine descripta sit, & in ea magno apparatu rationum, ac summa ingenii vi objectio proposita, a brevi, ac solida responsione vi majori proteratur, & novis rationibus suffulta quum iterum in arenam producitur, tandem Clarkii virtute cadat omnino, & evanescat.

Clarkius se dignum Neutono magistro, & amico ostendit: Leibnitium vicit causæ veritate suffultus, quam ut magnum philosophum decet, egit ipse, ac tutatus est.

Non propterea Leibnitius victus magnum nomen habere desiit. Causa, qua cecidit, patet sa-

ne,

ne quam omni ex parte infirma ſit, & quam fruſtra in illa tuenda tantas ingenii vires contenderit.

SPATIUM PURUM.

351. DEFINITIO. *Spatium* dicitur corpora continendi capacitas, ſive extenſio apta corpus continere. In phialæ ventre ſpatium eſt: ibi enim capacitas eſt corpora continendi, ſi phiala plena ſit: apta eſt ipſa corpus continere, ſi vacua ſit. Spatium aliud eſt penetrabile, aliud impenetrabile.

I. *Spatium penetrabile* eſt ſpatium vacuum, ſeu capacitas apta corpus continere; & in qua nullum corpus eſt, nec ſolidum, nec liquidum, ſeu fluidum.

II. *Spatium impenetrabile* eſt ſpatium plenum, ſeu capacitas corporibus plena; quæ quum impenetrabilia ſint, locum ſuum ab aliis occupari non ſinunt.

Hinc intelliges, ſpatium partim plenum, partim vacuum fore partim penetrabile, partim impenetrabile: penetrabile quidem in parte vacua, impenetrabile in plena.

352. ASSERTIO I. *Spatium non eſt materia extenſa; neque materia extenſa ſpatium eſt.*

EXPLICATIO. Evidens eſt, quod ſine materia extenſa eſſe poteſt, & ab omni materia extenſa ſeparari, non eſſe materiam extenſam, ab illaque diſtingui. Atqui hujuſmodi ſpatium eſt. Hoc demonſtro primum abſolute, nullaque facta hypotheſi: deinde duabus poſitis hypotheſibus, quæ omnibus veris rerum principiis ad amuſſim congruunt.

DEMONSTRATIO I. Magnus globus detur intus cavus, vitreus, aut æneus, cujus venter pedem cubicum aquæ capiat; in eo foramen ſit, quod pro voluntate obturamento vitreo, aut æneo aperiri, at claudi poſſit. Globi hujus ven-

trem successive impleo aqua, vino, arena, pulvere nicotianæ, plumbo venatorio; cetera. His positis ita pergo.

I. In globi hujus capacitate *spatium est pedi cubico æquale*: hoc vero spatium non est nec aqua, nec vinum, nec plumbum, nec reliqua, quæ successive infundo, & verso: existit enim spatium hoc priusquam hæc corpora receperit, & existit adhuc postquam hæc corpora remota sunt. Ergo spatium non est ullum ex corporibus, quæ in illo pono, & aufero; ergo ab his omnibus spatium distinctum est.

II. Has speculationes genericas efficiendo, iisdem rationibus judico, hoc cubici pedis spatium nullum esse corporum quorumcumque, quæ admittere potest, & quæ ab illo auferri possunt: unde infero, hoc cubici pedis spatium globo hoc seu vitreo, sive æneo contentum nullum corpus esse, & ab omni materia esse distinctum.

III. Hæc eadem accommodans spatio, quod undequaque inter tellurem, & sidera interceptum video, eodem pacto, iisdemque rationibus sentio, & judico, *spatium hoc tellurem inter, & sidera interceptum* nullum esse corporum, quæ continet, & quæ ab illo separari possunt.

IV. Universam hanc theoriam extendo, & cuicumque spatio accommodo; iisdemque rationibus sentio, spatium quodcumque nullo pacto esse materiam, quam continet, aut continere potest; concipio enim, spatium quodcumque esse antequam materiam ullam reciperet; quin ipsum idem existere ablata quacumque materia, quam possit continere.

DEMONSTRATIO II. Posito in materiali natura Ens increatum, & creans existere, a quo primitus materia creata fuit, necessario intelligitur materiam in spatio præsupposito creatam fuisse, quod materiam quum primum esse cœpit admisit. Atqui quod a materia præsup-

po-

positum, & materiam quum primum esse cœpit admittens concipitur, materia non est; ergo spatium non est materia, & ab illa distinctum est.

DEMONSTRATIO III. Ponimus in natura materiali esse Ens infinite activum, quod possit aut in nihilum redigere materiæ portionem, aut a loco in alium illam transferre.

I. Evidens est, Ens hoc infinite activum posse aut in nihilum redigere, aut alio transferre aerem, ignem, lucem, materiam subtilem, materiam quamcumque in globo meo illo cavo contentam, ita ut globi illius hermetice clausi solida superficies persistat ad eandem a centro distantiam, & efficere, ne materia ulla circumfusa in globi capacitatem permeet.

Atqui in hac hypothesi, quæ evidenter dari potest, nec ab ullo philosophorum, quorum hic de spatio sententias recensemus, impugnata fuit, perspicuum est, in hoc globo *spatium* fore *pedis cubici*, in quo nullum omnino corpus erit; omnia enim aut ad nihilum redacta, aut alio ablata supponuntur. Ergo hoc spatium aliquid est a materia distinctum, quum sine ulla materia existat.

II. Quamobrem, hanc hypothesim generice sumendo ponere possum, Ens hoc infinite activum eodem modo aut ad nihilum redigere, aut alio transferre posse domesticam supellectilem, aerem, ignem, lucem, materiam denique omnem, quæ conclavis mei capacitate continetur, parietes, & lacunar ea distantia servans, qua nunc sunt: æque illud posse aut ad nihilum redigere, aut alio transferre materiam quamcumque tellurem inter, & sidera contentam, vetans infinita virtute sua, ne qua extranea materies ad nihilum redactæ, aut alio ablatæ locum occupet.

Atqui in hac hypothesi, quam nemo dari posse negat, evidens est, in conclavi meo *spatium* re ipsa fore hexapedas quatuor longum, tres la-

tum, binas altum, in quo nulla omnino erit materia: quin imo inter tellurem, & siderum regionem *spatium immensum* fore, in quo nulla prorsus erit materia. Spatium ergo materia non est; est ergo aliquid ab ea distinctum. Q. E. D.

353. COROLLARIUM. *Vacuum in natura, qua nunc est, evidenter dari potest.*

DEMONSTRATIO. *Vacuum* a philosophis nuncupatur spatium longitudine, latitudine, & profunditate extensum, in quo nulla omnino materia sit: quæcumque spatii hujus dimensiones sint, quod & indefinite magnum, & indefinite parvum esse potest.

At vero ex dictis & demonstratis sequitur, spatium hoc evidenter dari posse; in postrema enim hypothesi, inter globi cavi centrum, & superficiem, inter conclavis mei parietes, pavimentum, & lacunar, terram inter, & sidera capacitas, seu spatium re ipsa erit, in quo nulla omnino materia erit. Q. E. D.

354. ASSERTIO II. *Spatium non est materia extensa modificatio.*

DEMONSTRATIO. Spatium sine materia extensa existere potest, ut jam explicavimus, & probavimus; atqui quod sine materia extensa existere potest, materia extensa non est; quum enim rei alicujus modificatio non sint nisi essendi modus rei modificatæ, evidens est, quodcumque de accidentibus modalibus systema admittas, modificationem sine re modificata, & extra rem modificatam existere non posse;

Ergo spatium, quod sine materia extensa, & extra ipsam existere potest, non est materiæ extensæ modificatio. Q. E. D.

355. ASSERTIO III. *Ultra mundi existentis limites verum spatium existit corporibus vacuum.*

DEMONSTRATIO I. Mundo existente infinito non supposito, quod profecto nemo contendet (967, & 978), peto cum Lockio, num ho-

homo, quem Deus ad corporum confinia collocaret poterit brachium ultra corpus suum extendere; suppono vero, me illum hominem esse (*a*).

I. Si brachium meum ultra existentis mundi confinia extendere possum, ultra terminos, inquam, ubi corpora esse desinunt, jam ultra existentem mundum, ultra terminos, ubi corpora esse desinunt, *spatium* re ipsa est capax brachium meum extensum admittendi.

II. Si ultra terminos existentis mundi, ubi corpora esse desinunt brachium extendere nequeo, peto, quo obstaculo prohibebor?

Est ne hoc *obstaculum positivum*? ad hoc opus esset, ultra terminos corporum esse aliquid positivum, resistens, impenetrabile, ac propterea materiale, corporeum, quod aptum esset resistere brachio meo nitenti se extendere, & ultra ferre; quod est contra hypothesim.

Est ne hoc *obstaculum negativum?* at vero obstaculum negativum est negatio obstaculi; evidens vero est negationem obstaculi obstaculum neutiquam esse. Q. E. D.

DEMONSTRATIO II. Patet ex hactenus dictis de brachio ultra existentis mundi limites protendendo, idem dici posse de sagitta ultra eosdem limites vibranda; atque hanc esse imagi-

(a) *Ut universa hac spatii immaterialis theoria clarius pateat, consule Tabula incisa figuram sextam ad calcem voluminis secundi. Pone, lineam D M N D esse ultimam entium materialium existentium extremitatem; teque ad punctum D constitutum, paratumque brachium protendere, seu telum jaculari ad punctum X. Quare quid tibi poterit impedimento esse, ne brachium protendas, aut telum jaculere ad punctum X.*

ginem, qua Lucretius utitur, ut ostendat universam naturam, seu mundum existentem, quem perperam cum spatio confundit, esse infinite extensum.

----------- Si jam finitum constituatur
Omne quod est spatium, si quis procurrat ad oras
Ultimus extremas, jaciatque volatile telum:
Id validis utrum contortum viribus ire
Quo fuerit missum, mavis, longeque volare,
An prohibere aliquid censes, obstareque posse?
Alterutrum fatearis enim, sumasque necesse est,
Quorum utrumque tibi effugium præcludit, & omne
Cogit, ut exempta concedas fine patere.
Nam sive est aliquid, quod prohibeat, officiatque,
Quominu' quo missum est, veniat, finique locet se;
Sive foras fertur, non est ea fini' profecto.
Hoc pacto sequar, atque oras ubicumque locaris
Extremas, quæram quid telo denique fiat?
Fiet, uti nusquam possit consistere finis,
Effugiumque fugæ prolatet copia semper.

Lucret. lib. 1. ver. 967, &c.

356. ASSERTIO IV. *Spatium reale ultra extremos mundi fines existentes, quo corpora esse desinunt, est infinitum.*

DEMONSTRATIO I. Demonstravimus, ultra terminos, ubi corpora esse desinunt existere *spatium reale*, in quo brachium protendere possum. Eadem theoria ostendam ultra primum hoc reale spatium, quo brachium protendere possum, aliud esse reale spatium, quo aliud brachium protendi potest; ultra hoc alterum spatium tertium esse, quo aliud brachium protendi potest; ultra etiam, semperque magis remote ab extremis corporum finibus alia, atque alia hujusmodi spatia esse; atque ita porro in infinitum.

Ultra ergo extremos mundi fines spatium re ipsa

ipſa infinitum dari concipimus; ergo ſpatium hoc exiſtit, quum neceſſario exiſtens concipiatur; neque quidpiam aut imaginari, aut concipi poteſt, quod ipſius exiſtentiam excludat.

II. Suppono ab extremis univerſi finibus glandem plumbeam tormento jaculari, quæ ultra omnia corpora conjiciatur: quid de hac glande fiet? In hypotheſi, qua nullam ipſa paſſivam attractionem haberet, quæ illam ad exiſtentes mundos revocaret, (quæ hypotheſis naturæ legibus, quas habemus, nequaquam congruit, attamen fieri poteſt), glans hæc in infinitum per vacuum recta, motuque uniformi pergeret. Quo enim detineretur, aut retardaretur, aut a recta via divertere cogeretur poſt excurſas centum hexapedas? nihilo: poſt centum leucas? nihilo: poſt centum mille, aut poſt centum millies mille, aut poſt centum millies millies millenas leucas? ſane nihilo.

Quare glans hæc in infinitum moveretur ab exiſtentibus mundis continenter recedens; & ſemper infinities a quovis termino attingendo in ſpatio, in quo movetur, remota eſſet. Spatium hoc ergo eſt infinitum.

III. Si a puncto quovis globi, quem incolo, *lineam indefinitam* mente duco, quæ ad extremos exiſtentium mundorum fines feratur, ſive ſuperius, ſive inferius, ſive ad auſtrum, ſive ad boream, ſive ad ortum, ſive ad occaſum ſolis, perſpicuum eſt, me illam poſſe indefinite cogitatione producere in immenſum ſpatium, quod ultra omnia corpora concipio, eam duplicando, triplicando, quadruplicando, atque ita porro in infinitum; & quamcumque finitam extenſionem hujus lineæ confingam, nunquam concipio eam immenſi hujus ſpatii fines attingere, aut attingere poſſe.

Spatium hoc ergo infinitum eſt; ſi enim finitum eſſet, linea tandem aliqua longitudine finita hoc metiri poſſet. Ergo ſpatii hujus longitu-

tudo infinita eſt; ita quoque latitudo, & profunditas infinitæ ſunt. Q. E. D.

357. NOTA. Non niſi futilibus vitiligatorum nugis ſpatium infinitum, quod nos admittimus, impugnari poteſt, quæ ne audiri quidem merentur; nos binas præcipuas objectiones ſubjiciemus.

I. Fruſtra nobis objicerent primo, in hypotheſi ſpatii re ipſa infiniti, *finitum*, habitum iri *majus alio*; infinitum, puta, latitudine infinite majus fore infinito longitudine. Hoc verum eſt; neque falſum aut abſurdum videri poteſt niſi cui falſæ infiniti ideæ obortæ ſint.

Geometræ diverſas infinitorum ſpecies concipiunt, quorum alia aliis infinite majora ſunt. Infinitum primi ordinis ∞ infinito ſecundi ordinis ∞^2 infinite minus eſt; atque hoc tertii ordinis infinito ∞^3 infinite minus. Atque hæ tres infinitorum ſpecies ſunt, quas in tribus infiniti, de quo agimus, dimenſionibus concipimus.

II. Inaniter quoque nobis objicerent ad rationes, quibus ſpatium infinitum ſtatuimus, infirmandas, nos ſpatium hoc non cognoſcere, niſi *ex ideis, quas ejus habemus*, aut nobis effingimus. Hoc quoque verum eſt. At neque circuli, aut trianguli proprietates dignoſcimus niſi ex ideis, quas circuli, aut trianguli habemus, aut nobis effingimus. Profecto quid de re quapiam ſtatui, aut affirmari poterit, ſi in dubium revocetur omnium humanarum cognitionum principium; ſi, inquam, dubitetur poſſit ne, aut debeat de rebus affirmari quod abſolute in rerum idea incluſum deprehenditur?

In immenſi hujus ſpatii idea, quod ultra exiſtentis mundi fines concipimus, vera, & re ipſa exiſtens infinita extenſio eſſentialiter includitur; ergo hæc vera, & re ipſa exiſtens infinita extenſio affirmari poteſt, ac debet (417).

SPA-

SPATII INFINITI NATURA, & PROPRIETATES.

358. OBSERVATIO. Si vera philoſophica attentione animadvertas ad *immenſi*, quam habes, hujus *ſpatii* ideam ultra mundi fines protenſi, neceſſario judicabis,

I. *Spatium hoc eſſe omni ex parte illimitatum*; nullos enim aſſignabiles fines aut habet, aut habere poteſt.

II. *Spatium hoc eſſe penetrabile*; nihil enim habet, aut habere poteſt, quo corpori illud penetrare nitenti reſiſtere poſſit; quin mundorum novorum millies millia millium, quos alios ab aliis diſſitos naturæ Auctor crearet, admittere poteſt.

III. *Spatium hoc in infinitas partes diſtinctas cogitatione dividi poſſe*; patet enim, ſpatium illud, quod mundum contineret, ſejunctum eſſe, atque diſtinctum a ſpatio, quod alterum mundum contineret, eo prorſus pacto, quo ſpatium ſolem continens in mundi noſtri planetarii centro, diſtinctum, atque diviſum eſt ab eo, quod aut cynoſuram, aut ſyrium continet in alius mundi planetarii centro.

IV. *Spatium hoc, ejuſque portionem quamvis immutabilem eſſe*; ſi enim concipiatur corpus in hoc ſpatio moveri, non propterea concipitur loco dimovere ſpatii, quod percurrit, portiones. Quin ſi concipiamus naturæ Auctorem ſyrium in ſolem transferre, non propterea concipiemus, transferre poſſe ſpatium, in quo modo ſyrius eſt, in ſpatium illud, in quo ſol eſt.

V. *Spatium hoc eſſe indeſtructibile*; ſi enim concipiamus, Creatorem ad nihilum redigere globos binos, quos in hoc ſpatio creaſſet, non propterea concipimus ad nihilum redigere poſſe ſpatium, quo uterque globus locatus eſſet,

quod semper paratum est duos similes globos admittere.

VI. *Spatium hoc æternum esse, & increatum*; existit enim, neque concipi potest unquam non existere potuisse.

Nihil inter cognitionum nostrarum objecta certius, aut clarius spatii hujus existentia; at *hujus spatii natura* non æque mentis nostræ viribus accessibilis est: certum quidem est spatium existere tribus suis dimensionibus infinitum: at quid hoc spatium est?

359. ASSERTIO V. *Verosimile est, spatium infinitum, quod mundos omnes existentes continet, quodque ultra omnes hos in infinitum protenditur, ipsam divinæ naturæ immensitatem esse.*

EXPLICATIO. Juxta ideas, quæ Dei habemus, juxta rationem, ac fidem ipsam:

I. Divina essentia ubicumque entia sunt existit, quin in infinitum ultra loca omnia, in quibus entia existunt: ibi enim divina essentia agit, atque agere potest; & actio necessario existentiam supponit. Hactenus idea, quam *divinæ essentiæ* habemus ideæ spatii infiniti ad amussim congruit.

II. Divina essentia omnibus corporibus existentibus prior est, a corporibus penetrabilis, a corporibus eam penetrantibus, & in infinita sua immensitate quiescentibus, aut se moventibus omnino distincta. In his quoque idea, quam habemus *divinæ essentiæ*, ideæ spatii infiniti ad amussim congruit.

III. Divina essentia immutabilis est; nequit ipsa, exempli gratia, esse desinere in tellure, ut in Saturno esse incipiat; nequit a Syrio in solem, aut ab hoc in illum transire. Hic quoque inter *divinæ essentiæ*, & spatii ideam summa concordia.

IV. Spatium infinitum re ipsa indivisibile est, solaque cogitatione dividi potest. Idem de *di-*

vi-

vina essentia dicendum. Hæc in se individua, ideis nostris tantum eam ad diversa objecta referentibus dividi potest.

V. Spatii infiniti portio non est alia spatii infiniti portio. Exempli gratia, spatii infiniti tertam actu continentis portio, non est spatii infiniti portio lunam continentis. At vero in quo sita est, aut unde oritur, inter has spatii infiniti portiones distinctio? Hæc absolute potest nullum aliud habere principium, ac fundamentum, præter *corporum* alteritatem, aut *distinctionem*, quæ binæ hæ spatii infiniti portiones admittunt, aut admittere possunt; atque hic divina essentia considerata, ut terram continens, a divina essentia, ut lunam continente considerata, pari ratione distincta esset.

VI. Essentia divina est substantia: in se ipsa enim concipitur, in se, & a se existit. Spatium infinitum quoque substantia est; in se enim concipitur, & in se, & a se existit.

Claram fortasse ideam, atque distinctam de eo, quod substantiam dicimus in spatio infinito, habere nequimus. At, quæso, clariorem ne, magisque distinctam de eo habemus, quod substantia in divina essentia dicendum est? Hinc quoque objectivarum idearum divinæ essentiæ, & spatii infiniti perfecta congruentia. Verisimile ergo est spatium infinitum nihil esse præter divinæ naturæ immensitatem.

360. OBJECTIO. Spatia immensa, quæ ultra postremos corporum fines concipimus, *spatia* sunt tantum *imaginaria*; non ergo ut vera spatia tenenda sunt.

RESPONSIO. *Imaginarium* dicitur, quod in natura nihil re ipsa est, neque existit nisi in phantasia deliriis, & larvis obsita. Mons aureus, taurus volans entia imaginaria sunt. At absurdum esset dicere, aut putare, id omne, quod imaginatione repræsentatur, imaginarium esse: imaginatio enim immensam tellurem inter,

In hypothesi terræ solem obeuntis Lutetia locum absolutum permanentem non habet; tunc enim urbs hæc quovis temporis momento cum nostro globo ab uno infiniti, & immutabilis spatii puncto, ad aliud ejusdem spatii punctum transit.

II. In quavis terræ sive mobilis, sive immobilis hypothesi *locus relativus* Lutetię, exempli gratia, consistit *in stabili distantia relatione*, quam urbs hęc cum præstantioribus orbis locis habet, puta cum Londino, cum Vienna Austriæ, cum Mantua Carpetanorum, cum Roma, cum Haphnia, cum Canadia, cum Peruvia, cum Africa, cum Perside, cum Scithia, cum Belgio; cetera.

362. NOTA. Ab hac loci relativi definitione sequitur, *corpus locum relativum mutare posse nullo motu proprio, quo a loco suo absoluto removeatur.*

I. Ponamus, exempli gratia, motum annuum terræ circa solem intermitti; terram vero adhuc circa axem suum volvi ab occasu in ortum horis quatuor supra viginti, nullo alio vero motu actam præter motum rotationis, qui diurnam ejus revolutionem efficit.

In hac hypothesi, si turris, quam in proximo monte video, superna virtute in eadem immobilis spatii portione detineretur, cui modo congruit: turris hæc eundem locum absolutum servans, relativum indesinenter mutaret; decem vero horæ minutis centum ferme mille hexapedis in occasum progressa videretur; quare non amplius eandem respectu ad diversas orbis partes positionem haberet.

II. Passim quum de *loci mutatione* loquimur, relativum tantum intelligimus. Quare,

Lutetia Parisiorum eodem in loco sita censetur modo, quo sex ante menses erat; etsi enim hoc tempore ad octoginta millies leucarum millia percurrerit in curva, quam tellus circa so-

ſolem deſcribit, eundem tamen finitimis locis diſtantiæ reſpectum dicit, quem ſex ante menſes dicebat.

Currus contra, qui paulo ante erat ad Novum Pontem, quique modo eſt ad Pontem Regium, non amplius in eodem loco eſt; non enim objectis ambientibus eundem diſtantiæ, quem paulo ante, reſpectum dicit.

MOTUS REALIS, ET MOTUS APPARENS.

363. DEFINITIO. *Motus* eſt mutatio loci ſucceſſiva; ſeu mavis, eſt ſucceſſiva corporis a loco in locum translatio. Motus hic eſſe poteſt realis, vel apparens.

I. Motus in corpore realis eſt, quum corpus motu proprio, & continuato quovis inſtanti locum mutat. Ita currus velocibus equis tractus motum realem habet ſuper ſolum reſpectu ejus immobile. Ita tellus orbem ſuum annuum circa ſolem deſcribens, motum realem habet, etſi gentibus, quas ſecum abripit, motus hic inſenſibilis ſit.

II. *Motus in corpore eſt apparens tantum*, quum ipſum, licet re ipſa immotum, moveri videtur reſpectu alterius corporis, quod ipſum realem motum habet, quem non deprehendimus. Ita ſol in mundi planetarii centro immotus nobis quotidie terram obire videtur: quæ eodem tempore circa ſuum axem vertitur. Ita a navi ſecundo vento extra portum impulſa navitæ immotum litus recedere videtur eo magis, quo ipſe ab immoto litore recedit.

Maxime utilem motus theoriam fuſe explicatam, & demonſtratam habes in phyſica noſtra univerſa. Hic propterea ejus tantum ea tradimus, quæ diverſis metaphyſicæ partibus illuſtrandis ſit opportuna.

§. XV.

§. XV.

RERUM DURATIO FINITA, ET INFINITA.

Quid eſt rerum duratio? quid tempus? quid æternitas? Hæc omnia probe novi, ait Auguſtinus, quum nemo quid hæc ſint me interrogat: ſi petas, prorſus neſcire videor; adeo in reſponſis hæreo. *Quid ſit tempus, ſi rogas, neſcio: ſi non rogas, intelligo.*

364. *Rei alicujus duratio* eſt ejus continuata exiſtentia; ſive hæc dignoſcatur, ſive non; ſive mutationibus quibuſdam obnoxia ſit, ſive prorſus immutata perſeveret.

Saxum, quod heri exiſtebat, quodque hodie exiſtit vel aliquam paſſum mutationem, vel nullam, durationem habet, ſive continuatam exiſtentiam, quam non ſentit.

Ariſtus, qui heri lætus exiſtebat, & hodie exiſtit triſtis, durationem, ſive exiſtentiam continuatam habet, quam ſentit.

Deus, qui heri exiſtebat, & qui hodie exiſtit nullam omnino mutationem paſſus, durationem, ſive exiſtentiam continuatam habet, quam ſentit, & in qua nullam ſentit mutationem.

Rei alicujus *duratio* eſſe poteſt aut *finita*, & tunc tempus vocatur; aut *infinita*, & tunc dicitur æternitas.

TEMPORIS, ET ÆTERNITATIS IDEA.

365. DEFINITIO I. *Tempus* eſt rerum duratio ſucceſſiva, & finita: ſive rerum ſucceſſiva, & continuata exiſtentia, quam veluti duobus terminis incluſam conſideramus; quam durationem & exiſtentiam metiri, æquare, imo & ſuperare poteſt illa, quam inter ſucceſſivas ſubſtan-

ſtantiæ noſtræ intelligentis, atque ſenſibilis perceptiones finitis vicibus ſumptam deprehendimus; ſive quam inter ſucceſſivas ſubſtantiarum quarumdam materialium revolutiones finitis quoque vicibus ſumptam obſervamus.

I. Ut rerum ſucceſſivam, & finitam durationem æſtimemus, & perpendamus, ſive ut hanc ſucceſſivam, & finitam durationem ad aliquid fixum, & probe notum referamus, unde ejus ideam certam, exactam, diſtinctam, immutabilem habeamus, communi veluti conſenſu ab omnibus mundi populis ſumpta eſt tamquam *communis menſura* & *diurna* circa tellurem ſolis *revolutio*, quæ diem unum efficit, & *annua* ſolis in zodiaco *revolutio*, quæ annum facit.

Sive binæ hæ ſolis revolutiones re ipſa fiant, ſive ſpecie tantum, nihil intereſt. Eadem enim ab ipſis habetur temporis menſura, æque certa, & immutabilis, aut fiant, aut fieri videantur.

Patet has ſive veras, ſive apparentes tantum ſolis revolutiones, finitis vicibus ſumptas, ſive totas, ſive per partes, poſſe tempus quodvis metiri, & ad has conformari poſſe, ac debere ceteras omnes factitias temporis menſuras, cujuſmodi ſunt clepſydræ, pendula, horologia portatilia, quas paſſim humana induſtria invenit. Duratio æquans centenas annuas ſolis revolutiones ſæculum faciet: duratio æquans duas tertias partes ſolaris revolutionis erit horarum ſexdecim, ſive minutorum nongentorum, & ſexaginta; cetera.

II. Binæ ſolis revolutiones, de quibus nunc ſermo, non ipſæ ſunt tempus, quod metiuntur; tempus enim eſt rerum duratio ſucceſſiva, ſive exiſtentia continuata; res vero continenter exiſtere poſſent ceſſantibus etiam in viſibili natura binis hiſce ſolis revolutionibus.

At vero, his deficientibus, non amplius rerum durationem, uti nunc, æſtimare poſſemus ple-

plena certitudine, atque exacta præcisione; non enim amplius certam, & immutabilem mensuram haberemus a natura hominibus datam, cui illam comparare possemus.

In hac hypothesi solus Deus rerum durationem adhuc æstimare posset, ut modo nos æstimamus illam solis revolutionibus comparantes. Deus enim, cujus infinita intelligentia omnia, & quæ sunt, & quæ esse possunt comprehendit, adhuc indefectibiliter nosceret hujus rerum durationis respectum ad diversas solis revolutiones, quæ in visibili natura fieri potuissent, & debuissent, postquam fieri desierunt.

III. Si rerum existentium Auctor, servata rerum existentia, omnem omnino motum a materiali natura tolleret, nostræ intelligenti, sensibilique substantiæ quoque servando (commodum ne dicam, an damnum?) perceptiones idearum, & sensationum, quin & voluptatis, ac doloris; perspicuum est, tempus adhuc extiturum; tempus enim est duratio successiva, sive continuata rerum existentia quatenus hæc finitis terminis continetur.

At, quæso, qua ratione in hac hypothesi rerum successivam durationem æstimare possemus? non nisi eam diversarum nostrarum successivarum perceptionum existentiæ comparando: quod sane non nisi maxime variam, æquivocam, & incertam mensuram nobis exhiberet.

Patet enim, animam lente percipientem habere posse dato tempore, puta illi æquali, quod horam dicimus, multo minorem perceptionum numerum, quam aliam animam celeriter percipientem: quare si ponamus, hanc decem perceptiones habere quo tempore altera unam habet; eadem rerum duratio huic decies major appareret, quam alteri appareat.

Ceterum si harum animarum alterutra perceptionibus destitueretur, & veluti somno sopita viveret duratione anni, aut sæculi, & a somno re-

revocata postremæ perceptionis reminisceretur, quam vigilans habuit; patet universam rerum successivam durationem, quæ sui soporis tempore fuisset, in supputatione, quam expergefacta faceret, locum non habituram.

366. DEFINITIO II. *Æternitas* est infinita existentiæ permanentia; ita ut nulla finita duratio finitis quibuscumque vicibus repetita unquam ipsam æquare, aut metiri possit; atque ita, ut illam a termino, quo illi coexistimus, concipientes, nunquam cogitatione ad præcedentem ullum terminum devenire possimus, in quo, aut ante quem ejus initium statui possit.

Hujusmodi est æterna Dei existentia, & duratio, quæ nulla huic increatæ naturæ intrinseca variatione constituitur; nec aliud ipsa est, præter immutabilem hujus increatæ naturæ semper essentialiter subsistentis, semper essentialiter ejusdem, essentiam; qua existentia, & duratione Deus immutabiliter temporibus omnibus coexistit, sive quæ sunt, & fuerunt, sive quæ esse possunt, & infinite omnia tempora etiam, quæ esse possint, excedit, quin quidquam vetus amittat, quin novum quidpiam sive substantiæ, sive modificationum acquirat.

I. Certum est primo, durationem ita infinitam, atque æternam, si existit, re ipsa æquivalere infinitis numero sæculis, annis numero plusquam centies infinitis, tercenties tricies sexies millies quingenties plusquam infinitis numero diebus, quin in hoc ullum sit absurdum; idea enim infiniti alio infinito majoris, ut jam notavimus (357) absurda videri nequit nisi cui falsæ infiniti ideæ obortæ sint, (*Phys.* 63, 68, 71).

II. Certum est præterea, durationem ita infinitam, atque æternam non modo imaginariam non esse, at contra re ipsa verissimam, firmissime statutam, & summo rigore demonstratam. Ut enim hodie aliquid existat, evidens est, ne-

cesse

cesse esse, & aliquid existentiam æternam, & necessariam habuerit; ceterum nihil hodie existere potuisset. Quamobrem ex omnibus veritatibus, quibus humana mens acquiescit, nulla hac ipsi certior, ineluctabilior, nulla majori evidentiæ signo confirmata: ***ante me aliquid æternum exstitit***; quodcumque tandem illud fuerit, quod æternum exstitit.

Nos Deum solum esse hoc æternum existens; & æternitatem durationis, quam definivimus, Deo, & soli Deo convenire, alibi demonstrabimus.

ÆTERNITAS ANTECEDENS, ET SUBSEQUENS.

367. OBSERVATIO. Essentialis Dei existentia considerari potest & ut initio carens, & ut nunquam finem habitura. Quare stationem veluti nobis facientes punctum hoc, quo huic æternæ Dei existentiæ coexistimus, eam in æternitatem antecedentem, & in subsequentem dividemus. (*a*).

I. Certum est primo ***æternitatem Dei antecedentem***, sive durationum illam Dei, quam ut existentiæ nostræ anteriorem consideramus, esse ***verum infinitum***, veram durationem infinitam, æternitatem re ipsa effectam & consumatam; nullo namque finito sæculorum numero metiri potest.

II. Certum est præterea ***æternitatem Dei subsequentem***, quam nos ut præsenti nostræ existentiæ posteriorem consideramus, nunquam fore durationem re ipsa infinitam, seu æternitatem re ipsa

(a) *Hoc est, quod barbaro scholarum stylo dicitur*: æternitas a parte ante, & æternitas a parte post.

ipsa effectam, & consumatam. Siquidem, etsi Deus imposterum existere æternum debeat, ut antea æternum exstitit; jam percipimus, quæcumque remotissima imaginemur futura sæcula, ut hanc subsequentem, & permanentem Dei durationem contemplemur, nos semper eam concipere finitam; eamque semper finito annorum, aut sæculorum numero exprimi posse; quare nunquam illam verum infinitum fore.

Exempli causa: millies millibus sæculis nunc incipientibus hæc subsequens Dei duratio millies millibus sæculis prorsus æqualis erit, adeoque unitati æqualis: bis millies millibus pariter sæculis, hæc subsequens Dei duratio bis millies millibus sæculis prorsus æqualis erit, adeoque duobus æqualis; ita successive hæc eadem subsequens Dei duratio æqualis erit tribus, quatuor, quinque, sex millies millibus sæculis, atque ita porro in infinitum, quin unquam ad *infinitum effectum*, & *consumatum* deveniamus.

368. NOTA. Quantumvis immensum concipias *tempus*, semper illud finitum, novaque semper, ac nova perenni additione augmenti capax concipies.

I. *Tempus infinitum* repugnat: repugnat enim durationem finitam additionibus successivis quantumvis multiplicibus auctam unquam fieri infinitum effectum, & consumatum.

II. *Anima humana* æternum existere destinata in Deo, & æque, ac Deum ipsum, semper existere, nunquam eo deveniet, ut tempore infinito extiterit. Quæcumque enim futura duratio illi cogitatione assignetur, eam in infinitum inter futura sæcula deducendo; semper concipimus, hanc durationem, quum elapsa fuerit, adhuc finitam, & æternum finitam fore; semper enim finitis numeris, ut & illa Dei (367), exprimi poterit.

RE-

RELATIONES TEMPORIS, ET SPATII.

369. OBSERVATIO. *Tempus*, ut & *ſpatium* magna inter philoſophos diſceptationum cauſa fuit, & adhuc eſt. Nonnulli illud *ens reale* volunt ab ideis noſtris nequaquam pendens: alii illud dicunt *ens tantum ideale*, ac purum mentis noſtræ phœnomenon.

I. Nevvtono, Clarkio, Lockio, Gaſſendo, Epicuro, Democrito tempus eſt quid reale, *objectum ab ideis noſtris nequaquam pendens*. Ideæ noſtræ tempus concipiunt, non efficiunt; quemadmodum & ſpatium concipiunt, non conſtituunt.

In rerum duratione ſæculum Alexandri non eſt ſæculum Caroli Magni; ut in rerum univerſitate ſpatium, quod Syrius occupat non eſt ſpatium a ſole occupatum: ſive bina hæc ſæcula, & bina hæc ſpatia mente concipiantur, ſive ſecus.

II. Leibnitio tempus tantum eſt *entium ſucceſſivorum relatio*; atque hæc entium relatio nihil eſt, præter hæc entia, & ideas noſtras.

Quare tempus in ſe & extra mentem nihil eſt; ſunt vero ideæ noſtræ, quæ modo, quo res concipiunt alias ante alias, tempus efficiunt: ſive, ut recentiores quidam philoſophi ſingularis hujus Leibnitianæ ſententiæ aſſeclæ loquuntur: tempus quid tandum ideale eſt, nullo pacto extra mentem exiſtens: *Tempus eſt merum mentis phœnomenon*.

In Leibnitii, & ejus ſectatorum principiis, Alexandri ſæculum Caroli magni ſæculo re ipſa anterius non eſt: bina enim hæc ſæcula nihil in ſe ipſis reale ſunt. At nos Alexandri ſæculum prius Caroli magni ſæculo concipimus; ac propterea hac tantum ratione primum ſæculum ante alterum eſt: ita ut ſi illud Caroli magni prius illo Alexandri conciperemus, illud hoc prius eſſet.

370. NO-

370. NOTA. Nevvtonus spatium, & durationem tamquam *bina entis immensi, & aeterni necessaria, & immutabilia attributa conceperat*; & recte conceperat. Leibnitius a Nevvtono diversus abire voluit, & falsas sibi durationis, & spatii ideas confinxit.

Deus ubique *immensitate sua* existens spatium tum infinitum, tum finitum constituit: Deus *infinita sua duratione* æternum existens & æternitatem, & tempora constituit.

IDEA CHRONOLOGIÆ.

371. OBSERVATIO. *Rerum duratio* est objectum chronologiæ, seu scientiæ temporum. In hac scientia *Epocha dicitur* eventus memorabilis, a quo initium facimus in annis numerandis. *Æra* dicitur annorum series, quæ a data epocha numeratur.

De chronologia sacra, & prophana satis fuse egimus in sectione quinta nostræ philosophiæ religionis. Hic *præcipuas* tantum *epochas* indicabimus, ad quas diversarum nationum tum antiquarum, tum recentiorum historiæ referuntur.

I. Apud Christianas nationes *communis epocha* est Jesu Christi nativitas. Hoc punctum est, a quo *Æra Christiana* initium sumit, quæ incipit annis mille septingentis septuaginta, & octo ante decurrentem auctori, quum ista scriberet.

Hoc ipsum punctum est, ad quod referri possunt, & passim referuntur per hos dies diversæ epochæ, quæ magnam nativitatis Christi epocham aut præcesserunt, aut subsequutæ sunt.

II. Hebræorum præcipuæ tres epochæ sunt *Creatio*, *Diluvium*, & prodigiosa *ab Ægypto emigratio* Moyse duce.

Hæc emigratio Christi nativitate prior est annis ferme 1484. Quare hos æræ christianæ annis

nis addendo, numerum annorum habes, qui ab anno migrationis ab Ægypto Hebræorum duce Moyse eorum liberatore, & legislatore ad hæc usque tempora effluxerunt.

Exemplum. Si 1484. addas 1778. habes 3262. qui numerus est annorum migrationis ab Ægypto usque ad annum æræ nostræ 1778.

Non ita facile est duas primas epochas creationis nempe, & diluvii statuere, easque ad Christianam æram referre; primarum enim mundi ætatum chronologia aliqua ex parte diversa est in duabus celebrioribus, quas habemus, sacrorum bibliorum versionibus, quarum una *septuaginta interpretum* est, altera *vulgata*. Si stemus primæ, creatio Christi nativitatem præcessit annis ferme 5353; si alteri, annis tantum ferme 3996. Ita quoque juxta septuaginta interpretum versionem diluvium Christi nativitatem præcessit annis ferme 3119; juxta vulgatam annis ferme 2340.

III. Præcipua Græcorum epocha erat *ludorum Olympicorum* institutio, sive instauratio; atque in illa Olympiades tempore supputabant. Olympias quatuor annorum spatium erat; quare Olympiades centum quatuor sæcula complectebantur; & centesimæ primæ Olympiadis annus tertius ipsis erat annus 403.

Primæ Olympiadis annus primus congruit anno 776. ante æræ Christianæ initium, sive ante Christum natum. Quare additis annis 776 annis æræ Christianæ, habes annorum numerum, qui a Græcorum epocha, seu ab Olympiadum initio ad decurrentem annum effluxerunt. Exemplum. Annis 776 adde 1778: habes 2554: qui annorum numerus est a primo primæ Olympiadis anno ad æræ Christianæ annum 1778.

IV. Præcipua Romanorum epocha erat *Roma condita* Romulo rege; hæc vero epocha congruit anno 753 ante æræ Christianæ initium: quare additis 753, annis, qui in æra Christiana efflu-

xerunt, annum habes, quo Roma condita fuit.

V. Babylonii post Nabonassaris regnum, regis hujus tempora sibi epocham statuerunt. Hinc orta *ara Nabonassaris*, quam tanti momenti, tantæque celebritatis esse fecerunt Hyparchus, & Ptolemæus, illi observationes suas astronomicas alligando. Hujus annus primus est 747 ante Christum natum.

VI. Mahumetanorum communis epocha est *Hegira*, sive Mahumetis fuga. Incipit hæc eo die, quo die Mahumetes Mecha excessit, ut Medinam se reciperet: hæc vero congruit diei decimæ sextæ Julii, anni 622 post Christum natum. Quare si post diem 16 Julii dempseris annos 621 ab annis æræ christianæ, qui jam effluxerunt, habebis æram Mahumetanam, & annos cum Mahumetanis numerabis.

VII. Ex his facile intelliges, *qua ratione epochas alias christiana epocha conferre possis*. Hæc per hos dies celeberrima a doctis omnibus, & ab excultis nationibus habetur tamquam punctum immobile, in quo sistendum, ut quid in temporum, & eventuum ordine præcesserit, quid subsequutum sit observetur; atque ut in historia tum sacra, tum prophana res successivæ simul conferantur, & apto nexu conjungantur.

372. CONCLUSIO. Positis diversis his cognitionibus objectivis, quæ hac generica Entium Theoria, sive hac *generali ad philosophiam introductione* continentur, & proferuntur, apparebit, arbitror, partem ipsam metaphysicæ magis abstractam, ut in operis hujus præfatione monuimus, mentis nullius recte a natura institutæ captum superare.

Metaphysica jam pertractata, in iis, quæ magis generica, & indeterminata ejus objectum habet: ejus modo objecti partes diversæ nobis pertractandæ sunt, quæ magis determinatæ sunt, & in quibus metaphysicæ instituta utiliora, & jucundiora studiosis evenient.

FINIS TRACTATUS PRIMI.

TRACTATUS SECUNDUS

THEORIA CERTITUDINIS.

ENTIUM INSENSIBILIUM
THEORIA,
SIVE
METAPHYSICA UNIVERSA SACRA ET PROPHANA.

TRACTATUS SECUNDUS.

THEORIA CERTITUDINIS.

373. OBSERVATIO. E*ns rationis particeps* in infinite parva extensionis, & durationis portione collocatum, quin qua ratione, aut quare probe norit; sentit tamen, non se ibi ideo tantum positum esse, ut vegetet cum plantis, & brutorum more sensationes habeat.

Si magna, erectaque anima a natura donatum fuit, vix ab infantiæ vinculis, ac tenebris excessit, quum illud indignari veluti, & irasci videmus, quum omnes mentis suæ facultates notionibus destitutas deprehendat, magnoque desiderio flagrare nova dignoscendi, ac percipiendi; tum avide naturam visibilem universam, cujus aspectu mirifice delectatur, perlustrare. *Cognitionum amor* illud jucunde simul, & violenter afficit; hoc amore impulsum omnia, quæ illi occurrunt objecta perscrutatur, studio, ac labore in iis dignoscendis nutritur, ac roboratur, neque hæc nova addiscendi cupiditas, nisi interitu, in ipso extinguitur.

At cito novit, si in cognitionibus hominis propriis acquirendis apte proficere velit, quæ

immensum ferme laborem postulant, sibi primum in sui ipsius veluti profundum descendendum esse, quo inconcussa certitudinis fundamenta statuat, atque exploret. *Scientiarum ædificium* nihil solidi habet, aut firmi, si labili fundamento superstruatur. Quid ergo est certitudo? quinam ejus fontes? quodnam fundamentum?

CERTITUDINIS NATURA.

374. DEFINITIO I. Certitudo tum in objecto suo, tum in motivo, tum in subjecto considerari potest.

I. *Certitudo objecti* est immutabilitas sive absoluta, sive hypothetica rei, quam cognoscimus. Exempli gratia, novi, tres trianguli cujusque angulos duobus rectis æquales esse; sphæræ cujusque superficiem laterali cylindri illi circumscripti superficiei æqualem esse: horum objectorum, harumque relationum immutabilitas est eorum objectiva certitudo, aut hanc efficit.

II. *Certitudo motivi* est rationum quarumdam ineluctabilium vis, aut momentum, quæ mentem ad assensum, & ad adhæsionem illis trahunt. Ut motivum veram habeat certitudinem, infallibili nexu alligatum sit oportet rei illi, cui mentem assentiri, & adhærere facit. Hujusmodi sunt quatuor genericæ motivorum species, de quibus quamprimum acturi sumus (380).

III. *Certitudo subjecti* est firma, & inconcussa veritati ineluctabiliter statutæ, ac demonstratæ mentis adhæsio; sive demonstratio ab evidentia rei intrinseca exoriatur, sive ab evidentia illi extrinseca, sive a certo, & ineluctabili motivo, quod rei quidem extrinsecum, at essentia ipsa indefectibiliter cum rei ipsius veritate connexum sit.

Postrema hæc certitudo, sive certitudo subjecti, sequenti definitione, quæ ejus divisionem continet, fusius explicatur.

375.

375. DEFINITIO II. Certitudo *in anima*, *quæ ejus subjectum est*, *considerata*, est firma, & inconcussa mentis adhæsio ineluctabiliter statutæ, & demonstratæ veritati. Hæc dividitur in certitudinem metaphysicam, physicam, & moralem.

376. DIVISIO I. *Certitudo metaphysica* ea dicitur, cujus objectum absolutam, & essentialem immutabilitatem habet, quæ neque miraculo tolli potest. Ejus objectum est metaphysicus rerum status; ejus vero motivum essentialis rerum exigentia, & immutabilitas idearum testimonio illas concipientium, & repræsentantium manifestata.

Certum est certitudine metaphysica, totum majus esse sua parte; causam agentem existere; nihilum nullam veram actionem habere; circulum non esse triangulum; superficiem rectanguli esse productum basis in altitudinem; aliaque hujusmodi.

377. DIVISIO II. *Certitudo physica* ea est, cujus objectum non potest aliter esse, ac concipitur, atque cognoscitur, sine vero miraculo. Ejus objectum est physicus rerum status: ejus motivum est sensuum testimonium, & generalium naturæ legum immutabilitas, quæ non, nisi miraculo interveniente, in effectibus suis producendis impediri, aut immutari possunt.

I. Hæ naturæ leges in se, & per se immutabiles, & necessariæ sunt. Ipsæ effectum suum semper indefectibiliter producunt, donec existunt, nec aliquid est, quod earum naturam immutet, aut actionem cohibeat.

II. At Naturæ Auctor, qui has leges libere condidit, speciali voluntate, & actione, rationibusque sapientia sua dignis, earum influxum cohibere, aut mutare potest; tunc vero naturalis effectus, qui ab ipsis expectandus esset, non amplius haberetur; effectus vero oppositus, qui sequetur, erit verum miraculum (139).

Quare certum est certitudine physica, solem hodie a revolutione sua non cessaturum, sive hæc vera sit, sive apparens, ut Josue temporibus substitit. Pari modo certitudine physica certum est, id, quod ad latus meum video, & audio, quum ibi amicum meum Aristum videre, & audire mihi videor, ipsum Aristum esse, non vero ejus imaginem, aut larvam.

378. DIVISIO III. *Moralis certitudo* ea dicitur, cujus objectum confirmatur, aut morum natura, & influxu, aut hominum testimonio, quod ipsum quoque a moribus pendet, & eorum pars est. Exempla.

I. Mihi certum est morali certitudine omnem dubitationem excludente, populos terrarum adhuc incognitarum incolas voluptuosos esse, vindictæ cupidos, ambitiosos; scio enim hos affectus omnes naturæ humanæ, humanorumque morum proprios esse.

II. Pari modo mihi morali certitudine certum est omnem a me dubitationem removente, factum aliquod historicum, cui asserendo consentiunt innumeri testes aut oculares, aut ab ocularibus fide dignis instructi, ita esse, ut narratur; scio enim in omnium hominum more positum esse, ut non simul conjurent notam veritatem prodere, quum nihil eos ad mentiendum allicit.

379. NOTA. *Certitudinis moralis* nomine vocatur etiam passim maxima verisimilitudo, cujus motivum sit morum consuetudo, & influxus; & cujus objectum esse, quale apparet, censendum est, etsi absolute, & sine miraculo, aliud esse possit.

Exempla. Hac morali certitudine certum est, matrem in filium iratam, illi placatum iri, nec alium hæredem instituturam. Hac quoque morali certitudine certum est, hominem honoris, & recti semitas semper sequutum, ab his modici, vilisque lucri spe non recessurum, quum hoc

hoc tantum venales, improbique homines perverti possint.

Quum simplex verisimilitudo, quantumvis magna, non semper omnem ab animo dubitationem, aut erroris timorem removeat, neque menti plenam, perfectamque securitatem afferat; ut omnis ambiguitas, & litigii occasio de medio tollatur, postremam hanc moralem certitudinem in certitudinis definitione, & divisione non includemus; neque enim ea vera, & perfecta certitudo est, sed major dumtaxat, minorve verisimilitudo.

CERTITUDINIS FONTES, ET MOTIVA.

380. OBSERVATIO. Quævis humana certitudo, cujuscumque naturæ sit, & quodcumque sit ejus objectum, semper, & necessario, ut in operis hujus præfatione diximus, ex uno ex quatuor his fontibus derivatur; scilicet:

I. Vel *a testimonio sensus intimi*, quod nos instruit, atque convincit de iis, quæ contingunt in ordine ad cogitationes, & intimos sensus in intimo intelligentis nostræ, sensibilisque substantiæ; cujuscumque tandem naturæ sit.

II. Vel *a testimonio idearum*, quod nobis essentiales rerum proprietates detegit, & cui innititur, ac superstruitur quidquid cognitionum habemus in mathematicis, in physicis, in moralibus.

III. Vel *a testimonio sensationum*, cui innituntur cognitiones nostræ omnes ad physicum rerum ordinem spectantes, quæque materialia, & sensibilia objecta respiciunt.

IV. Vel *a testimonio hominum*, cui innituntur cognitiones quæcumque historicæ, quas habere possimus, sive cognitiones factorum, & eventuum, quorum testes nos ipsi non fuimus.

Ab his quatuor fontibus cognitiones omnes emanant, quæcumque sint, quibus mens huma-

na ditatur; neque ullus alius inveniri potest. Hisce quatuor fundamentis, atque motivis innititur, & superstruitur quidquid certitudinis habent homines; quin & philosophorum respublica fortasse aliquando gratias nobis habebit, quod nos primi decem ferme ante annos in nostris metaphysicæ elementis hanc humanæ certitudinis ideam, & analysim illi obtulerimus. Quatuor horum objectorum quodlibet peculiarem explicationem exigit, & meretur. Quare rem totam quatuor sectionibus pertractabimus, quæ universum hunc de certitudine tractatum complectentur.

SECTIO PRIMA.

TESTIMONIUM SENSUS INTIMI.

381. S*Ensus intimus* est vox hæc interior, hoc experimentale judicium, quod substantiam cogitantem, atque sensibilem, qua animamur, docet quomodo afficiatur a suis ideis, a suis opinionibus, a suis judiciis, a suis ratiocinationibus, a suis intimis sensationibus, a suis desideriis, a suis doloribus, a suis voluptatibus, a suis determinationibus, a suis persuasionibus, a suis reminiscentiis; uno verbo, ab omnibus modificationibus, cujus ipsa subjectum immediatum est, & se in ipsa sentire faciunt.

382. EXPLICATIO I. Sensus intimi testimonium objectum habet dumtaxat *ipsas cogitantis, sensibilisque substantiæ modificationes*: neque se ultra extendit; non ad objectum externum, quod ipsæ habere possint; neque ad externam causam, quæ ipsas gignere potest. Exempli gratia:

I. Si adustionis sensationem habeo, quam ad manum meam refero, certus equidem sum sensu

su intimo, me molestam sensationem experiri, quam *adustionem* dico; in me enim illam sentio.

At mihi minime constat sensu intimo, me in manu mea materiali materialem adustionem habere, cujus actio ignis causa, aut occasio sit; fieri enim potest, aut miraculo, aut natura ipsa, sine miraculo, me hanc eandem adustionis sensationem experiri, quin ulla prope manum meam ignita materia sit; imo quin manus mea ullam patiatur impressionem illi ullo pacto similem, quam ignita materia illi proxima, aut contigua efficeret.

II. Ita quoque si unquam mihi persuadeam lunam, aut Saturnum homines incolere mei similes; equidem sensu intimo certus ero, me hanc persuasionem re ipsa habere; illam enim in me sentio.

At vero nequaquam sensu intimo certus ero, persuasionis hujus objectum re ipsa haberi; neque enim sensus intimus ullam cum extrinseco persuasionum mearum objecto connexionem habet.

III. Pari tandem modo, si effervescente, & illusa phantasia correptus imaginer intuitiva, puta, angeli visione frui; etsi inanis omnino hæc visio sit: equidem sensu intimo certus ero, imaginem, seu sensationem me habere, quam intuitivam angeli visionem dico; illam siquidem in me sentio.

At nullo omnino pacto certus ero sensu intimo, adesse mihi angelum, ad quem hanc visionem refero, quique visionem hanc excitet, ac terminet; sensus enim intimus interiores tantum animæ meæ modificationes mihi agnoscere facit; nihil vero mihi significat de harum modificationum causa, aut objecto.

383. EXPLICATIO II. Non omnes substantiæ cogitantis, atque sensibilis modificationes sunt sensus intimi objectum: illæ tantum ejus

objectum sunt, *qua illum sensibili, & distincto modo afficiunt*. Exempli causa:

Gratia sanctificans, peccati macula, habitus supernaturales, & infusi, imo habitus quidam naturales nullo pacto sensus intimi objectum sunt; nihil enim habent hæc omnia, quod cogitantem, sensibilemque substantiam afficiat, quodque eorum præsentiam annunciet, atque sentire faciat.

PROPOSITIO.

384. *Sensus intimus semper de objecto suo certitudinem infallibilem facit: seu semper cum objecti sui existentia infallibiliter connexus est.*

DEMONSTRATIO. Sensus intimi objectum, mihi, exempli gratia, est id, quod ego in anima mea sentio. Atqui quod in anima mea sentio, in illa necessario existit; perspicuum est enim, id, quod non existit, neque sentiri posse; quodque in anima mea non existit, in illa nequaquam sentiri posse. Quod ergo in anima mea sentio, in illa evidenter existit; ergo sensus intimus cum objecti sui existentia evidenter connexus est. Q. E. D.

OBJECTIONES REFELLENDÆ.

385. OBJECTIO I. Existentia mea, cogitationes meæ, mea gaudia, mei dolores sensus intimi objecta sunt. Atqui omnia hæc objecta possunt absolute non existere; ergo sensus intimus mihi plurium objectorum existentiam exhibet, quæ possunt non existere, & in quorum existentia hallucinari possum.

RESPONSIO. Existentia mea, cogitationes, sensationes, timores, spes, & cetera hujusmodi sunt ipsa quidem entia contingentia, quæ absolute existere, & non existere possunt, quorumque nihil est, quod existentiam necessario tra-

trahat. At quum in me hæc entia contingentia sentio, quum ipsa mei sensus intimi objectum sunt, evidens est, tunc ipsa necessario existere oportere; atque tunc eorum existentiam necessariam esse; non sane necessitate absoluta, sed *necessitate hypothetica*, quæ mihi plenissimam facit certitudinem; in judicio itaque, quod de eorum existentia fero, falli nequaquam possum.

386. OBJECTIO II. Historiæ insanos quosdam memorant, in quibus omnis sensus intimi certitudo corruere videtur. Inter hos duo præcipue animadversione digni sunt; eorum enim stultitia duas veluti stultarum persuasionum classes exhibet. Horum unus intime persuasus erat, se non amplius in vivorum numero esse, at vere, & re ipsa se mortuum esse. Alter vero constanti, & firma persuasione tenebat, se marinum piscem, se thynnum esse. His positis, sic procedo. Duo isti stulti sensum intimum sane habebant, alter quidem, se mortuum, alter se piscem esse; uterque tamen fallebatur; non ergo semper sensus intimus infallibilem objecti sui facit certitudinem.

RESPONSIO. Stulti æque, ac sanæ mentis homines in sensus sui intimi objecto neutiquam falluntur. Quamobrem præcedens propositio omnino universalis est, nec ullam admittit exceptionem.

I. Stultus, qui se vere, & re ipsa mortuum putabat, non sane status mortis, qui in ipso esset, sensum intimum habebat; hic enim status omnem sensum, ac proinde & sensum intimum necessario excludit. Contra vero stultus iste vitæ suæ sensum intimum habebat, quam stulte in regione, sive in populo mortuorum collocabat.

Se vivere sentiebat: en sensus intimi sui objectum, in quo minime fallebatur; sed vitiati cerebri vaporibus, & exlegis phantasiæ ac præpo-

posteri judicii deliriis illusus, nullo motivo apto persuasionem suam fundare sibi persuadebat, se in sepulchris vivere a vivorum commercio segregatum, funerea sindone involutum, umbris, & cadaveribus obsitum; atque in his fallebatur. At vero nihil horum cum sensus intimi objecto quid commune habet; sensus enim intimi objectum nec est, nec esse potest, nisi quod in cogitante, sensibilique substantia immediate existit.

II. Stultus alter, qui se marinum piscem, thynnum scilicet, putabat, ipse quoque propriæ suæ, non thynni existentiæ sensum intimum habebat; at delirans existentiam suam imaginabatur existentiæ piscis similem, qui illi alta mente defixus erat.

Propria existentia sensus sui intimi vere objectum erat; neque in hoc prorsus hallucinabatur. Existentiæ, ac naturæ suæ cum thynni existentia, ac natura similitudo objectum erat sensui intimo, & experimentali animæ judicio omnino extraneum. Hoc *judicii speculativi* objectum est, quod nullam certitudinem parit, nisi quum solido motivo innixum est; hujusmodi vero erat judicium speculativum illius fatui, de quo nunc sermo, quum existentiam suam, ac naturam thynni existentiæ, ac naturæ similem arbitrabatur.

VERÆ, ET FALSÆ PERSUASIONES.

387. OBSERVATIO. Fatui æque, ac sanæ mentis homines *intimas* habent *persuasiones*, quæ considerari possunt tum in ordine ad earum subjectum, tum in ordine ad earum objectum, tum ad earum intensitatem, tum ad earum motivum.

388. EXPLICATIO I. Hæ intimæ persuasiones *in ordine ad earum subjectum considerata* sunt tantum intelligentis, sensibilisque substan-

tiæ

tiæ modificationes; sive judicia ab hac substantia lata aut sine motivo, aut motivis plus, minusve solidis. Exemplum. Si intime mihi persuadeo, existere ens increatum, & creans; intima hæc persuasio est tantum animæ meæ modificatio, judicium tantum, verum illud, aut falsum sit, ab anima mea latum, illique immanens.

Solo intimo sensu intelligens, sensibilisque substantia de harum modificationum, de horum judiciorum, de harum persuasionum existentia certissima est; hæc enim omnia in se sentit. At solo intimo sensu minime certa est, objectum, quod hæ modificationes, hæc judicia, hæ persuasiones respiciunt, ita in se esse, ut ipsa cogitat; nihil enim in se, & a se habet sensus intimus, quod *persuasionis realitatem* cum objecti hujus persuasionis realitate connectat; & inter persuasionem, ejusque objectum necessario motivum extraneum ista connectens requiritur.

389. EXPLICATIO. II. Intimæ hæ persuasiones *in ordine ad objectum suum considerata* id tantum sunt, quod in objecto suo aut sine motivo, aut motivis magis, minusve solidis supponunt.

Exemplum. Si intime mihi persuadeo, Deum existere, sphæræ superficiem superficiei laterali cylindri circumscripti æqualem esse, lunam circa axem suum volvi mense uno; mearum persuasionum objectum est id, quod in diversis hisce objectis aut sine motivo, aut motivis magis, minusve solidis suppono: Dei scilicet existentia, hæc lunæ revolutio, perfectæ æqualitatis ratio inter sphæræ superficiem, & lateralem cylindri illi circumscripti superficiem.

390. EXPLICATIO III. Intimæ hæ persuasiones *in ordine ad earum intensitatem considerata* sunt tantum impressiones magis, minusque vividæ, judicia, quæ censentur magis, minus-

que

que tuta, quibusque magis, aut minus firmiter adhæremus.

Vis intensiva alicujus persuasionis, quantumvis magna, non jam ipsa per se probat, ejus objectum re ipsa existere; fatui enim, & phantastici persuasiones æque firmæ, saltem momento temporis, esse possunt, ac illæ sint, quas habet physicus, aut geometra; hoc tamen essentiali discrimine, quod fatui, & phantastici persuasiones cæcæ, & stolidæ nullo innixæ motivo, fundamento nullo, subito, & nulla ratione enascuntur, & evanescunt: contra vero physici, & geometræ persuasiones sive rerum evidentia innixæ, sive certis, tutisque observationibus, ratione, & motivis reguntur, solidæ sunt, firmæ, inconcussæ.

391. EXPLICATIO IV. Hæ intimæ persuasiones in ordine ad earum *motivum* consideratæ sunt tantum motivum ipsum, cui innituntur, quod ipsis majorem, minoremve certitudinem impertitur, easque majori, vel minori convincente, & persuadente vi cum suo objecto connectit.

Cujusvis persuasionis motivum objectum habentis substantiæ cogitanti, & sensibili extrinsecum, esse necessario debet aut idearum, aut sensuum, aut hominum testimonium. Fatui tantum, aut falsa somniantes persuasiones habere possunt sine motivo. Sanæ mentis homines nunquam sine motivo quidquam sibi persuadent; nec unquam persuasionis vis motivi vim excedit: Sint exempla.

I. Quum intime mihi persuadeo, superficiem trianguli esse factum basis in altitudinem, quodnam est motivum veritatem persuasionis meæ cum objecti sui veritate connectens? est *idearum testimonium*, sive rerum evidentia, quæ rem ita esse mihi ostendit.

II. Quum intime mihi persuadeo, lunam mense uno revolutionem suam circa axem confice-

re,

re, quodnam est motivum veritatem persuasionis meæ cum objecti sui veritate connectens? Est *sensuum meorum testimonium*, quod me docet, lunam mense uno revolutionem suam circa tellurem peragentem semper telluri eandem sui partem obvertere; quod fieri nequit, quin luna eodem tempore circa axem suum convertatur.

III. Quum intime mihi persuadeo, Sinarum imperium esse, quodnam est motivum persuasionis meæ veritatem cum obiecti sui veritate connectens? Est *hominum testimonium* unanimiter factum hoc historicum mihi contestantium; quod fieri nequit, quin objectum ab ipsis unanimiter contestatum verum sit.

IV. Si intime persuasus essem, Deum me interius, & immediate per se alloqui, meque novam aliquam sive practicam, sive speculativam veritatem docere, quodnam mihi necessarium motivum esset, ut persuasionis meæ veritas cum objecti sui veritate connecteretur; sive ut indefectibiliter certus essem, Deum ipsum esse, qui me alloquitur, & docet? necessarium mihi esset *signum miraculosum* plane manifestum, plane sensibile, atque irrefragabile, quo Deus, & præsentiam suam, & supernaturalem actionem mihi testaretur (164).

SECTIO SECUNDA.

IDEARUM TESTIMONIUM.

QUænam idearum nostrarum natura est? Quamnam ideæ nostræ certitudinem nobis impertiri possunt? Quænam idearum, & sensationum nostrarum origo est? Hæ sunt præcipuæ quæstiones, quæ de hoc maximi momenti argumento humanarum cognitionum institui possunt

ſunt: has quatuor ſequentibus paragraphis pertractabimus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

IDEARUM NATURA.

391. DEFINITIO. R*EI ideam* appello, intimam, & mentalem perceptionem, quæ ejus eſt imago intellectualis: in quo *ideam* diſtinguo, quæ ſemper perceptio in imagine eſt, a *ſentatione* quæ ſæpius perceptio eſt ſine ulla imagine. Exempli gratia.

I. Quum mentalem perceptionem habeo trianguli, quadrati, cubi, cylindri, juſtitiæ, probitatis, beneficentiæ, harum rerum imagines intellectuales habeo: contra vero quum mentalem perceptionem habeo frigoris, & caloris, dulcis, & amari, famis, & ſitis, ſoni gravis, & acuti, nullam horum imaginem intellectualem habeo.

II. Idea objectum ſuum irradiat: ipſa clara luce ejus naturam, & proprietates, & relationes, & nexus menti detegit. Non ita ſenſatio objectum ſuum irradiat: tantum ejus præſentiam annunciat, & ejus cæcam perceptionem parit, neque ejus naturam, & intimas proprietates clara luce detegit.

Ex trianguli idea ejus naturam, & intimas proprietates dignoſco; ex abſynthii ſenſatione tantum corporis exiſtentiam, & præſentiam dignoſco, quod mihi amaritudinis perceptionem parere aptum eſt; nec quidquam illius proprietatis dignoſco, qua mihi amarum videri aptum eſt.

III. Idea quævis ſemper eſſentia ad objectum aliquod relationem dicit; patet enim rei imaginem ſemper eſſentia ſua ad rem, cujus imago

go est, referri. Ideæ objectum est res repræsentata: idea ipsa est actus repræsentans.

393. ASSERTIO I. *Certum est, ideas rerum esse earum imagines.*

EXPLICATIO. Ipse sensus intimus nobis hanc veritatem testatur: hanc nos exemplis aliquot peculiaribus illustrabimus, quæ aliis accommodare facile quisque poterit.

I. Perito pictori ideam præbeo, quam habeo, octogoni regularis, cubi, pyramidis triangularis rectæ, & regularis, illique munus impono tria hæc objecta geometrica mihi accurate describendi.

Quum hæc objecta ab ipso descripta pictor mihi offert, ea considero num congruant, an non ideæ, quam illorum præbui, *imagini* illi *prototypæ*, quam illorum in mente mea video, & sentio.

II. Pari modo testis fui præclari, novique facinoris sive militaris audaciæ, sive beneficæ liberalitatis: hoc lyrico poetæ narro, qui œstro correptus odem hoc argumento, & posteritate dignam canere instituit.

Quum poeta odem suam mihi recitat, rem gestam ab ipso carminibus expositam, cum ea, cujus ideam illi tradidi, cujusque *ideam archetypam* in mente mea servo, comparo; & num utraque invicem congruat perpendo.

III. Pari adhuc modo, si aut machinæ, aut ædificii artificio, & structura novi formam mente concepi, quæ perito sive artifici, sive architecto construenda commiserim: opere expleto, perpendo num ad exemplar a me traditum elaboratum sit, atque omnino conforme, *imagini archetypæ*, quam in mente mea servo, quamque sensus intimus in mente mea existere mihi ostendit (35).

IV. Nec secus in iis, quæ ad ingenium, & ad mores spectant, judicia nostra semper diriguntur *a præexistentibus, & archetypis imaginibus*

bus perfectionis earum rerum, quæ horum judiciorum objecta sunt.

Exempli causa: judico, hanc, vel illam actionem honestam, aut inhonestam esse, æquam, aut iniquam, nobilem, aut vilem; propterea quia eam conformem video, aut non conformem imagini archetypæ honestatis, justitiæ, nobilitatis, quam menti meæ insculptam sentio. Ædificium ad artis regulas magis, minusve extructum judico, odem magis, minusve harmonicam, tragediam magis, minusve animos movere aptam, orationem magis, minusve eloquentem; propterea quia hæc invenio magis, minusve conformia ideis, & imaginibus archetypis proportionis, harmoniæ, pietatis, eloquentiæ, quas in me percipio, & sentio, & cum quibus diversa hæc objecta confero.

V. Nonnumquam accidit, nos veluti necessario de quibusdam rebus præpostera judicia ferre; atque hoc ideo, quia aut *ideas archetypas* eorum, de quibus judicium ferre volumus, non habemus, aut ideo quia horum ideas nobis effinximus incongruas, atque fallaces.

Exempli gratia: cæcus de coloribus judicium ferre volens, præpostere necessario judicat; horum enim prototypis ideis caret: Americanus in silvis enutritus, qui pulcrum judicat corpus, cujus cutis nigro, & rubro colore intime impresso variegata sit, ideam pulcritudinis vitiosam sibi effingit; & ad hanc prototypam ideam judicans, non nisi præpostere judicare potest.

394. ASSERTIO II. *Certum est, ideas rerum esse earum imagines spirituales.*

EXPLICATIO. Rei cujuscumque sive materialis, sive immaterialis idea evidenter est substantiæ intelligentis, atque sensibilis, spiritualis scilicet, modificatio; atqui hujusmodi modificatio non nisi spiritualis esse potest (209 & 227).

I. Instinctus, ratio, philosophia omnis sive sim-

simplicior, sive sublimior, omnia denique nobis aperte indicant, absurdum fore, si peteres quot lineas, aut linearum partes longa, lata, & profunda idea sit; quot lateribus terminetur, num salientes, aut regredientes angulos habeat; plana ne sit, an convexa, an concava sphærica ne sit, an cubica, an conica, an pyramidalis, & alia hujusmodi.

Philosophus sis, aut non sis, natura ipsa senties, nihil tale, nihil hujusmodi ideæ intellectuali, ut hæc in sensibili, & intelligente substantia est, convenire posse.

II. Imagines in oculi retina a radiis effectæ aut a lucido corpore emanantibus, aut ab illuminati corporis superficie reflexis, *imagines sunt materiales, atque extensæ*; in substantia enim materiali, atque extensa recipiuntur; at vero hæ imagines retinæ impressæ nihil habent cum *imaginibus intellectualibus* in intelligente, sensibilique substantia existentibus: illæ enim sine his, atque hæ sine illis existere possunt.

In retina oculi ab humano capite avulsi, & fenestræ clausæ foramini appositi, eædem materiales imagines viderentur, quæ in viventis hominis retina videbantur. Non igitur materiales hæ imagines, quæ nunc habentur, imagines intellectuales sunt, quæ non amplius habentur.

Hodie nitidissimam, atque clarissimam ideam habeo turris cylindricæ, quam viginti ante annos vidi, nec postea unquam vidi. Intellectualis turris hujus imago in anima mea existit, licet materialis hujus turris imago jamdiu ab oculo meo deleta sit: patet itaque, unam non esse alteram.

PLÆRAQUE DE IDEIS COROLLARIA.

395. COROLLARIUM I. *Negationes, privationes, nihilum, chimaricum nequeunt esse ideæ objectum.*

DE-

DEMONSTRATIO. Negationes, privationes, nihilum, chimæricum nullas habent reales proprietates, nulla sive materialia, sive immaterialia lineamenta, quæ in intelligente, sensibilique substantia pingi, aut imprimi possint; non ergo objectum ideæ esse possunt, quæ necessario imago esse debet aliquid referens (51 & 235).

396. COROLLARIUM II. *Quidquid ideæ est objectum, illud reale est, sive existens, sive possibile.*

DEMONSTRATIO. Quod objectum reale non est, neque existens, neque possibile, intelligibilia lineamenta non habet, quæ mens arripere, & referre possit. Quidquid ergo a mente arripitur, & refertur aliquas habet reales proprietates, & aliqua intelligibilia lineamenta. Ergo quidquid a mente arripitur, & refertur, objectum est reale, sive existens, sive possibile.

Quum mens nostra negationes concipit, privationes, vitium, nihilum, chimæricum, numquid aliquid reale concipit? Nequaquam; tantum concipit, aliquid reale, cujus ideam habet, non existere. Non sane formalem, directamque ideam habet nihili, chimærici, vitii, negationis, privationis: tantum oppositi, quod non existens sibi repræsentat, aut judicat, ideam habet.

397. COROLLARIUM III. *Idea quavis est objecto suo conformis conformitate repræsentationis.*

DEMONSTRATIO. Ut inter ideam repræsentantem, & objectum repræsentatum conformitas repræsentationis habeatur, quid requiritur? unice, & tantum, proprietates ideæ repræsentanti insculptas in objecto repræsentato inveniri; & quæ in objecto repræsentato sunt, eas in idea repræsentante impressas esse.

At vero evidens est, hanc conformitatem sem-

ſemper neceſſario inter ideam quamcumque, & ejus objectum haberi. Quid enim quæſo eſt idea quævis? Imago eſt intellectualis objecti exiſtentis, aut poſſibilis, quod ſpeciem, & lineamenta in hac idea impreſſa habet, aut habere poteſt. Quid vero eſt hujus ideæ objectum, in quo hæc lineamenta impreſſa ſunt? Eſt objectum exiſtens, aut poſſibile, cui ſpecies, & lineamenta congruunt in hac idea impreſſa.

Exempli gratia: quid eſt idea cubi diametro unius pedis? eſt hujus cubi imago, & nihil præterea. Quid vero eſt objectum intellectualis hujus imaginis cubum unius pedis diametro referentis, & nihil ptæterea? Eſt cubus hic ipſe hac imagine repræſentatus, & nihil præterea.

398. NOTA. *Tabula materialis*, ut idea mentis, ſemper neceſſario conformis eſt objecto ſuo conformitate repræſentationis.

Quid enim eſt tabula materialis? Eſt viſibilium ſignorum, & lineamentorum viſibilium collectio aliquid exiſtens, aut poſſibile, regulare, aut irregulare referentium. Quodnam vero eſt materialis hujus tabulæ objectum? Eſt res ipſa ab hac tabula repræſentata, & nihil præterea.

Reale tabulæ objectum eſt præciſe ea ipſa res, cujus ſpeciem, & lineamenta continet: quare hoc pacto tabula quæcumque ſemper objecto ſuo reali conformis eſt; etſi ſæpius hujus tabulæ reale objectum non illud ſit, quod pingere pictor intendebat, aut quod ſpectator tabulam conſiderans, atque perpendens in mente habet.

399. COROLLARIUM IV. *Qualibet idea eſſentialiter vera eſt veritate repræſentationis.*

DEMONSTRATIO. Veritas ideæ nec eſt, nec eſſe poteſt, niſi ejus conformitas objecto, quod repræſentat (99). Atqui, juxta præcedens corollarium, idea quævis ſemper eſſentialiter hanc habet conformitatem; ergo idea quævis ſem-

ſemper omnem, quam habere poteſt, habet veritatem, nempe repræſentationis.

At, inquies, frequens auditur querela, nec iniqua, hunc, vel illum *falſas ideas* habere magnificentiæ, militaris virtutis, honeſtatis, ſtyli ſublimis, mollis, elegantis, cetera. Si ideæ omnes veræ ſunt, quid eſſe dicemus falſas has ideas, de quibus tantus clamor? Intellige *falſa judicia*; in re hac enim *idea* nomine iſta ſignificantur.

I. Falſas magnificentiæ, honeſtatis, ſtyli ſublimis, &c. ideas habemus, quum magnificum, honeſtum, ſublime id judicamus, quod re ipſa non eſt hujuſmodi. Hoc ſenſu ignorantia, præjudicium, pravæ cupiditates falſis ideis mentem imbuunt; falſis nempe judiciis.

II. Olim Europa barbarie Gothica ferociens falſas ſibi militaris virtutis ideas effinxerat, quum eam ſtatuiſſet in inſania mortis temere obeundæ certaminibus ſingularibus, quibus nullo patriæ bono maxime ſtrenui regni defenſores, fruſtra contra hæc vocem attollentibus ratione, religione, divinis, humaniſque legibus, in dies interibant.

Idea omnis ea referens, quæ feroces has, inſanaſque pugnas comitabantur, vera erat; judicium vero, quod pugnis hiſce gloriam, meritum, honorem tribuendum cenſebat, falſum erat.

IDEARUM DIVISIO.

RERUM IDEÆ ESSENTIALES, ET ACCIDENTALES.

400. DEFINITIO. Ideæ in ordine ad objeㄧctum, quod repræſentant, conſideratæ, in eſſentiales, & accidentales dividi poſſunt.

I. Rei alicujus *idea eſſentialis* proprietatem rei repræſentatæ eſſentialem exprimit. Ejuſmodi

di idea est hominem referens ut rationis participem; ejusmodi & idea Deum ut infinite sapientem, & potentem referens; ejusmodi est idea animal generice mihi referens ut substantiam organicam, & viventem.

II. Rei *idea accidentalis* proprietatem rei repræsentatę accidentalem repræsentat. Hujusmodi est idea hominem referens, puta, Aristum, ut divitem, aut pauperem, ut vitiis deditum, aut virtute præditum; hujusmodi idea est mihi planetam referens ut successive ab idealis suæ curvæ puncto ad aliud ejusdem curvæ punctum transeuntem.

401. NOTA. Quum mihi planetam in curva procedentem repræsento, motus hic, & transitus successivus a curvæ puncto ad aliud evidenter est quid planetæ ipsi accidentale; patet enim sine hoc motu planetam existere posse.

I. Motus, quem in planeta mihi repræsento esset quid planetæ essentiale, si in ipso non nisi *motum possibilem*, seu motus concipiendi potentiam intelligerem.

II. At non hoc tantum in planeta intelligo, quum illum actu progredientem mihi repræsento, neque enim tantum illum mihi exhibeo ut aptum a curvæ suæ puncto ad aliud transire; sed ut actu vera totius suæ massæ translatione ab uno ad aliud curvæ suæ punctum re ipsa transeuntem mihi repræsento.

IDEÆ INCLUSIVÆ, EXCLUSIVÆ, PRÆCISIVÆ.

402. DEFINITIO. Rei idea aut *inclusiva* est, aut *exclusiva*, aut *præcisiva*; quum aut rem necessario includit, aut aliam rem necessario excludit, aut ab alia re abstractionem facit, quin eam essentialiter includat, aut excludat. Exempli gratia,

I. Idea trianguli tres angulos, & tria latera essentialiter *includit*; quartum angulum, & quartum latus essentialiter *excludit*; ab angulorum, & laterum magnitudine *abstractionem facit*.

II. Idea hominis conjunctionem corporis organici cum anima spirituali essentialiter *includit*; naturam automatis, & bruti essentialiter *excludit*; ab ingenio, a virtutibus, & ab omnibus proprietatibus homini accidentalibus *abstractionem facit*.

IDEÆ IMPLICITÆ, ET EXPLICITÆ.

403. DEFINITIO I. *Idea* rei *explicita* est, quæ hanc ipsam rem propria ejus forma, propriisque intelligibilibus lineamentis directe repræsentat.

I. Exempli gratia: ideam habeo explicitam trianguli æquilateri, quum tres æquales lineas, & ad tres æquales angulos positas directe in se ipsis concipio.

II. Ita quoque quadrati ideam explicitam habeo, quum quatuor rectas æquales, & ad angulos rectos positas directe in seipsis concipio.

404. DEFINITIO II. *Idea* rei *implicita* ea est, quæ rem hanc non directe, & in se ipsa repræsentat, at indirecte, & media aliqua necessaria relatione, quam ad illam habet alicujus alterius ideæ objectum. Exempli gratia:

I. Idea legis naturalis obligatoriæ exprimit primo directe, & explicite obligationem ab hac lege impositam; deinde indirecte, & implicite *supremum Legislatorem* exprimit, ad quem lex ista *necessariam relationem* dicit, & sine quo obligatoria esse nequit.

Quare in idea explicita legis naturalis obligatoriæ, si eam re ipsa obligatoriam supponamus, includitur *idea implicita* supremi Domini, nempe Dei.

II. Pa-

II. Pari modo *Idea creaturæ intelligentis, & liberæ* exprimit primo directe, & explicite hujus creaturæ intelligentis, & liberæ naturam; deinde indirecte, & implicite exprimit extra creaturam Ens creans, sine quo ulla prorsus creatura esse nequit; in creatura permanentem ab hoc Ente creante dependentiam, quæ essentialiter ab omni creatura est inseparabilis; in eadem quoque creatura obligationem, quæ auferri nunquam potest, se dirigendi ratione ipsi ab hoc eodem Ente creante impertita, ut ea duce & in physico, & in morali ordine procedat.

Quare in idea explicita creaturæ intelligentis, & liberæ, si reipsa intelligentem, & liberam eam supponimus, includitur *idea implicita* & entis creantis, & plurium hujus creaturæ ad Ens istud relationum.

III. Adhuc tertio, in *idea Essentiæ infinite perfectæ*, si supponamus hanc existere, includitur *idea implicita* sapientiæ infinitæ, bonitatis, & justitiæ infinitæ, absolutæ independentiæ, existentiæ æternæ, potentiæ nulla ex parte limitatæ; sine enim hoc perfectionum cumulo hæc essentia nequit existere infinite perfecta.

IV. Tandem *idea cylindri sphæræ circumscripti* exprimit primo directe, & explicite hanc sphæram, & hunc cylindrum; deinde indirecte, & *implicite*, saltem geometræ, relationes exprimit quasdam superficiei, & soliditatis inter hæc duo solida.

IDEÆ CLARÆ, DISTINCTÆ, SIMPLICES, COMPLEXÆ, COMPLETÆ.

405. DEFINITIO I. *Idea clara* dicitur, quæ clare, & nitide objectum suum repræsentat.

I. *Objecta geometrica*, cujusmodi sunt triangulum, circulus, sphæra, conus, & reliqua semper ideis claris referuntur, aut referri possunt.

II. *Objecta sensibilia*, ut hæc arbor, hæc domus, hic leo, hic homo, diversarum clararum idearum objecta sunt, quum idea ea ferme repræsentat, ut repræsentaret, si oculo bene constituto, & in pura, ac nitida luce adessent.

III. *Res aliqua gesta* ideæ claræ, seu idearum clararum seriei objectum est, quum ejus mens meminit, eo ordine, iisdemque factorum, & temporis adjunctis, quibus re ipsa contigit.

406. DEFINITIO II. *Idea obscura* dicitur, quæ qualitatibus caret ideam claram facientibus.

Idearum nostrarum causa est aut *organorum nostrorum actio*, quæ ab objectis affecta potiorem earum partem gignunt sive ut causæ efficientes, sive ut occasionales; aut *mentis nostra actio*, quæ magnam idearum quoque sibi copiam efficit propriis animadversionibus, nullo peculiari organorum influxu.

I. Ideæ sensuum ministerio partæ sæpius obscuræ sunt; sive quod impressio ab objectis in organis aut nimis tenuis est, aut nimis tumultuosa; sive quod, posita etiam impressione recte ab objecto facta, organum, quod eam recepit, aut nimis rigidum fuit, aut nimis laxum, ut & apte impressionem admitteret, & apte ad animam deferret; sive tandem, quod memoria, in qua servari debent, veluti in gazophylacio, objectorum impressiones, aut nimis impressioni admittendæ resistit, aut veluti nimis mollis, & laxa est, ut nitide impressionem factam servet.

II. Ideæ, quas sibi mens nostra parit, sæpius obscuræ sunt; sive quod eas ad exemplaria aut male memoriæ insculpta, aut partim deleta effingit; sive quod eas format ordine non recte servato, ea jungens, quæ sejuncta esse debent, ea sejungens, quæ simul esse deberent, ea præponens quæ postponenda essent, & informem imaginem, atque chaos ex objectis temere assumptis sibi componens.

407.

407. DEFINITIO III. *Idea distincta* dicitur, quæ ita objectum refert, ut per ipsam mens illud ab alio quocumque objecto distinguere possit. Hujusmodi est idea, quam habeo cubi, mei conclavis, mei horologii; cetera.

408. DEFINITIO IV. *Idea confusa* dicitur, quæ objectum ita repræsentat, ut per ipsam mens illud cum alio objecto confundere potest. Exempli gratia:

I. Idea, quam passim habemus tigridis, confusa est; tigridem enim cum leopardo confundit.

II. *Ideæ* omnes nostræ *genericæ* in ordine ad genera distinctæ sunt, & esse debent, genus unum cum alio non confundentes; confusæ vero in ordine ad species, & individua, speciem cum specie, & individuum cum individuo confundentes.

III. *Ideæ* quoque nostræ *specificæ* in ordine ad species distinctæ sunt, & esse debent; in ordine ad individua confusæ.

409. DEFINITIO V. *Idea simplex* dicitur, quæ pure, & simpliciter rem unicam repræsentat, quin in hac ipsa re unica qualitatem, aut modificationem ullam repræsentet.

I. Hujusmodi idea est, quæ simpliciter, nullaque qualificatione Deum, animam humanam, triangulum, cubum repræsentat. Idea quoque quæ simpliciter, nullaque qualificatione, Aristum, aut hominem in genere, hunc leonem, aut leonem in genere, terram, mare, regnum, exercitum, cælum, materiam, aut substantiam in genere repræsentat.

II. Res censetur unica, etsi in se composita sit, quum eam ut unicam considerare solemus, totam unica idea comprehendentes, & unico nomine nuncupantes. (88).

410. DEFINITIO VI. *Idea complexa* dicitur, quæ & rem, & aliquam rei qualitatem, aut modificationem repræsentat. Hujusmodi est idea

Ariſtum ut juſtum, leonem ut rugientem, planetam ut ſe moventem, atomum ut diviſibilem repræſentans; cetera. Ideæ complexæ claræ, aut obſcuræ ſunt pro idearum ſimplicium eas componentium claritate, aut obſcuritate.

411. DEFINITIO VII. *Idea completa* dicitur, quæ totum objectum, ad quod refertur repræſentat. Hujuſmodi eſt idea, quam habeo, cubi diametro unius pedis; maſſę ſacchari quatuor librarum pondo, magnitudinis conclavis quod incolo, motus accelerati corporis duorum minutorum ſecundorum tempore libere cadentis, quod primo minuto ſecundo quindecim, altero quadraginta quinque pedes percurrit.

412. DEFINITIO VIII. *Idea incompleta* dicitur, quæ objecti, ad quod refertur, partem tantum repræſentat. Hujuſmodi eſt idea, quam habeo, domus quum primum ejus frontem video, nec ejus quid ultra novi; hujuſmodi eſt idea, quam auri proprietatum haberem, ſi nunc primum metallum hoc videns, ejus tantum colorem, & gravitatem noviſſem. Hinc colliges pleraſque idearum noſtrarum incompletas fore, paucas admodum completas.

§. II.

CERTITUDO, QUAM IDEÆ NOSTRÆ PARIUNT.

413. OBSERVATIO. QUæcumque idearum noſtrarum origo ſit, certum eſt, *nos ideas habere*, haſque objecta realia nobis repræſentare; objecta nempe non chimærica, at exiſtentia, aut poſſibilia; ſive hæc objecta proprietates habeant, quas in illis concipimus, ſive non habeant.

Qua de re hæc magni momenti quæſtio inſtitui poteſt, aut hoc problema proponi: *Affirman-*

mandum ne de re aliqua quidquid ejus idea continet? aut pars eorum tantum, quæ rei hujus idea continet, de illa est affirmanda? aut nihil de iis, quæ hæc idea continet, est affirmandum?

Priusquam quæstioni respondeamus, & problema solvamus, ferme necesse est nonnullas speculationes generales præmittere, quibus & quæstio decidenda, & problema solvendum clarius explicetur.

414. EXPLICATIO I. Suppono primum in conclavi illi proximo, quod ego incolo, *hominem* esse, quem non novi; scio ibi illum esse, & nihil præterea. Idea, quam nunc hujus hominis mihi effingo, mihi in illo repræsento naturam unam humanam, procero habitu, magna prudentia donatam, magnis viribus, summaque probitate. Hæc est *idea actualis*, quam ejus habeo.

Ex hac idea complexa quidnam de subjecto, quod ejus objectum est, quodque tantum ut hominem cognosco, affirmare possum? Id affirmare possum, quod ab hominis essentia inseparabile concipio, quod in hominis idea essentialiter inclusum video, & nihil præterea. Quamobrem perquiro in hac idea complexa, quam arbitrio meo hujus hominis mihi effinxi, quid ab illa auferre possim, quin hominem destruam.

I. Cogitatione ex hac idea demo primum procerum habitum corporis, magnam prudentiam, magnas vires, summam probitatem, quæ omnia naturæ humanæ adjeceram; concipio vero, his etiam demptis, ideæ meæ objectum humanam adhuc naturam servans, eumque tantum adhuc subjectum fore, quod tantum ut hominem cognosco.

II. Ex hac eadem idea unum ex humanæ naturæ constitutivis cogitatione demo; nempe aut corpus organicum, aut animam intelligentem; jamque concipio, aut ambobus, aut alterutro ex

his demptis, ideæ meæ objectum non amplius subjectum illud fore, quod ut hominem cognosco.

Quare ideæ meę testimonio fretus infero, si in proximo conclavi homo existit, hominem hunc, quicumque sit, pusio, aut gigas, prudens, aut fatuus, probus, aut improbus, necessario corpus organicum & animam intelligentem habiturum; necessario, saltem natura, sentiendi, & ratiocinandi facultate præditum fore; hæc omnia enim in hominis idea essentialiter includuntur, neque sine his homo esse potest.

Non tamen hujus ideæ testimonio fretus inferam, hominem, si in proximo conclavi sit, ulla ex iis sive bonis, sive malis qualitatibus instructum esse, quas in illo idea mea mihi repræsentare potest; nulla enim harum in idea hominis essentialiter includitur; atque homo existere potest, quin ullam determinate ex iis qualitatibus habeat, sive bonis, sive malis, quas idea mea hominis naturæ pro arbitrio adjecit.

415. EXPLICATIO II. Suppono deinde in proximo conclavi substantiam esse impenetrabilem, & extensam, quam *materiam* voco, & cujus nihil mihi notum est: scio materiam hanc existere, & nihil præterea. Idea, quam mihi effingo, illam mihi repræsento duram, gravem, elasticam, in parvos cubos, aut globos divisam, in motu positam, aut quiescentem. Hæc est, quam ejus habeo, *idea actualis*.

Ex hac idea quid de subjecto, quod ejus objectum est, & quod ego *materiam* nuncupo, affirmare possum? Id affirmare possum, quod ab essentia materiæ inseparabile concipio, & in idea materiæ essentialiter inclusum, & nihil præterea. Inquiro itaque quid ex hac idea complexa materiæ, quam mihi pro voluntate effinxi, demere possim, quin materiam destruam.

I. Co-

I. Cogitatione demo primum ex hac idea aut duritiem, aut gravitatem, aut elasticitatem, aut figuram cubicam, aut sphæricam, aut motum, aut quietem, aut hæc omnia simul: atque concipio, his omnibus demptis, substantiam ab idea mea repræsentatam, impenetrabili adhuc extensione servata, materiam esse non desituram.

II. Ex hac eadem idea cogitatione demo tantum extensionem impenetrabilem; & concipio, dempta vera & propria extensione impenetrabili, magna, aut parva, a subjecto, quod ut materiam concipiebam, illud materiam amplius non fore.

Quare infero ex ideæ meæ testimonio, materiam, ubicumque existat, & quæcumque sit, aut esse possit, solida, aut liquida, aut fluida, necessario aliquam sive parvam, sive magnam extensionem habituram; extensionem enim impenetrabilem ut proprietatem a materia inseparabilem concipio; atque hæc impenetrabilis extensio ad quamcumque condensationem, aut compenetrationem redacta, aut redigi posse supponatur, semper essentialiter materiæ ideam ingreditur.

Non tamen hujus ideæ testimonio infero, hanc materiam, si in proximo conclavi, aut alibi existit, solidam esse, aut fluidam, aut elasticam, aut gravem, aut motam, aut quiescentem; nihil enim horum materiæ idea essentialiter continet; quin imo materia, saltem miraculo, sin minus natura, existere potest sine ulla harum qualitatum, quas illi idea mea pro libito materiæ tribuebat.

416. EXPLICATIO III. Si ex rerum idea de illis affirmari debet, & unice affirmari debet quidquid in ea idea essentialiter continetur, ut hactenus ostendimus; eadem ratione patet, id omne de rebus ex earum idea negandum esse, quod ab hac idea essentialiter excluditur, & id

unice, quod ex hac idea essentialiter excluditur. Exempli causa:

I. Quare, & qua ratione affirmo, *impenetrabilem extensionem* neque Deo, neque animæ humanæ, neque cogitationi tribuendam? Propterea quia in idea, quam horum habeo necessario inclusam video absentiam, & negationem impenetrabilis extensionis; neque amplius aut Deum, aut animam humanam, aut cogitationem concipio, si illis naturam, & proprietates impenetrabilis extensionis tribuo, aut suppono.

II. Quare contra ab *anima humana* virtutem, aut vitium, scientiam, aut ignorantiam non excludo? Propterea quia animæ humanæ idea virtutem, aut vitium, scientiam, aut ignorantiam necessario neque includit, neque excludit; proinde de his unice ex ideis meis nihil affirmare possum.

Posita prævia hac explicatione, qua *præcisus quæstionis hujus status* clara in luce collocatur, id unum nobis reliquum est, ut sequentem propositionem demonstremus, qua propositum problema optime solvitur, quamque ut primum omnium humanarum cognitionum principium consideramus.

PROPOSITIO FUNDAMENTALIS.

417. *De re affirmandum est quidquid in hujus rei idea essentialiter continetur: id omne negandum, quod ab ejus idea essentialiter excluditur.*

DEMONSTRATIO I. Vera est, & ineluctabilis propositio ista, si ipsa sit primum scientiæ omnis principium, & omnium mathematicarum, & metaphysicarum demonstrationum fundamentum; atqui hujusmodi est propositio ista; & hoc demonstro. *Omnis scientiæ primum principium*, omnium mathematicarum, & metaphysicarum propositionum fundamentum est ista propositio, si posita inconcussa ejus veritate, omnia stent scien-

scientiarum principia, omnes stent demonstrationes hisce principiis innixæ; infirmata, aut dubia hujus axiomatis veritate, omnia scientiarum principia, demonstrationes omnes iis innixæ corruant, & collabantur. Atqui ita est; quarumvis enim cognitionum principii, ac cujusvis seu mathematicæ, seu metaphysicæ demonstrationis certitudo semper necessario innititur tamquam basi, ac fundamento *veritate expressionis, & repræsentationis*, quæ in idea supponitur, quæque *infallibilem nexum* efficit inter ideam repræsentantem, & objecti repræsentati naturam. Exempli causa.

Undenam scio, duo uni tertio æqualia inter se æqualia esse? duo uni tertio identificata inter se esse identificata? non aliunde, nisi quia video in idea æqualitatis, aut identitatis duorum cum tertio necessario æqualitatem, aut identitatem illorum duorum inter se includi.

Undenam scio totum sua parte majus esse, & omnibus suis partibus simul sumptis æquale? non aliunde, nisi quod video, ideam totius necessario excessum super suam partem includere, & cum omnibus suis partibus æqualitatem.

Undenam scio, fieri non posse, ut eadem res eodem tempore sit simul, & non sit? non sane aliunde, nisi quia concipio, & video ideam esse semper necessario excludere oppositum non esse iisdem temporis, & loci circumstantiis. (47 & 53).

Pari modo undenam scio, triangulum in Anglia non esse quadratum, & tres trianguli angulos esse duobus rectis æquales? non nisi, quia idea trianguli cujuscumque quadratum essentialiter excludit, & æqualitatem inter ejus tres angulos, & duos rectos essentialiter includit.

Undenam scio, ratiocinationem rectam esse, & concludentem, ejusque consequentiam dubiam, aut suspectam esse non posse? non aliunde scio, nisi quia in duorum objectorum iden-

titate cum tertio, video, per rerum ideam, horum duorum identitatem inter se; sive quia video consequentiam ex duobus præmissis pro veris habitis legitime fluere; & evidenter concipio a duabus veris præmissis nihil falsum deduci posse.

Undenam scio, materiæ existentiam, mirumque naturæ ordinem necessario trahere existentiam Entis infinite perfecti, increati, & creantis? non aliunde, nisi quia idea materiæ excludit essentialiter facultatem a se existendi, se movendi, & a se apto ordine se distribuendi; ideamque existentiæ hujus, atque ordinis, quæ duo re ipsa existere suppunantur, necessario includere, & supponere Ens infinite potens, infinite intelligens, infinite perfectum, quod a nullo, nisi a se æternam & essentialem existentiam habeat.

Undenam scio, Ens infinite perfectum, si existit, esse debere infinite sapiens, infinite sanctum, infinite justum, essentia ipsa incapax falli, aut fallere? non nisi, quia idea Entis infinite perfecti essentialiter omnes perfectiones continet, & defectus omnes, ac vitia his perfectionibus opposita essentialiter excludit.

Ergo admissis diversarum scientiarum principiis, demonstrationibusque hisce principiis innixis, semper cum omnibus metaphysicis, dialecticis, geometris, omnibusque entibus cogitantibus supponitur propositionis fundamentalis, quam modo explicavimus, atque statuimus, veritas, ac certitudo. Ergo propositio ista vera est, & inconcussa. Q. E. D.

418. NOTA. Hæc quoque propositio & *dilemate*, & *observatione*, quæ duo in modo expositis æquivalenter continentur, demonstrari potest. Hæc nova quadam in luce poni, novaque specie proponi possunt, ut duobus sequentibus demonstrationibus apparebit.

DEMONSTRATIO II. A te peto, qui in du-

dubium revocas, aut revocare velles propositionem fundamentalem, quam nos inconcussam, *primumque scientiæ omnis principium* asserimus, an fieri possit, nec ne, ratiocinatio solida, atque concludens? en dilemma, quod tibi objicio, quodque in Pyrrhonicum quemvis obverti potest.

I. Si hujusmodi ratiocinationem fieri posse negas, aut dubitas, disputatio jam omnis cessat; neque enim diputatur, aut differitur cum negante, aut in dubium revocante rationem, aut ratiocinandi facultatem.

II. Si hujusmodi ratiocinationem fieri posse concedis, jam verum, certumque principium supponis, quod in dubium revocare affectas; ergo id supponis de rebus affirmari debere, quod in rerum ideis mens essentialiter inclusum videt. Undenam enim vim deducis, & in quo certitudinem statuis consequentiæ, quam legitimam habes? Undenam, quum ratiocinaris nosti ratiocinationem tuam rectam esse, & concludentem? Non sane aliunde nosti, aut novisse potes, nisi quia mens tua infallibiliter videt, tui ratiocinii consequentiam apte in præmissis contineri, apteque ab illis deduci. Supponis ergo præmissis essentialiter inclusum quod mens tua clare videt, & judicat præmissis essentialiter inclusum. Supponis ergo *præmissarum objectum* essentialiter id continere, quod mens tua evidenter videt, & judicat, in hoc præmissarum objecto essentialiter contineri.

III. Si ergo das, ratiocinium fieri posse solidum, atque concludens; hoc ipso necessario dabis, mentem tuam non esse veluti *speculum mendax*, quod tibi in objecto exhibeat, quod in objecto non est, & in rebus, quod iis non inest. Necessario itaque fatebere, ideas non esse mendaces, falsasque imagines; rebusque plena, summaque certitudine id tribuendum esse, quod ideæ ut essentialiter in rerum natura inclusum

re-

repræſentant; a rebus vero id omne excludendum, quod ideæ a rerum natura eſſentialiter excluſum repræſentant. Q. E. D.

DEMONSTRATIO III. Novimus demonſtrationes omnes mathematicas unice inniti idearum teſtimonio. Mathematici enim id omne de rebus affirmant, quod in earum ideis eſſentialiter contineri vident; de rebus id negant, quod ab earum ideis eſſentialiter excluſum vident; neque quid de rebus affirmant, aut negant, niſi quod aut in earum ideis eſſentialiter contentum, aut ab his eſſentialiter excluſum vident. Quare mathematici in ſuis demonſtrationibus quibuſcumque ſupponunt ſemper, id de rebus affirmandum, quod in earum ideis mens evidenter incluſum videt; id negandum, quod ab earum ideis mens evidenter excluſum videt.

At enimvero nemo ſanæ mentis homo mathematicas demonſtrationes in dubium revocat; ergo nemo ſanæ mentis homo in dubium revocare debet *principium fundamentale*, cui omnes mathematicæ demonſtrationes inſiſtunt, & innituntur: quod principium eſt ea ipſa propoſitio fundamentalis, quam nos explicandam, & ſtatuendam ſuſceperamus. Q. E. D.

OBSERVATIONES DE HOC FUNDAMENTALI PRINCIPIO.

419. OBSERVATIO I. Propoſitio fundamentalis a nobis ſtatuta *primum* ſcientiæ omnis *principium* evidenter eſt: ut enim ſtatim in prima demonſtratione oſtendimus, cetera principia omnia iſtius propoſitionis veritatem ſupponunt; & hæc nullius alius principii veritatem ſupponit.

I. Certum eſt, res a mente noſtra immediate in ſe ipſis non videri: eas enim tantum videt, & videre poteſt in intellectualibus earum imaginibus, ideis, ſcilicet, quas earum habet. Exempli gratia, nos Lutetiæ Pariſiorum in ſe

ipſis

ipsis non videmus trianguli proprietates, aut cubi, quas figuras in Anglia esse suppono, aut in Sinarum imperio: has itaque proprietates videre, & dignoscere nequimus nisi in ideis, quas earum in mente nobis efficimus.

Si ergo mens nostra certa est, se cognitionem aliquam certam rerum habere, quæ extra ipsam sunt, necessario supponit, rerum harum naturam fideliter exprimi in ideis, quas habet; ac proinde ideas suas erroneas non esse, neque fallaces.

II. At enimvero quam *directam probationem* mens nostra habere potest, res extra ideas esse, ut eas in ideis videt? Nullam, nisi se evidenter concipere, & necessario judicare, res in se ipsis esse, ut in essentialibus earum ideis exhibentur. *Idearum veracitas* factum est, quod semper necessario supponi debet, neque directe principio ullo scientifico demonstrari potest; hæc enim idearum veracitas ipsa est, quæ omnia principia scientifica directe statuit.

Quare fundamentalis propositio a nobis statuta nulla anteriori veritate, certiori, magisque nota directe statui, ac demonstrari potest; nec nisi *indirecte* statui, ac demonstrari potest, ostendendo, hac veritate rejecta, omnia scientifica principia stulte, & præpostere dirui, & everti. In demonstratione a nobis allata propositionem hanc non jam directe probamus per aliam aliquam certiorem, magisque evidentem propositionem: tantum ostendimus, ceteras omnes propositiones demonstrandas necessario ab hujus propositionis veritate pendere, ejusque veritatem necessario supponere.

420. NOTA I. Frustra ad *idearum veracitatem* directe probandam diceres, *ideam omnem essentialiter objecto suo conformem esse*.

Ita sane; at unde nosti ideam omnem essentialiter objecto suo conformem esse, nisi ex idearum testimonio? Quum judicas, ideam omnem essen-

essentialiter objecto suo conformem esse, idearum veracitatem, quin directe probes, evidenter supponis.

421. NOTA II. Frustra adhuc ad idearum veracitatem directe probandam diceres, propositiones idearum testimonio innixas esse tantum hypotheticas; mentemque meam quum circulum, puta, concipit, tantum affirmat: *si objectum illi simile, cujus ideam habeo, existit, hoc extra mentem illas habebit essentiales proprietates, quas in idea habet.*

Ita quoque profecto; at unde novi, si objectum illi simile, cujus ideam habeo, existeret, hoc extra mentem eas habiturum essentiales proprietates, quas in idea habet? exempli gratia, si in Anglia, aut in Sinensi imperio circulus existit illi similis, cujus ideam habeo, hunc extra mentem meam existentem habiturum peripheriam ubique a centro æque distantem?

Patet, me id non nosse, nisi quia evidenter video, in idea mea, rem ita esse, & esse debere. In hoc igitur judicio suppono id ipsum, cujus nullam directam probationem afferre possum; ideas nempe fallaces non esse, easque veracitatem re ipsa habere,

422. OBSERVATIO II. Illustris Cartesius sæculo proxime superiore omnes acuti sui, ac fœcundi ingenii nervos contendit, *ut principium aliquod certum, & inconcussum detegeret, quo directe idearum veracitatem ostenderet.*

At omnes Cartesii conatus, ut & omnium philosophorum qui præcesserunt, quique subsequuti sunt, inanes, ac frustranei fuerunt; idque tantum præstiterunt, ut binas paralogismorum species parerent, quorum vitium detegere statim pergimus.

Ut hanc *directam veracitatis idearum probationem* afferret, Cartesius *intimum existentiæ nostræ sensum* tamquam fundamentale principium statuere conatus est, a quo demonstratione deduce-

duceretur existentia Dei, sive entis necessario a se existentis, & essentialiter omni perfectionum genere infiniti; deinde *existentiam Dei demonstratam* statuere conatus est principium fundamentale, quo idearum veracitas demonstrari posset.

In hac Cartesii methodo vir summus elucet, at qui novas sibi vias sternere volens, aberrat, & diversus abit.

Hic nos satis explicitam binarum harum Cartesii demonstrationum ideam tradere aggredimur, & ostendere qua parte, & qua ratione sophisticæ, & caducæ sint.

423. PARALOGISMUS I. Ut novum sibi pararet demonstrationis medium, quod ab idearum veracitate non penderet, & unice irrecusabili sensus intimi testimonio inniteretur, Cartesius *primum*, *&* *directum* cognitionum nostrarum omnium speculativarum *principium* facere aggressus est veritatem hanc experimentalem, de qua nemo dubitare potest: *ego cogito*; *ergo existo*.

I. Hac posita veritate Cartesius se posse arbitratus est Dei existentiam demonstrare, idearum veracitate non supposita, hoc pacto: ego cogito; ergo existo; ergo existit causa primitiva meæ existentiæ; ergo existit causa a se essentialiter existens; ergo existit causa omni perfectionum genere infinita, quam Deum voco.

II. At enimvero veritas hæc experimentalis: *ego cogito*; *ergo existo*, neque primum principium est, neque principium directum; imo neque principium est; neque enim veritas est, quæ ipsa, & per se sit veluti aliarum veritatum mater fœcunda (43 *&* 44).

Veritas hæc exprimentalis nobis quidem certa est, imo veritatum omnium certissima; nulla enim hac magis indubitate ab ipso sensus intimi testimonio innotescit, & confirmatur. At hæc veritas est solitaria, a qua nulla alia ve-

trias

ritas emanat; & quæ ſe ipſa, & ab idearum teſtimonio ſejuncta nullam aliam cognitionem parit, aut parere poteſt.

III. Hæc ipſa conſequentia; *ergo exiſto*, ut conſequentia conſiderata, & ut a ſenſu intimo ſe uncta, certa, ac indubitata non evadit, niſi quia ſupponit, id de rebus affirmandum eſſe, quod in earum idea eſſentialiter incluſum apparet; entis cogitantis exiſtentiam affirmandam eſſe, propterea quia concipimus, illud cogitare non poſſe, quin exiſtat.

424. PARALOGISMUS II. Ut ſubinde directa demonſtratione idearum veracitatem ſtatuat, Carteſius omnium cognitionum noſtrarum metaphyſicarum, & mathematicarum, ſive cognitionum omnium, quæ idearum teſtimonio nitorentur, principium fundamentale ponere inſtituit hanc veritatem, quam ſe prius ſolo ſenſus intimi teſtimonio ſtatuiſſe putabat: *Deus exiſtit, qui neque nos fallere poteſt, neque ſinere nos ſemper, & invincibiliter falli.*

At vero principium hoc Carteſianum aliqua quidem ratione firmiſſimum, & maxime philoſophicum, adeo fundamentalem propoſitionem a nobis ut ſcientiæ omnis primum principium poſitam, non probat, ut ipſum vere hac ipſa propoſitione, cujus ſemper, & ubique veritatem ſupponere neceſſe eſt, ſtatuatur, atque probetur.

I. Patet enim primo, Dei veracitatem mihi demonſtratione non probari, niſi quia in ideis, quas Entis Supremi habeo, eſſentialiter incluſam video ejus eſſentialem veracitatem. Ergo certa, quam habeo, divinæ veracitatis cognitio certitudine fundamentalis principii a nobis ſtatuti innititur.

Quare velle primitus idearum veritatem a Dei veracitate probare, eſt Dei veracitatem ab idearum veritate probare, & idearum veritatem a Dei veracitate; quod manifeſte eſt, ut ajunt

ajunt Dialectici, in circulum vitiosum labi (739).

II. Patet deinde, si *Dei existentia* nobis ineluctabiliter ratione patescit, & demonstratur; fieri hoc debere, quin idearum nostrarum veritas nobis prius ex divina veracitate comprobetur. Atque hoc omisso; quum juxta dialecticæ regulas *medium demonstrationis* (76, & 683) cognitione, & certitudine prius esse debeat demonstrationis objecto; si divinæ veracitatis cognitio necessaria esset ad omnium speculativarum cognitionum nostrarum certitudinem statuendam, nos certos esse oporteret, Deum essentialiter veridicum existere, priusquam certi essemus, Deum existere; quod est absurdum.

425. OBSERVATIO III. Qua ratione, quove philosophico ratiocinio *certus indefectibiliter fieri possum de Dei existentia, & veracitate*; supposita tantum propositionis fundamentalis statutæ veritate? Hac ratione.

I. Sentio, me existere: a me non existere percipio: omniaque entia mihi similia tantum ab alio existentiam habere potuisse.

Existit ergo in natura *Causa prima*, increata, quæ existentiam ab alio non accepit, quæque primitus primis auctoribus existentiam impertita est, a quibus successiónum serie, quæcumque hæc sit, ego existentiam habui.

II. Causa hæc prima increata, & creatrix, de cujus existentia mihi constat saltem mediate ex mea propria existentia, necessario natura sua prædita esse debet infinita intelligentia, infinita potentia, ac propterea perfectione omni genere infinita; neque enim infinita intelligentia, & potentia sine omnium perfectionum cumulo existere possunt; quin imo infinita intelligentia, & potentia evidenter opus fuit, imo & omnium perfectionum cumulo in causa, a qua primitus existentiæ meæ auctores extiterunt.

Ergo causa hæc prima, increata, & creatrix, omni

omni perfectionum genere infinita essentialiter natura sua perfectiones habet sapientiæ, rectitudinis, *veracitatis*.

II. Causa hæc prima, omni perfectionum genere infinita, essentia sua sapiens, amans recti, & veritatis, mendacii, & fallaciæ inimica mihi indere nequivit permanentem idearum seriem, ut ab his continenter, & perseveranter decipiar.

Non ergo mens mea est veluti *speculum mendax* ad me illudendum elaboratum; non ergo ideæ meæ infideles sunt, & illusoriæ in testimonio, quod mihi de rebus perhibent, quum mihi testimonium hoc evidenter verum, certum, irrefragabile videtur.

OBJECTIONES DILUENDÆ.

Quæ præcipue *in idearum testimonium* ingeruntur, seu contra certitudinem, quam ideæ faciunt, sunt connexionis defectus inter ideas, earumque objecta, humanæ mentis ad errorem proclivitas, suasiones illusoriæ, evidentia dubia, atque æquivoca, dubitationes, quæ de quibusdam cognitionis principiis oriri possunt, idearum natura ignota.

IDEÆ CUM OBJECTO NON CONNEXÆ.

426. OBJECTIO I. Rerum veritas ab ideis nostris non pendet; ergo ab ideis nostris rerum veritatem inferre nequimus. Fieri ergo potest, triangulum quatuor angulos habere, & quatuor latera, etsi in ideis nostris tria tantum semper habuerit.

RESPONSIO. Rerum veritas ab ideis nostris non pendet existentia; at vero ab iis pendet manifestatione. Verum est, exempli gratia, quin hoc ullo pacto ab ideis pendeat, triangulorum similium latera homologa esse proportiona-

nalia; at hæc relatio, sive proportio laterum homologorum in triangulis similibus non aliunde nobis indubitate patefit, & demonstratur, quam infallibili idearum nostrarum testimonio (417, & 425).

HUMANA MENS IN ERROREM LABILIS.

427. OBJECTIO II. Divina mens semper infallibilis est, propterea quia semper est infinita; ergo contraria ratione mens humana semper fallibilis esse debet, quum finita, & limitata sit.

RESPONSIO. Ens omne finitum & perfectiones natura habet, quæ suum esse constituunt; & imperfectiones, seu majoris perfectionis negationes, quæ suum esse limitant, & circumscribunt.

I. Si mens nostra *infinitam intelligentiam* haberet; hac omnem veritatem comprehenderet, ut Deus.

II. Si mens nostra *nullam* haberet *intelligentiam*, nullam veritatem assequi posset: hac ex parte esset veluti marmor, aut arenæ, vel argillæ tumulus.

III. Inter duo hæc extrema *medium* mens nostra tenet, inter infinitam nempe intelligentiam, & intelligentiam nullam. In intelligentiæ genere & perfectiones habet, quibus apta est nonnullas veritates infallibiliter cognoscere intra sphæram suam positas; & imperfectiones habet, quibus inepta est alias quasdam veritates assequi ultra sphæram suam sitas. Quare mentis humanæ limites, & imperfectiones ejus infallibilitatem non destruunt in assequendis veritatibus, quæ intra sphæram suam sunt, & quas ejus vires optime attingunt.

Quum itaque inter duas veluti abyssos mens hominum locata sit, perfectiones suas, imperfectionesque perpendens *sapere ad sobrietatem* con-

condiscat (*a*), ita monente Apostolo. Utiles, atque intelligentiæ suæ consentaneas cognitiones sibi comparare studeat, ne frustranea reddat Creatoris munera; at sapienter caveat, ne temere, audacterque *veritates quasdam superioris ordinis* assequi præsumat, quarum plena, ac perfecta cognitio uni æternæ, & infinitæ intelligentiæ est reservata, cuique uni omnia in luce, & sine tenebris in rerum universitate videre datum est; hujus quippe essentiale attributum est, omnia comprehendere, seque magna ex parte incomprehensibilem esse. Semper itaque meminerit; *ibi scientiam finire, ubi fides incipit.*

PERSUASIONES ILLUSORIÆ.

428. OBJECTIO III. Nonne poterit supremi Auctoris infinita potentia hominem formare a suis ideis continenter illusum, quique se minime falli continenter putet? Quam mihi certam demonstrationem dabis, me hunc hominem non esse? Stultus a nativitate, & continenter stultus semper in illusione, & in errore versatur; & fortasse se solum ipse sapientem putat.

RESPONSIO. Trita hæc inter sapientes, & stultos comparatio omni ætate Scepticismi veluti Achilles fuit. Non tamen ipsa sapientes in Scepticismum inducet: num e stultis Scepticos efficere apta sit ignoro.

I. Asserere, Deum nihil sapientia sua indignum, aut sine recta, & se digna ratione efficere posse, non sane est ejus infinitam potentiam limitare, & coercere. At quæso, quam sapientia sua, & se dignam rationem habere posset rerum omnium Auctor, hominem ipse im-

(a) *Non plus sapere, quam oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem*, Rom. 12.

immediate condens, ut eum continenter, & perseveranter errori illudendum traderet? Repugnat ergo, Deum ipsum immediate hominem condere, hoc intuitu, atque hac ratione, ut perpetuo præstigiis, & erroribus illudatur.

Hominis *perpetua stultitia* capti conditio non ea est, quæ immediate, & directe a Deo procedat; seu quam ipse immediate, & directe intenderit naturam condens. Conditio hæc, quæ ab accidentali organorum hominis hujus vitio provenit, a generali causarum secundarum actione orta est; quæ actio in universale naturæ bonum efficaciter, & perseveranter tendit; neque eam Deus tenetur miraculo mutare, aut continere, ne fortuitum, & casu accidens alicui peculiari homini infortunium avertat.

III. Quomodocumque se haberet homo in perpetua illusione vivens; patet me in perpetua illusione esse, ne posse quidem suspicari, quum animadversionis meæ, & ratiocinii mei sensum intimum habeo, quum evidentiæ rerum sensum intimum habeo, hujus, inquam, firmæ, & inconcussæ evidentiæ, quam ratio sentit, ac percipit, quæque omnem ab intellectu dubitationem removet; quum persuasiones habeo, quarum & objectum, & rationem apprime nosco, easque perspicuas, ratione suffultas, firmas, inconcussas, omnesque aut rerum evidentia innixas, aut certis, ac indubitatis experimentis.

Ita nos ratione frui sentimus, ut vita, & bona valetudine frui sentimus; quum vero rationis sensum habemus, absurdum est supponere tunc nos in eo statu esse, in quo ratione non fruamur, & perpetua illusione decipiamur.

EVIDENTIA DUBIA, ET ÆQUIVOCA.

429. OBJECTIO IV. Certitudo, quam ideæ præbent, & rerum evidentia, & hujus evidentiæ sensu innititur. At vero quoties hanc rerum

rum evidentiam nos habere, & sentire credimus, quum nulla re ipsa habeatur evidentia, ac proinde nulla evidentia sentiatur? Homo paralogismo, aut erroneo ratiocinio deceptus, quod illi rectum videtur, etsi non sit, evidentiam se habere, & sentire credit; & tamen fallitur. Ergo sensus intimus evidentiæ non semper cum rerum veritate infallibiliter connexus est.

RESPONSIO. Evidentia, uti lux, magis minusque vivida, sensibilis, efficax, & potens est; quare magis, minusque sentiri potest. Evidentia simplex, & proxima est veluti magna lux objecto proximo, valdeque sensibili affusa. Evidentia remota, & complexa est veluti lux languida, & nubibus intermixta objecto remoto, & confuse in oculo, & in anima picto affusa.

Oculus bene valens languida, & æquivoca impressione decipi potest, quam in illo facit lux a cometa quocumque aut initio, aut ad finem suæ apparitionis reflexa; nunquam vero decipitur plane vivida, & nitida impressione, quam in illo lux a sole pleno meridie veniens efficit, aut a Syrio nocte serena, aut clara die a proximis, & vivide illustratis objectis. (92, & 97).

I. *Evidentia simplex*, & *proxima* nunquam fallit, nunquam in anima aut dubitationem, aut perturbationem, aut perplexitatem relinquit. Quisnam unquam ab ea evidentia deceptus fuit plane perspicua, & sensibili, quæ illi veritatem primorum principiorum patefacit, aut immediatas horum principiorum consequentias? Hujus evidentiæ sensus intimus semper cum rerum veritate indefectibiliter connexus est.

II. *Evidentia remota*, & *complexa* rationem sequitur amplitudinis, acuminis, virium diversarum mentium, quibus recipitur; quod enim mentibus aliquibus satis limitatis est evidentia remota, & complexa, aliis præstantioribus mentibus est veluti evidentia simplex, & proxima. Nonnullæ sunt, ut alibi adnotavimus, unius syl-

syllogismi mentes; aliæ, duorum, trium, atque ita porro (184).

At vero nulla est mens creata, cui *evidentia* aliqua *remota & complexa* non sit; atque hæc errori obnoxia esse potest; quare ipsa non omnem a mente dubitationem, perturbationem, perplexitatem prorsus excludit. Hujus postremæ evidentiæ sensus intimus non semper cum rerum veritate indefectibiliter connexus est.

III. Quæcumque sive major, sive minor ingenii vis in mente ratione utente supponatur, certum est, nunquam *illam paralogizare*, nisi quum in demonstratione complexa ab una ad aliam ideam mediam, sive ab una ad aliam consequentiam transitum faciens, devenit tandem ad propositionem a principio remotam, quo illam fulcire credit, eamque veram putat, quæ re ipsa falsa est.

In hac hypothesi quis paralogismo deceptus potest quidem aliquatenus suaderi, veram esse propositionem, quam demonstratam putat; at vero hujusmodi persuasio semper languida, semper inquieta, semper aliquo erroris metu commixta, nunquam *eminentem illum vis, & certitudinis gradum* obtinet, quem rigida, & perspicua demonstratio præsefert; in hac enim mens omnem sive idearum, sive consequentiarum mediarum nexum uno veluti intuitu perspicit, qui indefectibiliter principium certum, & evidens, a quo initium fit, cum postrema veritate, qua demonstratio concluditur, colligat; & tunc huic veritati plena, ac perfecta securitate mens assentitur. Porro huic tantum intimo sensui, atque huic evidentiæ nos infallibilitatis notam tribuimus.

PRINCIPIA FALSA, VEL DUBIA.

440. OBJECTIO V. Juxta principia fidei in adorando Trinitatis mysterio Pater naturæ divinæ identificatus est; Deus enim est: Filius

quoque naturæ divinæ identificatus eſt ; Deus enim eſt; & tamen Pater Filio non eſt identificatus. Non ergo ſemper verum eſt , bina uni tertio identificata inter ſe identificata eſſe ; unum ergo ex præcipuis cognitionum noſtrarum, & dialecticæ univerſæ principiis in ſe falſum eſt, aut ſaltem non univerſim verum.

RESPONSIO. Si cum quibuſdam, qui ſe philoſophos dicunt, contendas principium hoc in creatis verum, in divinis falſum eſſe, manifeſtum abſurdum dices; non enim principium hoc in divinis falſum eſt ; tantum male applicatum eſt, & præpoſtere intellectum.

In ſancta Trinitate Pater Deus eſt, quin id omne ſit, quod natura divina eſt; Filius Deus eſt, quin id omne ſit, quod natura divina eſt. Juxta principia fidei divina natura tota cum tribus divinis perſonis ſimul ſumptis identificata eſt ; at non identificata eſt in tribus ſuis relationibus cum unica perſona ſeorſim ſumpta.

Adorandum hoc myſterium nihil habet rationi oppoſitum, quodque credibilitatem illi a divina revelatione tributam deſtruere poſſit, ut alibi oſtendimus. Nihil præcipue habet evidenter oppoſitum principio, de quo ſermo, & in quo ſemper agimus de *identitate in omnibus relationibus* duorum cum tertio (52 & 157).

441. OBJECTIO VI. Idem ſubjectum eodem tempore *eſſe*, *& non eſſe* poteſt; marmor, puta, eodem tempore materiale eſſe poteſt, & non eſſe intellectivum. Ergo in eadem re, in eodemque ſubjecto eſſe, & non eſſe componi poſſunt; quod præcipuum ſcientiæ omnis principium deſtruit, illud ſcilicet, quo ponitur, fieri non poſſe, ut idem eodem tempore ſit, & non ſit.

RESPONSIO. Idem ſubjectum eodem tempore eſſe quid poteſt in uno rerum genere, & quid non eſſe in alio rerum genere: hoc cujuſcumque rei natura finitæ proprium eſt (47).

At vero idem ſubjectum non poteſt eodem tem-

tempore esse aliquid, & hujus ipsius negationem habere; puta, materialitatem, & materialitatis negationem; intelligentiam, & intelligentiæ negationem. Atque hic est hujus apud philosophos, & geometras adeo celebris principii sensus, de quo quæstio.

IDEÆ RERUM MATERIALIUM.

442. OBJECTIO VII. *Idea rei materialis, & extensa*, puta circuli, trianguli, frontis ædificii, hominis, leonis, nequit esse objecto suo conformis, quin matetialis sit, & extensa. At vero qua ratione idea materialis, & extensa esse potest imago spiritualis, cujusmodi ideas omnes esse definivimus?

RESPONSIO. Idea rei materialis, & extensæ conformis est objecto suo non conformitate naturæ, at repræsentationis (99 & 392).

I. Ut materialis cubi charta descripti, aut impressi imago objecto suo conformis sit, non opus est, hanc imaginem æque longam, latam, & profundam re ipsa esse; satis est si hujusmodi sit repræsentatione, & apparentia.

Ut tabula materialis pictum exercitus imperatorem referens objecto suo conformis sit, profecto non opus est, tabulam hanc in se eandem naturam habere, quam habet objectum repræsentatum; neque ipsum vivum, & agens esse, ut objectum repræsentatum: satis est, si tabula hæc eum colorum, & lineamentorum ordinem contineat, quibus apte exprimatur actio, atque habitus, qui in objecto exprimendus est.

II. Ita quoque rei idea, aut imago intellectualis rem hanc apte exprimit hoc tantum, quod rei hujus proprietates repræsentatione contineat. Ipsa quidem natura spiritualis res ipsas materiales fideliter refert, quum materiales earum proprietates exprimit, & res spirituales,

quum earum quoque spirituales proprietates exprimit.

IDEARUM NATURA IGNOTA.

443. OBJECTIO VIII. Quid nobis nostris ideis ignotum magis ? Quænam earum natura est ; quænam origo ; quodnam subjectum ? Sunt ne illæ anima tantum, an quid præterea ? Extensæ ne in se ipsis, an inextensæ ? Si extensæ, qua ratione spirituales sunt ? Si inextensæ, quomodo rerum extensarum sunt imagines ? Quid lucis e tot tenebris, & quid certi e tam incertis eruemus?

RESPONSIO. Fortasse imperfecte admodum naturam, originem, & subjectum idearum nostrarum novimus: at perfecte earum & *existentiam*, & *munus* novimus: atque hac ipsa existentia, & hoc ipso idearum munere tota ea innititur certitudo, quam nos illis attribuimus.

I. Quæcumque idearum nostrarum origo, & natura sit, certum est eas in anima nostra esse; eas aliquid præter animam nostram esse; mihi enim, exempli gratia constat, ideas meas se sentiendas præbere in intelligente mea, sensibilique substantia, quam animam meam dico; meamque animam heri exstitisse sine quibusdam ideis, quas habet hodie, & a quibus hodie afficitur.

II. Certum est, ideas nostras, quæcumque earum origo, & natura sit, tunc existere, quum eas in nobis percipimus, atque sentimus; sunt enim objectum sensus intimi, qui infallibilem objecti sui certitudinem præbet.

III. Certum est, ideas nostras, quæcumque earum origo, & natura sit, nullam solidam, & resistentem extensionem habere lineis, planis, angulis sive salientibus, sive retrocedentibus terminatam, qualis materiæ convenit; patet enim nihil eas esse, quod ullo pacto materiæ simile sit.

IV.

IV. Certum est, quæcumque idearum nostrarum origo, & natura sit, si illæ in se veram re ipsa extensionem habent, hanc spiritualem esse; existunt enim in subjecto, quod sensibile, & intelligens est, ac propterea non nisi spiritualis substantia esse potest (209 & 227).

V. Certum est, quæcumque idearum nostrarum origo, & natura sit, eas ut plurimum res materiales; & extensas nobis exhibere; easque sive extensæ, sive inextensæ sint, quum nobis res materiales repræsentant, nullo pacto natura rebus iis similes esse, quibus repræsentatione similes sunt.

444. OBJECTIO IX. Experimentali sensu scimus nos maxime claram, atque distinctam, puta, trianguli ideam habere; tresque trianguli angulos, ac tria latera distincta, & sejuncta esse in imagine repræsentante, ut in objecto repræsentato. Qua ergo ratione, iterum, inextensa esse potest imago, in qua lineæ separatæ, & extensæ descriptæ sunt?

RESPONSIO. Experimentali sensu scimus nos maxime claram, atque distinctam trianguli ideam habere; atque hac idea nos tres trianguli angulos, & tria latera videre ut distincta, ut separata, ut unum extra aliud. At sensus experimentalis nobis non indicat angulos, & latera trianguli in idea repræsentante ita separata esse, ut in objecto; sensus enim experimentalis sentit tantum, non judicat; decernere vero num tres hi anguli, triaque hæc latera in idea repræsentante separata sint, aut confusa, judicii speculativi munus est, non sensus experimentalis. Idem dici potest de idea quavis materialem quamvis extensionem referente, puta, ædificii frontem, cubi superficiem, & profunditatem, montis superficiem, & profunditatem, sive terrestris globi, aliorumque (442, & 443).

I. Nihil omnino est, quod ostendat, intellectualem rei extensæ imaginem esse *imaginem in*

se extensam; nulla enim adest firma probatio aut a speculatione, aut ab experientia desumpta hoc confirmans, seu plena certitudine ostendens, hanc imaginem in se extensam esse, & partes habere, imo partes extra partes.

Sit ex materia quacumque sphæra infinite magna; atque ab hujus sphæræ centro infiniti procedant radii divergentes ad totidem diversa superficiei puncta terminati. Si supponi posset, *punctum centri* hujus sphæræ esse simplex, & in se sensibile, nulla prorsus extensione: quare punctum hoc a quovis radio in tota sua superficie affici non posset, & ad diversa superficiei puncta referre impressionem in ipso a pluribus radiis divergentibus effectam?

II. Nihil prorsus demonstrat, intellectualem rei extensæ *imaginem* esse *in se ipsa inextensam*; intellectualis enim imago naturæ subjecti, cui inhæret, participare potest, & debet (209); & si demonstratum est, spiritum nullam materialem extensionem habere, non propterea demonstratum est, nullam habere spiritualem extensionem.

Divina essentia natura sua infinite simplex & in terra, & in sole, & in Syrio, & in Cynosura simul existit; in his enim agit. Quare anima humana natura sua simplex ipsa quoque & in uno, & in alio cerebri puncto existere nequiret? & si in diversis punctis anima humana existere potest: qua ratione ostendetur, intellectualem imaginem ipsi inhærentem in diversis punctis, quibus anima ipsa inest, non inesse? (1079, & 1082).

IDEÆ INFINITI.

445. OBJECTIO X. Si ideæ imagines essent, *infiniti ideam* habere non possemus: hæc enim idea non nisi imago infinita esse potest, quæ in subjecto finito haberi nequit. Atqui infiniti ideam ha-

habemus; ergo idea infiniti non est infiniti imago: ergo neque finitarum rerum ideæ harum rerum sunt imagines.

RESPONSIO. Idea infiniti objecto infinita est, natura finita; nihil ergo in natura est, quo eam in subjecto finito existere repugnet.

446. EXPLICATIO I. Sensus experimentalis monet, nos *objectorum indefinite magnorum ideas habere*; ergo infiniti ideam habere possumus. Ostendo.

I. Pictura pollicem alta, dimidium lata *imago materialis* est sæpius nitidissima, & simillima homini, aut fœminæ ferme quinque pedes altæ, & unum latæ; imago ergo materialis rei hanc referre potest, quin ejus dimensiones habeat.

Pari modo quum vel ad immensam planitiem clara die, vel ad cælum nocte serena oculum obverto, retina unius, aut alterius lineæ diametro nitidam atque distinctam *materialem imaginem* habet interdiu immensæ hujus planitiei, noctu quartæ cæli partis. Ergo iterum extensio materialis objecti imaginis objecto repræsentato nulla determinata mensura conferri debet.

II. Iisdem dotibus prædita est *imago intellectualis*, sive idea, imo infinite majoribus. Extensa sit, nec ne, in subjecto suo, in substantia, nempe, intelligente, & sensibili, immensitatem repræsentat terrestris globi, cæli, spatii ultra mundi fines extensi: cujusvis assignabilis magnitudinis objectum repræsentat; nullaque assignabilis magnitudo datur, quam ipsa repræsentare nequeat duplam, triplam, quadruplam, atque ita porro in infinitum.

Quare si *facultas repræsentativa ideæ* infinita non esset, jam finita magnitudine exhauriri posset; quod nunquam fit, aut fieri potest, ut nos monet sensus intimus. Infinita ergo sit oportet ideæ facultas repræsentativa; ergo idea infini-

tum repræsentare apta sit oportet; mens ergo nostra infinitum percipere apta sit oportet.

447. EXPLICATIO II. Sensus experimentalis nos docet, nos re ipsa ideam habere infiniti numero, extensione, duratione, perfectione.

I. Exempli causa: quemcumque numerum assignes, numerum concipio duplum, triplum, quadruplum, atque ita porro in infinitum; neque unquam finitum numerum invenies, qui universam, quam numerorum habeo, ideam adæquare possit. Ergo hæc *numerorum idea* in objecto suo infinita est.

II. Pari modo quamcumque elapsorum sæculorum seriem ante hoc instans temporis supponam, durationem majorem concipio bis, millies, atque ita porro in infinitum, quin ullam finitam durationem inveniam, ideam, quam habeo, durationis adæquantem. Ergo hæc *durationis idea* in objecto suo infinita est (367).

III. Pari adhuc modo, a centro globi, quem incolo, rectam indefinitam ad extremos corporum fines duco: hanc mente indefinite produco duplicans, triplicans, quadruplicans, atque ita porro in infinitum, quin unquam terminum attingam, ultra quem adhuc interminabilem extensionem non concipiam. Habeo igitur extensionis ideam, quam nulla finita extensio adæquare potest. Hæc igitur *extensionis idea* in suo objecto est infinita (356, & 978).

IV. Pari tandem modo, quamcumque in rebus creatis sive materialibus, sive immaterialibus, quas aptius dignoscere possum, perfectiones detegam, majorem adhuc perfectionis gradum concipio; tum quemcumque finitum perfectionis gradum cogitatione adijciam perfectioni in creatis quibuscumque rebus observatæ, nondum video me, quam habeo, perfectionis ideam adæquasse: habeo ergo perfectionis ideam, quam nulla finita perfectio adæquare potest; quam ergo

go habeo *perfectionis idea* in suo objecto est infinita (966).

448. NOTA I. Nonnulli recentiores philosophi censuerunt, nos nullam infiniti ideam habere; easque omnes, quas nos *infiniti cujuscumque ideas* dicimus, non nisi *indefiniti* ideas esse. Patet philosophos hosce falli, ut modo demonstratum est.

Ceterum quam sibi effingunt indefiniti idea inani æquivocatione fulcitur, a qua eos liberare facile est. Dilemma enim invictum illis propono, quod infinito in numeris, ut primum hoc fortuito sese offert, nunc applico. Quum *indefiniti numeri ideam* habes, numeri nempe quemcumque finitum numerum assignabilem excedentis, aut ideæ tuæ objectum finitum est, aut non.

I. Si *idea tua objectum finitum non esse* dicis; jam hoc ipso illud fateris infinitum. Qui enim non finitum esse posset, quin infinitum esset? Quum igitur dicis, te ideam habere numeri indefiniti, qui finitus non est, fateris te numeri infiniti ideam habere.

II. Si *idea tua objectum finitum* dicis, at magnitudinis indefinitæ, sive cui nullos terminos assignare potes; peto, undenam scias finitum esse? Patet, te hoc scire non posse, nisi quia *ideam* habes *numeri illum excedentis*. Atqui numerus quemcumque finitum numerum excedens non nisi infinitus esse potest; ergo quum fateris, te ideam habere numeri indefiniti, quem finitum censes, fateris te numeri infiniti ideam habere.

III. Patet hic veritas veteris hujus philosophici axiomatis; *indefinitum non noscitur nisi ex idea infiniti*. Exempli gratia, judicare non possem, extensionem decem haxapedas longam finitam esse, nisi extensionis decem hexapedas excedentis ideam haberem. Pari modo judicare non possem, numerum finitum, sed indefinitæ

magnitudinis finitum esse, nisi ideam haberem numeri omnem, qui haberi possit, finitum numerum excedentis. Ita quoque judicare nequirem, finitam extensionem, sed indefinitæ magnitudinis, finitam esse, nisi extensionis omnem finitam, quæ haberi possit, extensionem excedentis ideam haberem.

449. NOTA II. Nonnulli quoque recentiores philosophi voluerunt, nos *ideam infiniti* efficere, finitas quasdam magnitudines, quarum ideas habemus accumulando, & congerendo; puta, duplum, decuplum, centuplum sæculi assumendo, atque ita porro indefinite, ideam infinitæ durationis efficimus: duplum, decuplum, centuplum leucæ, atque ita porro indefinite assumendo, ideam infinitæ extensionis nobis efficimus: duplum, quadruplum, decuplum, centuplum, atque ita porro indefinite virium, & intelligentiæ, quas in nobis noscimus, assumentes, potentiæ, & intelligentiæ infinitæ ideam nobis efficimus.

At perspicuum est, si hac ratione idea infiniti concipiatur, rerum ordinem, ac naturam prorsus everti; atque hujusmodi origo si infiniti ideæ tribuatur, ideæ, quæ re ipsa habetur, originem tribui non modo fabulosam, verum evidenter chimæricam. Patet enim, si finitas magnitudines ita congeram, & indefinite accumulem, puta, sæcula, leucæ, numeros, vires motrices, nunquam me, nisi objectum finitum efficere, quod nunquam ideæ infinitæ objectum esse potest.

Exempli causa, millies mille leucæ, aut anni duplicati, triplicati, quadruplicati, ad quadratum, ad cubum, ad quartam potestatem elevati, atque ita porro indefinite, semper erunt magnitudo tantum finita duratione, aut extensione; & ad quamvis immensitatem magnitudo hæc cogitatione elata supponatur, nec est, nec erit unquam nisi objectum finitum, quod nec ideam

ideam infinitam parere, nec ejus objectum esse potest.

450. NOTA III. Nonnulli adhuc recentiores philosophi arbitrati sunt, cognitionem, quam infiniti habemus, *judicium* esse, non ideam. Exempli gratia; quum infinitum numero, aut extensione concipio, judico, infinitum hoc existere, quin hujus infiniti ideam habeam, quod, ajunt, idea finita referri nequit.

At modus iste infinitum concipiendi minime philosophicus est; juxta enim maxime simplicis dialecticæ principia, nullum datur speculativum judicium sine idea subjecti, cujus proprietas aliqua affirmatur, aut negatur; ac judicare, infinitum existere, est infiniti, cui existentia tribuitur, ideam habere. Judicium ergo de infinito infiniti ideam necessario supponit.

IDEÆ OBJECTORUM CHIMÆRICORUM.

451. OBJECTIO XI. Si semper ideæ essent rerum imagines, non haberetur idea nihili, chimæræ, Dei injusti, vitii; quæ nullas re ipsa proprietates, nullum intelligibile lineamentum habent; neque quidpiam, quod ullo prorsus pacto in idea exprimi, aut pingi possit. At vero & nihili, & chimæræ, & Dei injusti, & vitii idea habetur; & hoc ostendo. Sint hæ propositiones: „ Nihilum nullam habet realem „ proprietatem. Chimæra in se cognosci, & „ concipi nequit. Deus injustus existere nequit. „ Vitium odio, & contemptu dignum est ".

His positis sic procedo. Quatuor hæ propositiones in se evidentes sunt, nemine dissentiente. Atqui juxta dialecticæ principia in se evidentes esse nequeunt, quin earum subjecti habeatur idea; ergo quatuor harum propositionum subjecti habetur idea; at istarum subjecta sunt nihilum, chimæra, Deus injustus, vitium;

ergo habetur idea nihili, chimæræ, Dei injusti, vitii.

RESPONSIO. Ut propositio in se, & a se evidens sit, necesse est, haberi ideam subjecti hujus propositionis; hac enim tantum judicari potest, conveniat ne attributo propositionis subjectum.

Quatuor allatæ propositiones in se, & a se evidentes sunt, earumque subjectum concipitur; at quodnam earum subjectum est? Hoc discutiendum, & explicandum; neque enim earum subjectum illud est, quod primo oculi intuitu videtur esse (395).

Quatuor hæ propositiones diverso prorsus modo in mente dispositæ, & ordinatæ sunt, ab eo, quem verba præseferunt, in quibus earum naturalis ordo penitus eversus est, & perturbatus.

En cujuscumque, ut in mente est, ordo naturalis, & analyticus. Realis proprietas, *nihili*, aut negationis entis proprietas esse nequit. Idealis repræsentatio, nequit esse *chimæra*, aut illius, quod neque existere, neque cognosci potest, repræsentatio. Deus nequit existere *injustus*, seu cum injustitia, quæ essentialiter ab ejus natura excluditur. Virtus qualitatem habet existimatione, & amore dignam, quæ in *vitio* non existit; ipsum enim est virtutis exclusio, aut negotio (51, 235, 395).

§. III.

SENSATIONUM ORIGO.

452. OBSERVATIO. NAturæ Auctor, *quinque sensus* nobis impertitus est, seu media diversa quinque, quibus materialia, & sensibilia objecta, quibus circumdamur, dignosceremus

mus. Sensus hi, visus nempe, auditus, gustus, olfactus, & tactus, totidem sunt corporis nostri diversa organa, quibus anima a finibus, quibus continetur, veluti erumpit, rebus externis, ac sensibilibus magis, minusve remotis communicat, earum præsentiam, & proprietates sentit, & ab iis innumera tum bona, tum mala percipit in diversis sensationibus, quæ ab iis in ipsa excitantur (11 & 24).

I. *Sensationes* dantur *sine ulla idea*. Hujusmodi sensatio est, quam quis experitur, quum primum succini, aut moschi odorem sentit, quin corpus videat, aut tractet, unde odor hic emanat.

II. *Ideæ* dantur *sine ulla sensatione* saltem actu. Hujusmodi sunt entium moralium ideæ, entium abstractorum, plurimorumque entium per se insensibilium. Hujusmodi est idea turris cylindricæ, quam viginti ante annos vidi, nec amplius postea vidi.

III. *Sensationes* dantur *ideis conjunctæ*. Hujusmodi sunt, quas experior quum oculos converto aut ad elegantem hortum, aut ad regiam domum, aut ad latissimos campos, quos sol illustrat.

Quotidie plurimas sensationes habemus, alias ideis conjunctas, alias sine ulla idea. At *qua ratione in nobis hæ ideæ enascuntur*, *aut formantur*? Quænam earum causa est sive efficiens, sive occasionalis? Hoc præclarum problema ita solvere nitemur, ut apte cuique satisfiat, qui norit qua certitudine, & claritate illud solvi possit.

453. DEFINITIO. Recentiores physiologistæ *sensorium* vocant, seu *sensus sedem* organi cujusque partem, quæ impressiones sibi a sensibilibus objectis effectas animæ communicat.

I. Verosimile est, organa nostra omnia *fasciculis fibrarum* constare, quæ sive in externis, sive in internis corporis partibus extensæ, omnes

sive

five directe, five indirecte ad cerebrum appellunt, ubi *fedes animæ* effe videtur (1062).

II. Pars ifta cerebri five nota fit, five ignota, quo aut directe, aut indirecte fibræ omnes noftræ organicæ appellunt, eft *fedes fenfus*, five proprius, & determinatus locus, quo impreffionem objectorum fenfibilium anima recipit.

454. NOTA. Quum divina effentia effentialiter illimitata, & intelligens fit, quum in univerfo infinito fpatio, in omnibus corporibus, & ultra in infinitum exiftat, quum omnia effentialiter videat, & cognofcat, imo omnia immediate videat ubicumque ipfa exiftit, Neutonus *divinæ effentiæ fenforium* metaphorice appellat fpatium infinitum, & quamcumque fpatii infiniti partem; quælibet enim ejus pars eft aliquo pacto effentiæ divinæ, quod animæ humanæ eft fedes fenfus, feu locus proprius, & determinatus, quo ipfa impreffiones ab objectis fenfibilibus immediate recipit.

Hæc metaphorica Neutoni idea plurimis inanibus cavillationibus quidem, nulla vero folida ratione peti poteft.

SENSATIONES ORGANICÆ, ET MENTALES.

Impreffiones fenfibiles, quas a noftris diverfis organis recipimus, *fenfationes* dicuntur; hæ & in organo materiali, & in ipfa animæ fubftantia confiderari poffunt. Hinc binæ ducuntur definitiones.

455. DEFINITIO I. *Senfatio exterior, & organica* eft commotio, five impreffio in organis animati corporis effecta; in fibris, nempe, maxime mobilibus, & tenuibus, quibus organa ipfa conftant.

I. Hujufmodi eft organica, & exterior *vifus* fenfatio; five hæc commotio, & impreffio in fibris oculi actione lucis effecta, quæ motus illis, & vibrationes diverfas imprimit pro di-

ver-

versa objectorum natura illam ad oculum jaculantium, seu reflectentium (*Phys.*.905 & 910).

II. Hujusmodi est exterior, & organica *gustus* sensatio; sive hæc commotio, & impressio in fibris oris, linguæ, palati effecta a tenuioribus, magisque activis alimentorum solidorum, & liquidorum particulis effecta, quæ ab his substantiis emissæ diversis modis fibras, & tubulos, quibus tota oris cavitas instructa est permeant, atque titillant.

III. Hujusmodi est exterior, & organica *olfactus* sensatio; sive hæc commotio, & impressio in fibris utramque nasi cavitatem contegentibus excitata diversorum odororum corpusculorum actione, quæ perpetuo quaquaversum ab odoris corporibus effluentia diversis modis, hoc organum pro diversa eorum massa, velocitate, densitate, figura, afficiunt, urgent, & vellicant.

IV. Hujusmodi est organica, & exterior *auditus* sensatio; sive hæc commotio, & impressio in auris fibris effecta aerearum columnarum actione, quæ una extremitate sonoro corpori insistunt, altera auri; quæque sonori corporis vibrationibus diversa ratione agitatæ, diversa quoque ratione feriunt, atque concutiunt fibras longitudine, crassitie, tensione diversas, quæ in auris intimo veluti cytharam efficiunt (*Phys.* 785 & 782).

V. Hujusmodi tandem est exterior, & organica *tactus* sensatio; sive commotio, & impressio in quibuscumque tactilibus fibris excitata, exempli gratia, in pedis, aut manus fibris, corporis actione illas diversa ratione, pro diversa ejus massa, volumine, duritie, figura, afficientis (12 & 29).

456. NOTA. Sensatio exterior, & organica nulla ratione est sensatio interior, & mentalis, de qua statim. Hæc tota in animæ substantia est, illa tota in organo materiali.

Sen-

Sensatio mentalis est animæ ipsius modificatio: *sensatio organica* est tantum corporis organici, & animati modificatio, quæ infinitis modis variari potest: ipsa ad hoc instituta est, ut sit spiritualium modificationum causa, aut occasio; at ipsa semper in se modificatio materialis est.

Alibi ostendemus, *fluidum animale* præcipuum naturæ instrumentum esse in mechanica corporis structura ad organicas sensationes efficiendas (1249).

457. DEFINITIO II. *Sensatio intima*, & *mentalis* est in ipsa animæ substantia modificatio spiritualis qualitatibus sensibilibus corporis respondens, a cujus immediata, vel mediata actione excitatur; seu, quod in idem recidit, sensatio intima, & mentalis est impressio sensibilis in anima effecta, quæ animæ annunciat, & dignoscendam præbet objecti sensibilis, a quo organum materiale afficitur, præsentiam, & existentiam.

Sensatio mentalis non dignoscere facit, ut *idea*, objecti sui essentiam, & naturam: tantum ejus præsentiam annunciat, & quasdam ejus sensibiles qualitates, aut proprietates detegit (29 & 392).

Alibi ostendemus, magnum esse discrimen inter has animæ modificationes, quas sensationes mentales nuncupavimus, & alias quasdam animæ sensationes, quæ passim *animæ sensus* vocantur (1176). Hic tantum de organicis, & mentalibus sensationibus sermo est, quarum originem detegere, & explicare conabimur.

458. NOTA. Sententia per hos dies magis a philosophis admissa, est: *Deum esse cujusque motus in corporibus sive animatis, sive inanimatis causam unicam efficientem*. Hanc sententiam nos alibi amplectemur, & validis, ac convincentibus rationibus comprobabimus (1224).

At quamcumque sententiam de motus causa effi-

efficiente ſequaris; en tibi nonnullas de ſenſationibus noſtris tum organicis, tum mentalibus, præcipuas aſſertiones, quæ a nulla hypotheſi, aut ſententia pendent, & de quarum certitudine dubitare nemo poteſt.

459. ASSERTIO I. *Senſationis exterioris, & organicæ ſemper cauſa, aut occaſio eſt corporis impulſus, aut reſiſtentia, quo ſenſus organa concutiantur.*

DEMONSTRATIO. Succuſſio in oculi fibris excitata a diverſis radiis lucidis illas percellentibus (ſive hos illius cauſam dicas, ſive occaſionem); in auris fibris ab aerearum moleculaurum impulſu, ac diverſis vibrationibus; in tactus fibris a diverſa tactilium corporum actione, aut reſiſtentia, ſunt ipſa exterior ſenſatio organica.

At vero certum eſt, ſenſationem hanc organicam, ſive hanc materialis organi ſuccuſſionem, & vibrationem ſemper relationem dicere ad aliud corpus, quod ejus cauſa, aut occaſio eſt in organo, in quo exiſtit; experientia enim docemur, *generalem eſſe naturæ legem, in terreſtribus corporibus agitationem, aut motum corpori non niſi alterius corporis actione communicari.*

Organa noſtra corpora ſunt; huic ergo generali naturæ legi ſubjacent; quare eorum agitatio ſemper relationem dicit ad alterius extranei corporis exiſtentiam, & actionem, a qua producatur. Q. E. D.

460. ASSERTIO II. *Senſationis intimæ, & mentalis ſemper cauſa, aut occaſio eſt ſenſatio exterior, & organica, ſive agitatio fibrarum organi materialis.*

DEMONSTRATIO. Senſatio organica fit ab extraneo corpore organum impellente; atque hæc ſenſationis mentalis occaſio eſt, nempe gratæ, aut ingratæ, aut indifferentis impreſſionis, qua anima afficitur. Hic eſt rerum ſtatus ab auctore naturæ ſtatutus,

I. Exem-

I. Exempli caufa, fcintilla ab accenfo carbone erumpens mentis meæ fibras percellit; hæc eft fenfatio exterior, & organica, quæ fine fcintillæ impulfu nunquam extitiffet.

Huic fibrarum manus meæ agitationi in anima refpondet *peculiaris fenfatio*, quam aduftionis fenfationem appello: hæc fenfatio in anima recepta, hæc impreffio ab anima percepta, intima, & mentalis fenfatio eft.

At vero certum eft, intimam hanc, & mentalem fenfationem, quæ manum meam refpicit, nunquam in anima futuram fuiffe, nifi in manu fibrarum vibratio, feu organica fenfatio extitiffet. Experientia enim docemur, *legem effe naturæ generalem, ab anima nullam intimam fenfationem haberi fine aliqua organica fenfatione, quæ ejus caufa, aut occafio fit.*

II. Idem in quibufque fenfationibus noftris accidit; puta, agitationi in oculo a folis præfentia partæ mentalis folis fenfatio refpondet: neque mentalem folis fenfationem habere poffum, quin prius organicam folis fenfationem in oculo habeam.

Pari modo vibrationi a mufico concentu in aure mea partæ mufici concentus mentalis fenfatio refpondet; neque hanc foni mentalem fenfationem habere poffum, quin prius hanc organicam fenfationem in aure habeam.

Generalis naturæ lex a nobis allata nullam prorfus exceptionem admittit. Nifi verum miraculum fupponatur, quo huic naturæ legi derogetur, nulla unquam habetur mentalis fenfatio fine aliqua organica fenfatione, quæ ejus caufa, aut occafio fit. Q. E. D.

461. ASSERTIO III. *Senfatio organica nequit ut caufa efficiens, neque mentalem fenfationem, neque imaginem, quæ fæpius hanc fenfationem comitatur, in anima producere.*

DEMONSTRATIO. Arcem poligonam iter habens afpicio, cujus antea nec fenfationem, nec

nec ideam habueram. Lux ab arce reflexa oculum meum percellit, atque in me, juxta binas præcedentes assertiones, hujus postgoui sensationem, atque ideam excitat. At vero quænam est *causa* efficiens hanc in anima sensationem, atque ideam producens?

I. Non sane lux ab arce reflexa. Hæc enim tantum est materia mota, in qua nullam vim percipio aptam in me spiritualem hanc sensationem, spiritualemque hanc imaginem excitare (1042 & 1046).

II. *Non oculi organum* a reflexa luce concussum. Hoc enim tantum est tunicarum, & fibrarum tenuissimarum congeries, quæ per nervum opticum cerebro materiali communicant. At vero quamcumque structuram, aut vibrationem supponas in iis, quæ & oculum, & nervum opticum, & cerebrum componunt, patet omnia hæc non nisi inertem materiam motam esse, aut esse posse, in qua nullam facultatem concipio, qua in substantiam spiritualem agat, atque in ea peculiares sensationes, & imagines efficiat omnem ingenii mei captum excedentes.

III. At neque *unio immediata* intelligentis, sensibilisque substantiæ cum substantia, in qua organica sensatio habetur. Hæc enim binarum substantiarum unio hæc duo tantum præsefert; nempe utriusque substantiæ *compræsentiam*, & *Creatoris legem* mutuam inter binas has substantias dependentiam statuentem, sive exigentem nonnullos existendi modos in anima a corpore pendere, & nonnullos existendi modos in corpore ab anima pendere.

Hæc animæ, & corporis *unio* est veluti *absoluta*, & *necessaria conditio*, sine qua mutua hæc corporis, & animæ dependentia haberi nequit. At evidens est, hanc modificationem, quæ animam corpori conjungit, hanc utriusque *compræsentiam*, hanc utriusque *unionem* a se sum-

sumptam, & ab actione creaturis sejunctam nihil habere, quo, ut causa efficiens, facere possit, ut modificatio materialis substantiæ evadat spiritualis substantiæ modificatio, ut vibratio organica in animæ sensum, ut mechanica impressio in imaginem spiritualem, in ideam mutetur.

Quare quocumque modo, & ex parte quavis *sensationem organicam* consideres, patet, ipsam nequire, ut causam efficientem, neque ipsi adnexam mentalem sensationem, neque imaginem, aut ideam, quæ sæpius hanc mentalem sensationem comitatur, producere. Q. E. D.

462. ASSERTIO IV. *Anima se ipsa suas intimas sensationes ut causa efficiens non producit.*

DEMONSTRATIO. Sensationes nostræ mentales aut jucundæ sunt, aut molestæ, aut indifferentes. Inter has enim aliæ nobis dolorem, aut molestiam pariunt, nosque excruciant; aliæ voluptatem, & jucunditatem creant, & nobis placent; aliæ demum, quæ neque dolorem, neque voluptatem pariunt, & de quibus nullam habemus curam. Atqui nobis intimo sensu constat,

I. Animam non modo *molestas, & ingratas sensationes*, quas experitur, non producere, quin totis viribus incassum niti, ut eas avertat. Quamobrem non sane anima nostra est, quæ sibi, ut causa efficiens, has incommodas, ac molestas sensationes pariat.

II. Animam non modo pro voluntate *jucundas*, ac *indifferentes* sensationes sibi efficere non posse; quin eas sibi comparare nequire, nisi eas causas, ac conditiones ponat, a quibus in ipsa produci debent. Exempli causa, frustra anima niteretur sibi odoris nunc in Arabia exhalantis sensationem parere, sive musici concentus, qui nunc Romæ, aut Londini auditur. Frustra cæcus a nativitate omnem moveret lapidem, ut

sibi

ſibi lucis, & colorum ſenſationem compararet:

Anima ergo ſuarum ſenſationum non eſt cauſa efficiens; ipſa enim ut cauſa efficiens neque ſenſationes, quibus torquetur, neque quas appetit, neque quas non curat, ſibi parit. Q. E. D.

463. CONCLUSIO. A principiis hactenus poſitis, atque ſtatutis ſequitur, *ſenſationes noſtras mentales, ideaſque, quæ ſæpius ſenſationes has comitantur, in anima produci non poſſe neque a materia organum concutiente, neque ab organo agitato, neque ab anima, quæ afficitur.*

Quum ergo ſenſationes hæ, atque ideæ exiſtant, neque ſine cauſa eas producente exiſtant, neque nos aliam cauſam, a qua produci poſſint, præter naturæ Auctorem dignoſcamus; veriſimile propterea eſt, imo veriſimillimum,

I. *Unicam mentalium ſenſationum, atque idearum, quæ ſæpius has ſenſationes comitantur, cauſam efficientem Deum ipſum eſſe*, naturæ, nempe, & naturæ legum Auctorem.

II. *Senſationem organicam, ſive organi materialis agitationem eſſe tantum cauſam occaſionalem mentalium ſenſationum, & idearum, quæ ſæpius has ſenſationes comitantur.*

Senſationes hæ mentales ſine organica ſenſatione nunquam exiſtunt, quæ eas eſſe facit ut abſoluta conditio, a qua neceſſario earum exiſtentia pendet; at vero ſenſatio hæc organica nulla ratione eſt, aut eſſe poteſt cauſa efficiens, & immediata illas in anima producens (460, & 461).

§. IV.

§. IV.

IDEARUM ORIGO.

464. OBSERVATIO. Anima noſtra rerum ideas, aut imagines habet: hoc nemo neſcit. At vero *quænam eſt harum idearum origo*? Qua ratione exiſtunt, & in anima noſtra fiunt? Hoc omnes, aut ferme omnes ignorant.

I. Vulgus, quod parum cogitat, quodque in hoc æque fortaſſe philoſophum eſt, ac philoſophi ipſi ſint, eo ferme loco ideas habet, quo cæpe, aut braſſicas in horto natas: illis fruitur, nec unde, aut qua ratione enaſcantur inquirit.

II. Philoſophi, qui aliquando putant omnia ab humana mente percipi poſſe, neque quidquam exiſtere debere, quin ipſi cur, & qua ratione exiſtat rationem reddant, fuſius de idearum origine philoſophati ſunt; multiſque ſpeculatis multa non ſane philoſopho digna protulerunt.

Nonnulli dixerunt, ideas eſſe animæ innatas: æque dicere poterant, cæpe, & braſſicas horto innatas eſſe.

Dixerunt alii, ideas a ſenſibus oriri: æque dicere poterant, cæpe, & braſſicas a ligone oriri, quo terra ipſis finditur, aut a plumbeis, aut lateritiis canalibus, quibus ad eas irrigandas aqua deducitur.

Nonnulli cenſuerunt, animam ideas ſibi proprias non habere, noſque omnia in Deo, & per divinas ideas videre. Æque hi dicere poterant, in hortis noſtris non naſci cæpe, non in vineis uvas, non in ſulcis ſpicas, noſque in divina eſſentia, & per divinam eſſentiam ali, & enutriri.

III.

III. Certum eſt, nos res non videre, neque dignoſcere niſi in earum ideis, & imaginibus; in hoc omnes conveniunt. At quomodo in anima fiunt, & reperiuntur *ideæ res repræſentantes*, ſive hæ intellectuales imagines, quæ nobis eas pingunt, ac dignoſcendas præbent? hoc eſt, de quo quæſtio.

Nos diverſa hac ſuper re excogitata ſyſtemata perpendemus, ut illud tandem amplectamur, quod veroſimilius, magiſque rationi conſentaneum nobis videbitur (475 & 476).

SYSTEMA PRIMUM: IDEÆ INNATÆ.

465. EXPLICATIO. *In idearum innatarum ſyſtemate* naturæ Auctor animam creans, in intima ejus ſubſtantia omnes quas unquam habere poteſt, aut debet rerum ideas atque imagines effinxit, & impreſſit. At hæ rerum ideæ, & imagines, hæ infinite variæ, multiplicesque picturæ intimæ animæ ſubſtantiæ impreſſæ animæ inhærent tamquam tabula in tenebris, tanquam fibræ ſine vibratione, tamquam lineamenta occulta, & obtecta, tamquam modificationes ſopore captæ, & inertes; donec organorum evolutio, & impreſſio facta ſenſibus eas detegat, excitet, agere faciat, ac imagines re ipſa repræſentantes reddat.

I. Exempli cauſa, in hoc ſyſtemate, antequam e materno ſinu in lucem hanc prodirem, jam *regiæ domus periſtylii*, & *invalidorum tholi ideam* in anima habebam; in anima mea ſiquidem jam tunc erant horum objectorum propria, & peculiaria lineamenta.

Non tamen tunc bina hæc objecta videbam; eorum enim imagines, licet re ipſa in anima mea exiſterent, ibi tamen veluti ſopore ſepultæ erant, nec ſe ſentiendas præbebant.

At vero quum lux aut a regiæ domus periſtylio, aut ab invalidorum tholo reflexa oculos

los meos perculit, hæc objecta vidi per ideas innatas, quas horum antea habebam; lux enim ab his reflexa in oculis impressionem fecit, quæ ad animæ intimum usque pervenit, quæque attigit, excitavit, atque repræsentantes effecit has antea soporatas, & inertes imagines.

II. Adhuc exempli causa: in hoc systemate antequam elephantem, aut Rhinocerotem unquam viderim, & elephantis, & Rhinocerotis innatam ideam jam habeo. At hæc imago nondum mihi bina hæc bruta pingit, aut dignoscenda præbet; soporata enim, atque iners est.

Quum vero aut Rhinoceros, aut elephas obtutui meo sese objicit, lux quam reflectit oculo imaginem hujus bruti pingit. Materialis hæc imago fibras oculi concutiens animam meam afficit, in eaque *imaginem spiritualem* excitat præexistentem, sibique analogam: porro hæc imago in anima excitata aut elephantem, aut Rhinocerotem illi pingit.

466. CONFUTATIO. Hoc *idearum innatarum systema*, quod olim plures assertores habuit, quodque per hos dies ferme nullum habet, nulla ratione admittendum videtur; nulla enim probatione fulcitur, & tantum fabulosis, erroneis, ac inanibus hypothesibus regitur, cum quibus omnino corruit.

I. Patet, hoc systema *plura* supponere, aut adducere *inutilia*, *& redundantia*; quod nulla ratione ideis, quas naturæ, & sapientissimi naturæ auctoris habemus, est consentaneum. Cui quæso persuadeas unquam, ideas, quas in se oriri putavit quadraginta jam, aut quinquaginta annos nato, in se inutiles tamdiu mansisse antequam illas perceperit? Cui unquam persuadeas, se actu in anima infinitas *ideas re ipsa* habere, quas nunquam sensit, nec sentiet: quæ illi semper sopitæ, atque inertes erunt; quæ illi semper inutiles erunt, & quarum semper omni ex parte inutilis erit existentia? Lockius chi-

chimæras has oppugnavit, atque prostravit: quo mentes hominum ab errore partim absurdo, partim ridiculo liberavit.

II. Patet, *hoc idearum innatarum systema iisdem difficultatibus esse obnoxium, eoque eodem vitio primigenio laborare, tum iisdem chimaris insistere, quibus hypothesis, qua sensationes, & ideas in anima ab organicis, & materialibus sensationibus produci statuit*; ut enim ideas, & imagines animæ primitus impressas excitet, & agere faciat, impressiones adhibet in materialibus organis effectas.

Nos vero supra (461) ostendimus, materialem imaginem, sive organicam sensationem a re sensibili in aliquo ex nostris sensibus effectam, nulla facultate præditam esse, qua in anima spiritualem sensationem, aut imaginem producere possit. Qui ergo, & qua ratione imago hæc materialis, sive organica sensatio in animam ita agere poterit, ut præexistentem in illa ideam, aut imaginem excitet? ut inter innumeras præexistentes, & sopitas ideas eam seligat, aliis intactis, quæ sibi analoga est, & consentanea?

III. Patet ergo, *hoc idearum innatarum systema omni ex parte fabulosum, & absurdum esse*; neque ullo pacto naturæ ideis conforme esse, quas experientia, & ratiocinium nobis impertiuntur; iisque tantum placere posse, qui fabulis, & chimæris amplectendis nati sunt.

467. NOTA. Sæpius verissimo sensu dici solet, *hominem Dei ideam innatam habere, recti, ordinis, honesti, primorum cognitionis principiorum*, aliorumque; hoc significat tantum, has ideas natura ipsa in omnibus hominibus existere, neque eas a præjudiciis, aut ab educatione proficisci; *has ideas a natura ipsa donari*; quæcumque tandem causa sit, qua in nobis oriantur, & quam non inquirimus; tum quodcumque tempus sit, quo in nobis esse incipiunt,

quod magis, minusque animæ creationi posterius esse potest.

Ideæ Dei, ordinis, recti, honesti, primorum principiorum non magis innatæ sunt strictohujus vocis sensu, quam ideæ ellipseos, parabolæ, peristylii domus regiæ, tablini Versaliensis.

At animæ nostræ natura ea est, quæ ubique Dei, veri, ordinis, recti, honesti ideas adipiscatur, atque habeat, quum jam in ipsa ratio viget; quæcumque tandem sit causa has ideas in ipsa efficiens; quas *ideas potius naturales*, quam innatas dicere deberemus, ut omnis æquivocationi, & controversiæ ansa tolleretur.

Quomodo, & quando ideæ hæ naturales, populis omnibus, universo hominum generi communes enascantur quamprimum indicabimus (478).

SYSTEMA ALTERUM: SPECIES IMPRESSÆ, ET EXPRESSÆ.

468. EXPLICATIO. In specierum impressarum, & expressarum systemate, quod Epicuri, & Lucretii fuit, tum veterum, recentiorumque peripateticorum, objecta externa sui ipsorum imagines ad nostros sensus emittunt, quæ in diversis organis sibi analogis imprimuntur, & ab his organis ad animam transeunt. Exempli gratia.

I. Rosa visa, olfacta, aut tacta a se emittit, & fibris aut oculi, aut narium, aut manus sui ipsius imaginem imprimit. Hæ sunt *species impressæ*, quæ tantum sunt objectorum sensibus nostris impressorum imagines, aut simulacra.

II. Anima a sensibus extrahit, puta, a fibris oculi, aut narium, aut manus imagines has materiales illis impressas: has elaborat, sua forma confingit, spirituales reddit: hæ sunt *species*

cies expressa, sive, ut cum hujus systematis sectatoribus loquamur, *Intellectus agentis opus*.

III. Quum species hæ expressæ, postquam ab organis materialibus extractæ fuerunt, ita elaboratæ, & spirituales effectæ sunt; eas anima in se recipit, suæ substantiæ imprimit, illis se intime modificat: en tibi *species expressas*, & *impressas* in anima, & *intellectus patientis opus*, & præclarum totius metamorphoseos finem.

469. CONFUTATIO. Patet jam, antiphilosophicum systema hactenus expositum inter præcipua humanæ mentis deliria summo loco, fortasse primo, esse recensendum. Hoc tamen absurdum somnium iterum celebres philosophi nonnulli fulcire, & in philosophiam invehere conantur, quum a nostris sensibus, & ab organicis sensationibus ideas nostras, ac mentales sensationes effici velint. Si enim hac in re proprium systema prosequi, atque explicare pergant, quod tamen facere effugiunt, dicant, si possint, aut quid diversum, aut quid minus a recta ratione alienum, quam quod in specierum impressarum, & expressarum systemate dicatur.

I. Dicunt, & iterato dicunt cum celebri Lockio, *ideas omnes, quas rerum sensibilium habemus, nobis ministerio sensuum obvenire*. Quis dubitat?

At vero semper explicandum superest, qua ratione sensus materiales, & sensationes nostræ materiales in anima nostra sensationes, & imagines spirituales producant. Atqui hoc ipsum est, quod nemo adhuc præstitit, neque fortasse præstabit unquam meliori ratione, quam quæ ab antiphilosophico systemate adhuc exposito exhibeatur.

II. Inter recentiores philosophos, qui explicare studuerunt qua ratione *sensationes* nostræ *organicæ* fiant in nobis ideæ, aut sensationes mentales, nonnulli fuerunt, qui in hoc argu-

mentum omnes philoſophici ingenii nervos contenderunt. Horum conatuum ſpecimen aliquod exhibeamus.

Principio totius anatomes ſubſidia invocarunt. Omnia ſenſus organa, quoad fieri potuit, ad primam uſque eorum originem perſcrutati ſunt: probatiſſimis microſcopiis cordis, oculi, auris, cerebri, fibrarum, fibrillarumque omnium artificium obſervarunt, quas in partes uſque infinitesimas, ſeu veluti infinite parvas diviſas ſuppoſuerunt. Hactenus omnia perbelle.

Subinde in fibris, atque fibrillis hiſce vibrationes ſuppoſuerunt, & vibratiunculas, alias ſimplices, compoſitas alias, quæ in anima & ideas ſimplices, & compoſitas oriri faciant. Demus.

Præterea poſuerunt in fibris hiſce, atque fibrillis, in earum congerie, tum in earum partibus infiniteſimis fluidum infinite tenue aptum vel minimas illis tranſmittere externorum objectorum impreſſiones; & in externis objectis emanationes, quæ ſint *ipſorum imagines*, ſive eorum minutiſſimæ picturæ aptæ aut ſolitariæ, aut ſimul congeſtæ agere. Demus etiam *picturas* iſtas minimas, quæ ſpecies impreſſæ, de quibus egimus, tandem ſunt.

Dixerunt tandem: externa objecta ſui imaginem, ſeu picturam in organum jaculantur; organum hinc vibrationes, & vibratiunculas concipit, quæ uſque ad ſedem animæ propagantur, ſeque ſentiri faciunt: hæ in ipſa animæ ſubſtantia receptæ ibi fiunt horum objectorum aut ſenſatio, aut imago.

470. NOTA I. Quod animadverſione hic dignum eſt, ipſa eſt nodi hujus ſolutio, atque concluſio. Ipſa hæc enim ſemper eſt nodi ſolutio, atque concluſio allata a philoſophicis omnibus meditationibus, quæ *ſenſationum, atque idearum originem* detegere, & explicare nituntur ſtatuentes, ſenſus eſſe cauſam earum efficientem.

At

At enimvero hic deberet phænomeni explicationis initium fieri; atque hic eſt, ubi pravo ratiocinio ſemper illud explicatum ſupponitur, nulla allata explicatione. Adhuc enim, ut evidens eſt, explicandum remanet, & oſtendendum, qua ratione vibrationes hæ, & vibratiunculæ materiales organi immediati ſenſus, minuſculæ hæ *materiales picturæ* in immediato ſenſus organo receptæ a materiali organo ad animam tranſire poſſint, ibique in imagines, aut ſenſationes ſpirituales transformari (16).

Idem dicemus de quibuſcumque, quæ vibrationibus hiſce, vibratiunculis, picturis ſubſtituantur, ſive hæ re ipſa exiſtant, ſeu tantum fingantur. Quare phænomeni explicatio, quæ data ſupponitur eo ipſo tempore, quo illius dandæ initium fieri deberet, danda adhuc eſt, & æternum erit. Quin ſi ulterius progredi velis, eo adigeris neceſſitate, ut ad abſurdum impreſſarum, & expreſſarum ſpecierum ſyſtema, & ad intellectus agentis, & patientis miniſterium confugias.

471. NOTA II. Hoc *impreſſarum, & expreſſarum ſpecierum ſyſtema*, & ſyſtema aliud quodvis, quod ab organicis ſenſationibus ideas, & mentales ſenſationes produci ſtatuat, in Epicurri, & Lucretii ſyſtema de ſenſationum, & idearum origine re ipſa recidit, quod profecto ratio, & experientia rejiciunt, atque ejurant.

I. In horum celebrium materialiſtarum, Epicurri ſcilicet, & Lucretii, ſententia, ab intimo, ſive a ſuperficie corporum emanant innumera *ſimulacra repræſentativa*, tenuiſſima, & mobiliſſima; quæ in corpore organico, & animato recepta, in eo majori, vel minori ſimilitudine imaginem, ſeu lineamenta imprimunt objecti ea emittentis.

II. Simulacra hæc & in *anima ſenſibili* imprimuntur, quam eſſe volunt tenuium corpuſculorum toto corpore diffuſorum congeriem; & in

in *anima intelligente*, quam aliam adhuc tenuiorum corpusculorum congeriem fingunt, quorum cor præcipua sedes est. Primam *animam* vocant, alteram *animum*.

III. Binæ hæ animæ in corpore vigili, & sano persistunt; a dormiente vero, & infirmo ex parte abeunt. Proh! quam philosophiam! Nonne putes, quum partem hanc Epicurræi systematis, & carminum Lucretii legis, te magorum fabulas legere, & sagarum nocturnos congressus? En tibi Epicurri, & Lucretii systema ex libro quarto poematis de Rerum Natura.

Dico igitur, rerum effigies, tenuesque figuras
Mittier ab rebus summo de corpore earum:
Quæ quasi membrana, vel cortex nominitanda est;
Quod speciem, ac formam similem gerit ejus imago,
Quojuscumque cluet de corpore fusa vagari....
Centauros itaque, & Scyllarum membra videmus,
Cerbereasque canum facies, simulacraque eorum,
Quorum, morte obita, tellus complectitur ossa;
Omne genus quoniam passim simulacra feruntur,
Partim sponte sua quæ fiunt aere in ipso;
Partim quæ variis ab rebus cumque recedunt,
Et quæ consistunt ex horum facta figuris.
Nam certe ex vivo Centauri non fit imago;
Nulla fuit talis quoniam natura animalis.
Verum ubi equi, atque hominis casu convenit imago
Hæret cit facile extemplo, quod diximus ante,
Propter subtilem naturam, & tenuia texta.
Cetera de genere hoc eadem ratione creantur...
Nec ratione alia quum somnus membra profudit
Mens animi vigilat, nisi quod simulacra lacessant
Hæc eadem nostros animos, quam quum vigilamus.... ..

Nunc,

Nunc, qui fiat, uti passus proferre queamus,
Quum volumus, varieque datum sit membra movere:
Dico, animo nostro primum simulacra meandi
Accidere, atque animum pulsare; ut diximus ante.
Principio somnus fit, ubi est distracta per artus
Vis animæ, partimque foras ejecta recessit.
Tum nobis animam perturbatam esse fatendum est,
Ejectamque foras: non omnem; namque jaceret
Æterno corpus perfusum frigore lethi.

SYSTEMA TERTIUM. RES IN DEO VISÆ.

472. EXPLICATIO. In *systemate rerum in Deo visarum*, sive Malebranchii ejus auctoris, omnia nos in divinis ideis videmus; at qua ratione nos omnia in Deo, sive in divinis ideis videmus? Hoc profecto auctor non satis dilucide videtur explicare. Hoc ne auctori, qui non satis ideas suas, atque systema enucleaverit, & in clara luce collocaverit, an systemati ipsi, quod abstractum nimis, ac metaphysicum neque clarius intelligi, neque majori luce perfundi potuerit, tribuendum? Hoc illi viderint, quibus in ipsius auctoris opere systema hoc consulendi voluntas, & otium erit. Attamen systema hoc ipsum nos percipere, & divinare studuimus. En tibi quale illud esse putamus, apte perpensis notionibus ab auctore traditis, consecutionibus deductis, & exemplis ab ipso allatis.

I. Divina essentia entium omnium tum existentium, tum quæ existere possint ideas prototypas, ac repræsentativas in se continet; ab his tantum enim prototypis ideis illa Deus existere facit, aut facere potest.

Patet enim, entium quorumcumque naturam dum adhuc tantum possibilia sunt, Omnipotentis actione creari, & existentem fieri nequire,

quin prius ab ideis prototypis, & directricibus, quas ipse habet, repræsentetur; hasque Omnipotentis Dei ideas esse, ac semper objecti sui repræsentativas perseverare.

II. Divina essentia, inquit Malebranchius, est *spirituum locus*, sicuti spatium est locus corporum.

Quare sicuti corpora spatio, quod occupant, intime conjuncta sunt, ita spiritus divinæ essentiæ intime conjuncti sunt, in qua veluti immersi, & absorpti sunt.

III. Quum itaque spiritus ita intime divinæ essentiæ conjuncti, atque immersi sint, jam & ab ideis prototypis in hac divina essentia existentibus penetrati, illisque intime conjuncti sunt; atque ita in illis, & per illas objectum vident, cujus ipsæ prototypus fuerunt, quodque referre nunquam desinunt.

Exempli causa: spiritus intime divinæ essentiæ conjunctus in ea tunc solem videt, quum intime conjunctus est, & applicatus ideæ, ad quam sol creatus fuit, & quæ Deo actu solem repræsentat. Hominem, seu leonem, hunc hominem, & hunc leonem videt, quum intime conjunctus est, & applicatus ideæ divinæ, ad quam homo, aut leo, hic homo, aut hic leo creatus fuit, quæque actu hæc objecta Deo repræsentat.

IV. Anima nostra spiritus est, cujus essentialis locus divina essentia est. Quare anima nostra semper divinæ essentiæ, a qua penetratur, conjuncta, videt aut planetas, aut sidera, aut pisces, aut aves, aut vegetabilia, aut fossilia, aut aliud cujuscumque speciei individuum, quum actu conjuncta, & applicata est divinæ ideæ aut planetas, aut sidera, aut aves, aut pisces, aut vegetabilia, aut fossilia, aut aliud cujuscumque speciei individuum referenti.

V. Non semper anima quidquid in Deo videre posset, videt; ut enim videat, desideret oportet

Si

Si stemus Malebranchio, ut anima videat satis est, si desideret: Ejus desiderium visionis causa occasionalis est. Ejus visio formalis, seu forma illam videntem efficiens est idea divina, cui conjuncta, & applicata est. Desideret anima, puta, solem videre; huic animæ desiderio respondebit aspectus, seu visio solis. Hic vero animadvertas velim, de visione ideali, non de sensitiva, de idea, non de sensatione sermonem esse.

VI. *Ideæ* diversorum objectorum *repræsentativæ*, si Malebranchium audias, non sunt animæ intrinsecæ, sive illam in propria substantia intrinsece non modificant.

Hæ ideæ tantum divinam essentiam intrinsece modificant, in qua existunt increatæ, æternæ, infinitæ, & infinite simplices, ut est ipsa: eamque modificant, quin essentiali ejus simplicitati officiant.

VII. Anima nostra, in auctoris hujus sententia, a suis sensationibus tantum intrinsece modificatur; veluti a doloris, & voluptatis sensationibus, sive ab iis, quas habet a coloribus, a sonis, ab odoribus, ceterisque.

Ideales perceptiones, inquit ipse, sunt veluti *animæ nostræ superficiales*: ipsam quippe non penetrant. Ideæ rerum repræsentativæ id animæ sunt, quod oculo speculum. Nos per speculum objecta videmus, quæ ipsum pingit, & refert, quin speculum referens ipsum in oculo sit.

473. CONFUTATIO. Hoc *rerum in Deo visarum systema* ingeniosum, aptumque aliqua ex parte fucum facere, ad rigidum perspicacis philosophiæ tribunal diu stare nequit. Nos hic tantum præcipuas, quibus evertitur, atque proteritur, rationes afferemus.

I. Evidens est, systema adeo singulare, ideisque, ac sententiis passim receptis oppositum, ut staret, nec a se rueret, firmis, perspicuis, vi-

ctricibus rationibus fulciri debuisse. At vero qua tali probatione fulcitur? nulla.

Rationes omnes a Malebranchio ad hoc systema statuendum, ac conprobandum allatæ eo tendunt dumtaxat, ut Deum probent esse idearum nostrarum causam efficientem; quod sane verum esse potest, quin nos omnia in Deo, ac divinis ideis videre, inde consequatur.

Trianguli æquilateri modo ideam habeo, & hujus ideæ causam efficientem Deum esse suppono: ego vero in hac idea, quæ in anima mea est, illamque modificat, triangulum video. At licet idea hæc Dei actione in me producta sit, non propterea sequitur, me in Deo hoc triangulum videre; hæc quippe idea, qua triangulum video, modo in me a divina actione producta, in se neutiquam divina est, neque Deo, aut ideis divinis identificata, quæ a Deo ipso re ipsa non distinguuntur.

II. Experimentali sensu nobis constat, nos innumeras habere ideas, quarum una non est alia, quarum una ab alia non solum distincta, verum etiam diversa est. Idea trianguli, exempli gratia, a circuli, & quadrati ideis in se ipsa & distincta, & diversa est.

Si ergo omnia in divinis ideis videmus, in Deo *realis idearum distinctarum, & diversarum multiplicitas* sit oportet, non tantum respectu rei repræsentatæ, verum respectu etiam rei repræsentantis. Quod patet, cum divinæ essentiæ simplicitate componi nequire, quæ omnem compositionem necessario tum in substantia, tum in modificationibus excludere videtur.

III. Certum est, theologorum omnium, ac philosophorum consensione, *unicam* in Deo *essentiam* esse infinite simplicem, & omnium sive quæ sunt, sive quæ esse possunt, objectorum essentialiter repræsentativam. Si ergo nos omnia in Deo videmus, anima nostra huic unicæ, infi-

infinite ſimplici, & objectorum omnium neceſſario repræſentativæ eſſentiæ conjuncta, & applicata, & omnia ſimul videre deberet, & omnia videre omni eſſentiæ, aut ideæ repræſentativæ perfectione.

Si vero dicas, divinam eſſentiam, ſive divinam ideam modo magis, modo minus applicari animæ in ipſa, & per ipſam videnti, hoc eſt ſe arbitrio confictis myſteriis mergere, & obſcuri, ac tenebris obſiti ſyſtematis obſcuriorem, multoque denſioribus involutam tenebris explicationem proferre.

IV. Fatente Malebranchio, una ex præcipuis ſyſtematis ſui baſibus eſt, *animam, ut videat, deſiderare oportere*; exempli gratia, ut ſolem videat, ſive ut ſolis ideam habeat, hanc ſolis imaginem, ſive ideam habere deſideret oportet.

At vero quomodo quid deſiderem, aut videre deſiderem, niſi prius ejus ideam, aut cognitionem habeam? neceſſe ergo eſſet, manifeſto abſurdo, animam rem cognoſcere, antequam unicum medium haberet, quo rem cognoſcere poſſet.

V. Cui unquam perſuadeas, ideas, quas in anima ſentit, in anima ſua non eſſe? tantum *animæ ſuæ ſuperficiales* eſſe? tantum id animæ eſſe, quod ſpeculum oculo? Syſtema hæc paradoxa ſupponens vix in hominum mente aditum invenire potuiſſet etiam firmiſſimis demonſtrationibus roboratum; quomodo quæſo ita rationibus deſtitutum a ſanis mentibus excipietur?

474. NOTA. Quum nonnulli non recte Malebranchii ſyſtema cognoverint, putantes eum tantum aſſerere, Deum eſſe cauſam unicam idearum noſtrarum efficientem, opportunum erit hunc errorem ab iis auferre ipſa Malebranchii auctoritate.

I. Unum ex præcipuis Malebranchii principiis eſt, *Deum, ſive Agens univerſale natura in ſpiritus agere, ut in corpora*; *modo ſcilicet*

 ſim-

simplicissimo. Atqui simplicius est, inquit ipse, omnia in Deo videre, quam *infinitis ideis*, quas Deus nulla intermissione in diversis mentibus producere teneretur.

Hic jam videmus, auctorem non tantum dicere, Deum esse idearum nostrarum causam efficientem; sed vere contendere, nos omnia in Deo ipso videre, & cognoscere eo prorsus modo, quo supra tradidimus, & explicavimus.

II. Quod vero auctoris sententiam clarius adhuc patefacit est, quod ipse profert *in demonstratione existentiæ Dei per ideam*; quam demonstrationem amplectitur, explicat, & statuit juxta suum systema de idearum origine. Hujus demonstrationis capita hæc sunt.

Idea Entis infiniti repræsentativa est in se infinita; atqui idea in se infinita in subjecto finito existere non potest; si ergo hæc idea existit, non nisi in subjecto infinito existere potest; si ergo hæc idea existit, existit ejus subjectum, nempe Deus. Atqui hæc idea existit; quandoquidem Dei ideam habemus, quam non nisi in Deo, & per Deum habere possumus. Deus ergo existit.

Hæc idea Dei, pergit ipse, tota sua perfectione, ut in se est natura infinita, nobis non applicatur, & communicatur. Quum ipsa infinitis decrescentibus gradibus communicari possit, tantum infinite parva sui portione nobis communicatur. Hæc idea, ut in Deo est, ipsi, ut in nobis est, se habet ut unitas ad infinite parvum, seu ut unitas integra ad unitatem per infinitum divisam; quod semper dat *quantitatem positivam*, quæ satis est, ut & hujus ideæ, & ejus subjecti, nempe Dei existentia demonstretur. Hæc sunt hujus auctoris principia, & ratiocinia.

Hæc asserta demonstratio unico vitio laborat, fundamento scilicet inani, & labanti, cui innititur; nos scilicet nullas ideas habere, præter

ter divinas nobis communicatas, in quibus quidquid cognoſcimus videmus; quod ſatis, ſuperque eſt, ut & ipſa demonſtratio ruat prorſus, ac dilabatur.

III. Si Malebranchius, quum dixit, *nos omnia in Deo, & in divinis ideis videre*, tantum contendiſſet, Deum idearum noſtrarum auctorem, & cauſam efficientem eſſe, plane quid tritum, ac vulgare dixiſſet, atque hoc verbis minus propriis, & philoſopho indignis protuliſſet.

Si enim ideo ideæ noſtræ divinæ ſunt, quia earum Deus eſt cauſa efficiens, conſequetur, animam noſtram, organa, naturam divinam eſſe; horum enim Deus auctor eſt, & cauſa efficiens; motus quoque noſtros mechanicos, voluptatis, ac doloris ſenſationes divinas eſſe; Deus enim, per Malebranchium, earum eſt auctor unicus, & unica cauſa efficiens. At vero non ita auctor ſyſtematis rerum in Deo viſarum ſummo ingenio vir ſentiebat, & loquebatur.

SYSTEMA QUARTUM. DEUS IDEARUM NOSTRARUM PRIMITIVARUM AUCTOR.

475. EXPLICATIO. Veroſimilius *de idearum origine* ſyſtema, ſi tamen ſyſtematis nomen hypotheſi tribuendum eſt, quam ſolide ſtatutam, ac ferme demonſtratam arbitramur, illud eſt, quod eas partim a Dei, partim ab animæ actione produci vult. In hoc *Deus eſt omnium primitivarum idearum noſtrarum cauſa efficiens; & anima ipſa cauſa eſt efficiens nonnullarum idearum, quas ſibi primitivarum idearum collatione effingit*. Hoc ſyſtema amplectimur, explicabimus, ac ſtatuemus.

I. Nullo pacto putandum eſt, animam *primitivarum idearum*, quas rerum habet, cauſam efficientem eſſe. Etſi enim ponere velimus, ani-

animam in se, & a se habere ideas producendi facultatem, ut in se primam, ac primigeniam mali Assyrii, Rhinocerotis, formicæ ideam produceret, illi opus esset *idea prototypa, atque directrix*, quæ illam doceret imaginem mali Assyrii, Rhinocerotis, formicæ in se efficere. Quare opus esset, (quod repugnat) animam hanc ideam habere priusquam ipsam haberet; & in genere, rerum ideas habere antequam rerum ideas haberet.

Quoniam itaque anima nostra inepta est sibi primas, ac primigenias rerum ideas comparare, easque efficere, multoque magis sensus nostri ad hoc ipsum inepti sunt; plane consequitur, harum productionem & efficientiam in nobis non nisi ipsi naturæ auctori tribui posse. Quare *natura auctor est unica primigeniarum, quas rerum habemus, idearum causa efficiens*.

II. Ætatum, ac gentium omnium experientia docemur, cognitionum humanarum supellectilem organorum evolutione augeri, ac perfici; sensus cujuscumque defectum animam fraudare cognitionibus omnibus ad hunc sensum spectantibus; eamque aut libero sensuum usu destitutam, aut sensibus nimis rudibus, inertibus, ac veluti paralyticis conjunctam, stupore modo majore, modo minore corripi; *ideas* denique, *quas rerum sensibilium habemus, nobis ministerio sensuum comparari*.

Ergo anima corpori conjuncta multo melius habet, quam separata; sensus enim eam juvant, quomodocumque id tandem fiat, ut sibi utiles, atque jucundas cognitiones acquirat.

At vero sensus non ipsi sunt harum idearum causa efficiens, ut neque mentalium sensationum, quæ illas sæpius comitantur (461). *Sensus ergo tantum sunt idearum, quas sensibilium rerum habemus, causa occasionalis*.

III. Sensus experimentalis nos docet, *nos primigenias, quas rerum sive sensibilium, sive in-*

insensibilium habemus ideas, invicem conferre, & modificare posse; nosque pro voluntate innumeras alias ideas efformare, & producere in nobis posse ad idearum primigeniarum nos dirigentium exemplar.

Exempli causa, vidi pisces natare, aves volare; atque binarum harum imaginum occasione piscis volantis in me imaginem, sive ideam pro voluntate efficio. Pari modo leonem rugientem vidi, & placidum hominem, ac pacificum; & pro voluntate ad hominem, quem placidum tantum vidi, leonis furorem transfero. Terram etiam vidi plurimis animantium speciebus refertam; planetas vidi, quos terræ censeo admodum similes; & facile imaginor, aut mihi fingo in planetis varias animantium species, quas idea confingo ad primigeniarum idearum exemplar, quas terrestrium animantium habeo; atque ita de reliquis. Verosimile ergo est, *animam ipsam ut causam efficientem idearum suarum partem producere ad exemplar, sive collatione quarundam primigeniarum idearum, quas rerum habet, quasque a se ipsa non efficit*.

Valde veritati consonum est, in hac activa, qua pollet anima, *ideas imitationis* a se producendi facultate, magna ex parte sitam esse *imaginationem activam*, de qua alibi agemus (1164, & 1165).

UNIVERSÆ HUJUS THEORIÆ COROLLARIA.

Ab hac idearum theoria, & a diversis principiis, quibus innititur, plura consequuntur, quæ ejus veluti analysis sunt, & universam ejus medullam continent.

476. COROLLARIUM I. *Primigenia rerum quarumcumque idea in anima non producuntur, nisi immediata natura Auctoris actione*. Solus Deus est earum in nobis vera causa efficiens.

477.

477. COROLLARIUM II. *Primigeniæ rerum ideæ in anima sine causa, & veluti casu non producuntur; semper indefectibiliter earum causa occasionalis est impressio aliqua effecta, aut motus aliquis in nostris organis excitatus.*

Exempli gratia, ut Rhinocerotis imaginem, & ideam habeam, necesse est aut ejus præsentiam, aut picturam illum oculo meo exhibere; sive nitidam hypothiposim illum auribus pingere.

Impressio hæc aut in oculi, aut in auris fibris causa occasionalis est, qua auctor naturæ ipse primigeniam Rhinocerotis ideam mihi in anima effingit.

478. COROLLARIUM III. *Verosimile est, initio rationis usus naturæ auctorem ipsum, occasione organorum evolutionis, in animæ nostræ primigeniarum idearum numerum quemdam efficere, quæ destinatæ sint animæ animadversione in plurimas peculiares ideas propagari, quarum ipsæ veluti germina, & radices sunt.*

Exempli gratia, verosimile est, Deum ipsum producere *ideam causarum, ideam perfectionis, ideam justitiæ, ideam ordinis*, quas apud omnes gentes tum barbaras, tum excultas reperimus; quæ earum causa occasionalis ubique haberi debet; neque hæc alia esse videtur, nisi ipsa organorum evolutio.

479. COROLLARIUM IV. *Major, minorve ad primas has, ac primigenias ideas ordinis, justitiæ, perfectionis, causæ, animadversio occasio est, cur in anima major minorve habeatur notio objectorum genericorum, eorumque, quæ ab ipsis pendent.* Sive quia primigeniæ hæ ideæ sunt veluti germina fœcunda, quæ anima ipsa evolvit, atque explicat sola sua intima activitate, sive quia *animæ ad primigenias has ideas animadversio* est cum organorum motu conditio, seu causa occasionalis, a qua naturæ auctor novarum idearum productionem in anima, quibus eam locupletat, pendere facit.

480.

480. COROLLARIUM V. *Omnes animæ ideæ sopore veluti correptæ, & extinctæ esse debent quum organorum actio, quæ earum causa occasionalis est, cessat.*

At hæ ipsæ ideæ expergisci debent, & sensibiles fieri quum *animæ animadversio* hæc aut illa organa, tanquam causa occasionalis, ad actionem excitat; puta, eas cerebri fibras, quarum ordinata, & opportuna vibratio natura cum harum idearum existentia, & sensibilitate connexa est.

481. COROLLARIUM VI. *Idea Dei ab ipso naturæ auctore in nobis primitus producta post primum rationis usum, causa occasionalis esse potest animæ animadversio ad ideas causæ, perfectionis, ordinis, quas semper, & ubique sibi impressas invenit.*

Exempli causa, animadversio ad primigeniam, & præexistentem ideam causæ gradatim animam deducit ad ideam causæ primitivæ, & increatæ. Animadversio ad ideam primigeniam, & præexistentem ordinis, seu perfectionis animam, veluti natura ipsa, in cognitionem inducit Entis supremi, primique ordinis, ac perfectionis omnis auctoris, quam in sensibili natura deprehendit.

482. COROLLARIUM VII. *Anima in ideis suis non est libera, nisi quatenus aliquando aut ponere, aut auferre potest causam occasionalem, a qua earum existentia pendet.* Sæpius enim in ipsa etiam nolente, & invita ideæ nascuntur, aut cessant.

483. COROLLARIUM VIII. *Anima in suis ideis non est subjectum pure passivum.* Plurimas enim ipsa a se producit ad exemplar, seu directione idearum primigeniarum, quæ in ipsa sola Creatoris actione producuntur.

Neque semper pure passiva est in his ideis primigeniis sola Creatoris actione in ipsa productis; sæpius enim ponit ipsa conditionem,

seu

ſeu cauſam occaſionalem, a qua pendet, & cui indefectibiliter earum productio adnexa eſt.

484. NOTA I. Hæc ſenſationum, & idearum theoria *hominis libertati* nihil officit; in omnibus enim principiis a nobis ſtatutis, in ipſa hypotheſi, in qua Deus eſt unica cauſa efficiens in natura univerſa tum animata, tum inanimata, homo ſemper æque ſuarum operationum liberarum dominus eſt, ac ſi eſſet ipſe & ſuarum ſenſationum, & ſuarum idearum, & ſuorum motuum mechanicorum cauſa efficiens.

I. Exemplum. Volo libere, & animadvertens ipſe liquorem dignoſcere, cujus exquiſitus ſapor collaudatur, & cujus cyathus mihi propinatur.

Actus mea voluntatis, ſive mea volitio eſt cauſa occaſionalis motus fluidi animalis, qui in tenuiſſimis fibrarum, & nervorum meorum tubulis circuit.

Motus fluidi animalis eſt cauſa occaſionalis motus brachii mei, & manus.

Manus mea motus eſt cauſa occaſionalis motus cyatho communicati, & illum ori meo admoventis.

Immediatus liquoris, & oris *contactus* eſt cauſa occaſionalis organicæ ſenſationis in fibris oris mei cavitatem obtegentibus excitatæ.

Hæc *organica ſenſatio* eſt cauſa occaſionalis intimæ, & mentalis ſenſationis, quæ intimam animæ ſubſtantiam afficit, & intimam hujus liquoris cognitionem mihi impertitur.

Hæc omnia primitus pendent, ut patet, ab animæ voluntate, quæ ſemper libera eſt ponere, aut non ponere *cauſam occaſionalem primitivam*, quæ cetera omnia trahere debet, & a qua tota hæc effectuum tum activorum, tum paſſivorum ſeries indefectibiliter conſequetur.

II. Eadem theoria veluti ſe ipſa cuicumque liberæ actioni licitæ, aut illicitæ, honeſtæ, aut in-

inhonestæ accommodatur: puta, actioni latronis viatorem spoliantis, actioni hominis pii pecuniam pauperibus largiter erogantis.

Utrinque *actus voluntatis* est causa occasionalis fluidum animale movens. Hujus motus est causa occasionalis manum movens. Manus motus est causa occasionalis movens aut viatoris sarcinam, quam diripit, aut pecuniam, quam erogat.

Hæc omnia vero primitus, ut patet, *ab animæ voluntate* pendent; quæ voluntas in se libera efficaciter, & indefectibiliter cetera omnia ad motum excitat, quæ non nisi in eorum causa primitiva, hac nempe voluntate, libera sunt.

485. NOTA II. *Reciproca causa occasionalis* habetur hinc inter animæ ideas, & sensationes, illinc inter corporeorum organorum motus. Hoc ex *lege conjunctionis animæ cum corpore* consequitur. Exempli causa:

I. Nonnulli *in corporeis organis motus*, ut causæ occasionales quasdam in anima sensationes, & ideas producunt.

II. Nonnullæ *ideæ, & sensationes in animæ* ipsæ quoque ut causæ occasionales quosdam in corporeis organis motus excitant.

III. Hanc quoque *reciprocam causam occasionalem in brutis* inter animæ sensationes, & corporis motus deprehendimus.

Et in brutis, ut in hominibus hoc *a lege conjunctionis* animæ cum corpore consequitur; quæ lex postulat, quemcumque materialem in materiali organo motum quamdam in anima sensationem, & quamdam animæ sensationem quemdam in materiali organo motum excitare.

486. NOTA III. In theoria hactenus exposita, atque statuta *Deus est primigeniarum idearum nostrarum unica causa efficiens*, ac proinde etiam ideam, quam Dei ipsius habemus. Anne vero hinc sequitur, nos, ut principiis no-

stris

ſtris ſtemus, quandam Dei Exiſtentiæ demonſtrationem admittere debere, quam dicunt *demonſtrationem per ideam*? Minime vero. Hæc aſſerta demonſtratio, quam alibi confutabimus (911), cum theoria, quam admittimus, nihil commune habet. En quo greſſu theoria noſtra procedat.

I. Senſus intimi teſtimonio ſcimus, nos rerum ideas habere, & rationis teſtimonio, id de rebus affirmandum eſſe, quod in earum ideis eſſentialiter incluſum videmus: quæcumque tandem cauſa ſit ideas in nobis efficiens (417).

Poſitis hiſce principiis plena, perfectaque evidentia judicamus, naturæ, & ſuarum legum exiſtentiam, noſtram ipſam exiſtentiam individuam neceſſario ſupponere, & irrefragabili demonſtratione evincere cauſæ increatæ, & creatricis, Dei ſcilicet, exiſtentiam. En tibi jam *Dei exiſtentiam* demonſtratam ante ullam idearum originis, aut cauſæ illas in nobis producentis inquiſitionem (425).

II. De Dei exiſtentia plane certi, ac perſuaſi in idearum noſtrarum originem inquirimus, & quænam earum in nobis ſit *cauſa efficiens* inveſtigamus.

Quum *ideas* noſtra *primigenias* in nobis fieri non poſſe videamus neque ab objectis externis, neque ab organorum motu, neque intima animæ actione; inferimus, ac judicamus, non niſi ab ipſo naturæ auctore in nobis produci poſſe; ipſumque, cujus exiſtentia nobis jam demonſtrata eſt, ipſarum unicam cauſam efficientem eſſe.

Non igitur noſtra de idearum origine ſententia aſſertæ Dei exiſtentiæ demonſtrationi, de qua ſermo, alligata eſt. Noſtra enim ſententia Dei exiſtentiam antea cognitam, & demonſtratam ſupponit; ceterum non facta hac hypotheſi, plane corrueret.

Se-

SECTIO TERTIA.

SENSUUM TESTIMONIUM.

487. OBSERVATIO. PRæcedentibus duabus sectionibus ostendimus, in quo sita sit, quæque sit certitudo, quam nobis facit sensus intimi testimonium; in quo sita sit, quæque sit certitudo, quam nobis facit idearum testimonium. Eodem pacto ostendere pergimus tertia hac sectione in quo sita sit, quæque sit certitudo, quam nobis facit sensuum, seu sensationum testimonium, cujus genericam jam notionem exhibuimus (380 & 455).

I. *Sensus intimi testimonium* de intimis, ac sensibilibus animæ affectionibus, seu modificationibus nos tantum instruit. *Idearum testimonium* nos tantum erudit de essentialibus rerum proprietatibus sive illæ existant, sive non; quas proprietates ex ideali harum rerum idea dignoscimus (384 & 417).

II. *Sensuum testimonium* nos ampliori, atque amœniori cognitionum campo entium sensibilium spatiari facit. Horum existentia, locus, figura, propinquitas, aut distantia, fluiditas, aut soliditas, levitas, aut gravitas, motus, aut quies, aliæque sensibiles qualitates hujus testimonii objectum sunt. Nihil horum in anima est; nihil horum est entium essentia; nihil horum aut sensus intimi, aut idearum testimonio nobis indicari, aut comprobari potest: at hæc omnia sensuum, & sensationum testimonio nobis detegi, & patefieri possunt.

III. Sensuum ergo testimonium est sensationum nostrarum relatio ad diversa objecta, quæ illas in nobis oriri faciunt. Exempli gratia, quo tempore extiti, omni eo tempore sensationes expertus

pertus sum, quæ perpetuam ad homines, ad plantas, ad bruta, ad solem, ad stellas, ad cetera rationem habent. *Hæc mearum sensationum ad diversa hæc objecta relatio* ipsum est sensuum testimonium.

Hoc meorum sensuum testimonium quatenus *connexum* est *essentiali Dei veracitati* (425), horum diversorum objectorum existentiam mihi testatur; plurimasque mihi impertiri potest certas, & nunquam errori obnoxias cognitiones eorum naturæ, ac proprietatum. At ut id præstet, quibusdam conditionibus convestitum sit oportet, quibus certum redditur, atque ab errore prorsus immune, quasque sequenti observatione proponemus, & explicabimus.

HUJUS TESTIMONII CONDITIONES.

488. OBSERVATIO. Ut sensus nostri, oculus scilicet, auris, nares, os, & tactus certas, & nunquam errori obnoxias cognitiones nobis impertiantur quid requiritur?

I. *Sensus sani, & bene valentes esse debent.* De hoc vero certi fieri possumus & propria experientia, quæ nullum in iis vitium, neque ullam perturbationem sentit, & judiciorum nostrorum, quæ ex eorum testimonio ferimus, cum ceterorum hominum, quibuscum vivimus, judiciis consensione.

II. *Sensuum testimonium constans, & perseverans esse debet; ratio vero eorum muneribus, & relationibus praesse debet.* Exempli gratia, si quæ mihi hodie sensus referunt ab iis, quæ heri referebant, diversa sunt; si quæ oculus, aut auris refert, mendacii a tactu redarguuntur; si mentis volubilitas, me serio, & attente quædam æquivoce, & obscure relata perpendere non sinit, dubia, atque incerta erunt hæc testimonia. Si quando inter se pugnent, alterum altero

tero corriges; dubia, & incerta scilicet certis, atque indubitatis.

III. *Objectum sensibile sensui afficiendo satis præsens esse debet, ut impressio, quam faciet, clara, nitida, distincta sit.* Exempli causa, turris satis remota oculo rotunda videtur, licet quadrata sit. Oculus minus remotus ab hac turri, seu mavis, a luce ab hac turri reflexa magis sensibilem, atque distinctam habebit impressionem; & illi erroris causa adimetur.

Geometria, Optica, Astronomia nos docent qua ratione, quibusque scientiæ regulis sensus nobis certas quasdam cognitiones præbeant gravitatis, figuræ, distantiæ objectorum a sensuum organo immenso spatio dissitorum. Hoc in nostra lucis theoria, si lubet, videre potes.

SENSIBILES CORPORUM QUALITATES, HUJUS TESTIMONII OBJECTUM.

489. DEFINITIO. *Sensibiles corporum qualitates* dicuntur proprietates, quas habent quasdam in materialibus nostris organis peculiares, & constantes impressiones efficiendi, quibus diversæ mentales sensationes adnexæ sunt.

Certum est has sensibiles qualitates corporibus inesse; at vero quid ipsæ sunt?

I. Si cæco quodam instinctu de rebus judicemus, cujus alibi originem indicavimus (29 & 30), facile nobis persuadebimus, *corporibus sensus nostros afficientibus inesse quidpiam simile sensationibus mentalibus, quas in nobis excitant.*

Exempli causa, putabimus igni calorem re ipsa inesse sensationi intimæ similem, quam accensum carbonem tangentes experimur; purpuræ puniceum colorem inesse intimæ sensationi similem, quam pannum hunc aspicientes experimur; saccharo, aut absynthio dulcedinem, aut amaritiem inesse illi intimæ sensationi similem, quam

cx-

experimur, quum fibræ gustus a particulis sacchari, aut absynthii percelluntur; cytharæ, aut lyræ fidibus, sive aere ab his agitato melos, sive harmoniam inesse intimæ illi sensationi similem, quam hæc instrumenta in nobis excitant; cetera.

II. Si *sana*, *doctaque philosophia* duce de rebus judicemus, facile nobis persuadebimus, *sensibiles corporum qualitates nihil esse prater corporum materiam*, *&* *motum*; & nulla ratione putari, corporibus sensus nostros afficientibus quidpiam inesse simile mentalibus sensationibus, quas in nobis excitant.

Ex prævia generica notione a nobis tradita (119 & 120) naturæ, & metamorphoseos corporum, cujus quoque ampliorem explicationem habes physicæ nostræ tractatu primo, facile intelliges, *materiam omnino homogeneam* diversimode configuratam, compositam, in partibus sensibilibus, vel insensibilibus motam satis ipsam esse, nullo cujusque occultæ qualitatis adminiculo, *ut in nobis plurima diversa sensationes excitentur* (177); quare ipsa sola ratio reddi potest illius, quod nos in absynthio amaritiem, in saccharo dulcedinem, in luce colores, in igne calorem, in nive frigus, in corporibus quibusque soliditatem, aut fluiditatem dicimus; ac proinde nullas in sensibili natura *sensibiles qualitates* admittendas esse noverimus, quæ & a substantia, & a figura, & a motu diversorum corporum illam componentium distinctæ sint. (*Phys.* 190 & 374.).

490. NOTA I. Huic *errori satis communi*, quo diversis corporibus sensibilem naturam constituentibus *sensibiles qualitates* tribuimus a figura, & motu partium materialium distinctas, ortum dedit non *sensuum testimonium*, sed falsa a sensuum testimonio deducta consequutio.

I. Quid enim nos sensus docent? corporibus diversis nos afficientibus *proprietatem permanentem*

tem

tem inesse, qua apta sunt in nobis hanc, vel illam organicam, & mentalem sensationem excitare sive amaritiei, sive dulcedinis, sive frigoris, sive caloris, vividi, aut atri coloris, grati, aut ingrati odoris, jucundi, aut fœdi saporis, cetera. Vera hæc sunt; neque in his nos sensus nostri decipiunt.

II. Quid hinc deducimus? *Qualitates* has *sensibiles* corporum, quas nunquam in se ipsis novimus, aut percepimus, esse aliquid in his corporibus sensationibus nostris mentalibus simile; aliquid præter eorum materiam, figuram, motum.

Falsa profecto consequutio; & non organis tribuenda, quæ sentiunt, non ratiocinantur, quæ nobis has vel illas in corporibus re ipsa esse permanentes proprietates annunciant, quid ipsæ sint non definiunt; at menti nostræ tribuenda, quæ judicium fert ratione non suffultum, & a vero principio consequentiam deducit illi non inclusam.

491. NOTA II. Quo stupore correpti fuerunt philosophi, quum Cartesius elapso jam sæculo illis enunciavit, atque ostendit, *rerum universitatem omnino ab ea, quæ apparet, diversam esse*! exempli gratia, ignem non esse calidum, glaciem non esse frigidam, purpuram non esse rubram, absynthium non esse amarum, brevi, in natura visibili nihil simile esse ideis, quas nobis nostrorum sensuum ministerio effingimus.

Præclaro hoc invento, quod initio non nisi ingeniosum paradoxum reputatum fuit, quodque subinde ut veritas certa admissum fuit, Cartesius philosophorum sententias immutavit. At vero hoc insigni invento quid tandem Cartesius consequutus est? ferme nihil. Effecit sane, ut castigatius de naturæ materialis *sensibilibus qualitatibus* loqueremur; at nullo pacto *novam naturam* in veteri jam nota nobis ostendit (14 & 103).

I. Ante Cartesium saccharum dicebatur dulce, absynthium amarum, & in saccharo atque absynthio aliquid esse putabatur intimæ sensationi simile, quam hæc corpora in nobis excitant.

II. Post Cartesium dictum est, saccharum non esse dulce, nec absynthium amarum; nihil saccharo, aut absynthio inesse ulla ratione simile intimæ sensationi, quam bina hæc corpora in nobis pariunt; at saccharo, & absynthio *quandam esse configurationem*, & *quandam partium materialium compositionem* aptam certo, & perseveranter datam quamdam organicam sensationem in organica nostra substantia efficere, & datam quamdam mentalem sensationem in nostra intelligente, sensibilique substantia (29 & 30).

III. Cartesius non sane docuit sensus nostros melius sentire, nec mentem nostram sensuum testimonio non fidere; at mentem docuit melius objectum percipere, de quo sensus testimonium perhibent, rectiusque ex sensuum testimonio judicare.

Quidquid nobis sensus testantur verum re ipsa est; at nos ex sensuum testimonio falsa deducere possumus, aut illud perperam aptare. Tunc vero non sensus nos decipiunt: mens est, quæ se ipsam decipit.

CERTITUDO, QUAM SENSUUM TESTIMONIUM FACIT.

492. OBSERVATIO. Pater Malebranchius insignis philosophus ingenti volumine omnes acutissimi ingenii sui vires eo convertit, ut singulare paradoxum statueret vel a solo rectæ rationis lumine confutatum; *sensus nostros*, scilicet, *nos semper decipere, nobisque in omnibus fucum facere.*

Patet, inquit Malebranchius, sensus nos decipere in corporum magnitudine, figura, motu, di-

distantia, qualitatibus sensibilibus. Quin & in corporum existentia ipsa sensus nos decipiunt; sæpius enim ibi corpora nobis ostendunt, ubi corpora non sunt.

Nulla itaque, si Malebranchium audias, certa cognitio ex sensuum testimonio haberi potest, quacumque conditione testimonium hoc munitum sit. Quare nihil obstantibus sensationibus quibuscumque, quas in me, puta, expertus sum toto tempore, quo sum, quæque omnes aut ad corpus meum referuntur, aut ad extranea corpora, fieri potest, me esse *Ens pure spirituale* nullo instructum corpore organico mihi proprio; meque solum cum Deo solo existere in mundo phantastico, seu pure ideali, & intelligibili.

493. NOTA I. Præposteram ideam *mundi pure phantastici* diverso modo amplexi sunt Malebranchius, & Berklejus.

I. Hanc ideam nulla limitatione amplexus est Berklejus Cloynensis Episcopus in Hibernia. Hic nulla prorsus rationis specie, nulla vel illusionem apta facere probatione statuit, nullum re vera in apparente universo corpus esse; & sensationes omnes nostras, quæ ad corpora ut existentia referuntur, a Deo ipso in nobis produci, quin corpus ullum earum causa, aut occasio sit.

II. Hanc ipsam ideam non eodem modo amplectitur Malebranchius. Hic corporum existentiam non absolute negat: tantum asserit, sensationes nostras, quæ ad corpora ut existentia referuntur, nullo pacto demonstrare, corpora hæc re ipsa existere; & si *corporum existentia* nobis certo constat, ut re ipsa constat, nostram hanc certitudinem sola divinæ revelationis irrefragabili auctoritate innixam esse.

III. In Malebranchii, & Berckleii sententia sensationes nostræ *medium demonstrationis* minime sunt, quod plenam nobis certitudinem fa-

cere possit de materialis naturæ existentia, & phænomenis.

Nos vero contra utrumque tota hac tertia sectione ostendemus, *sensationes nostras, quatenus ad diversa corpora referuntur, & quatenus indefectibili Dei veracitati connexa sunt, verum demonstrationis medium esse: quod nobis materialis natura, ut nobis nota est, & existentiam, & phænomena plena, perfectaque certitudine contestatur.*

494. NOTA II. Uterque philosophus, quem hic impugnare statuimus, certam, & indubitatam *Dei existentiam* fatetur; spiritus nempe increati, & creatoris infinita sapientia, infinitaque potentia præditi. Hac enim veritate, tamquam fundamento totum innititur eorum systema.

Quare cum ipsis hanc Dei existentiam, quam tota sectione prima tractatus quarti firmissime demonstrabimus, hic demonstratam supponere possumus.

495. NOTA III. Notaverat Cartesius, ac demonstraverat, *rerum universitatem aliam omnino ab ea, quæ apparet, re vera esse*; quin ullo pacto sensuum ipse testimonium criminaretur (491). Malebranchius Cartesii magistri sui inventum explicuit, & illi systema suum de sensuum erroribus superstruxit. Hoc nos tota hac sectione exponere, & confutare pergimus.

En tibi quo gressu summus hic metaphysicus in errorem prolapsus fuisse videtur, quo nullus mage singularis hominum mentem unquam invasit.

I. Si nostri sensus omnes nos fallunt, aut fallere possunt, inquit Malebranchius, jam consequitur, nullam ab eorum testimonio nos habere veram certitudinem de corporum existentia, natura, proprietatibus, modificationibus. Atqui sensus omnes nos decipiunt, aut decipere possunt.

Gu-

Gustus, inquit ipse, nos decipit. Nihil in absynthio, exempli gratia, est, quod amaritiei, quam in ipso imaginamur, simile sit; hæc amarities tantum in anima nostra est, seu tantum animæ perceptio est.

Visus quoque nos decipit. Nihil est in purpura, aut viola, quod colori, quem his tribuimus, simile sit; & color iste seu puniceus, seu cyaneus tantum animæ perceptio est.

Auditus & ipse nos decipit. Nihil in cythara, aut lyra est, quod harmoniæ simile sit, quam nos in illis imaginamur; re ipsa vero melodia hæc animæ tantum perceptio est.

Olfactus æque nos decipit. Nihil in rosa, exempli gratia, est odori simile, quem illi inesse putamus; neque hic odor est, aut esse potest, præter animæ perceptionem.

Nonne verosimile est & a *tactu* nos decipi? & extensionem, soliditatem, figuram, resistentiam, quam in ligno, in ferro, in saxo, reliquisque nos sentire putamus, nihil in his corporibus esse illi simile, quod imaginamur, & tantum animæ perceptiones esse? (10 & 30).

II. Si anima nostra existere potest, ut certe potest, omnibus instructa perceptionibus sibi intrinsecis, quin ullum extra animam existat corpus; consequens est, inquit etiam Malebranchius, nos omnes sensationes, quibus modo afficimur, & quibus ab incunabulis usque adhuc affecti fuimus, experiri posse, quin corpus ullum in natura sit. Quare si de *corporum existentia* certi sumus, ut re ipsa sumus, sequitur certitudinem hanc, non sensuum testimonio, qui nos in omnibus decipere possunt, sed unice inniti divinæ revelationis testimonio, quæ a Deo est, qui, ipsius natura ita exigente, nos decipere nunquam potest.

Hæc celebris Malebranchianæ sententiæ summa est de sensuum fallaciis, sane futilis, singularis, periculosæ; quæ enim ex ea sequun-

tur, præter auctoris mentem, eo deveniunt, ut rationis, & fidei fundamenta omnia subververtant; ut quamprimum videbimus.

496. NOTA III. Post traditam & systematis confutandi, & eorum unde systema originem traxisse videtur, genericam notionem; reliquum est ut & de hujus systematis auctore nonnulla subjiciamus.

I. ,, Malebranchius Cartesium sequutus (in-,, quit Maupertuisius) ideas suas metaphysicas ,, systemate coordinaverat. Vir iste summo in-,, genio, ac vivida imaginandi facultate, qui-,, bus maxime pollebat, vix systema condidit, ,, quod paucos coætaneos sectatores habuit; au-,, ctore vita functo, neminem ".

II. ,, Malebranchius (inquit Voltairius in ,, sæculo Ludovici XIV) est, ut Cartesius; vir ,, summus, a quo sane pauca addiscuntur ".

Judicium hoc de Melebranchio omni ex parte verum est; non ita de Cartesio, nisi si illud ad auctorem philosophicarum meditationum, & vorticum systematis contrahas; neque etiam illud feras de creatore analyseos, & recentioris geometriæ.

III. ,, Malebranchius hominem noverat (in-,, quit Abbas Codilliacus in suo tractatu de ,, systematibus); at minus ut philosophus, quam ,, ut acuto ingenio vir. Bina hac in re prin-,, cipia eum a recto tramite avertebant; unum ,, quidem, nos omnia in Deo videre (472); ,, alterum, nos nihil amare, nisi amore, quo ,, Deum, aut bonum in genere amamus. Pro-,, fecto hisce principiis nunquam humanarum co-,, gnitionum, & affectionum origo adiri, neque ,, earum progressus, & incrementa percipi un-,, quam poterant ".

PRO-

PROPOSITIO I.

497. *Senſationes conſtantes & concordes, quas in noſtra intelligente, ſenſibilique ſubſtantia experimur, de noſtri corporis exiſtentia metaphyſicam certitudinem nobis faciunt.*

DEMONSTRATIO I. Senſu intimo nobis conſtat, nos in nobis experiri ſenſationes conſtantes, & concordes reſpicientes diverſas partes, ac diverſa organa corporis, quod invincibiliter noſtrum eſſe cenſemus. Atqui ſenſationes iſtæ conſtantes, & concordes ſunt *motivum metaphyſice certum, & irrefragabile demonſtrationis medium*, quod hujus corporis exiſtentiam comprobat (76 & 376). Demonſtro.

Senſationes hæ conſtantes, & concordes ſunt motivum metaphyſice certum cuique proprii corporis exiſtentiam comprobans, ſi fieri nequeat, ut ſint fallaces; atqui hoc fieri nequit. Demonſtro. Fallaces eſſe nequeunt, niſi Deus ipſe deceptor, & illuſor ſit; quod evidenter repugnat, ut fatetur, & ſupponit auctor ipſe ſyſtematis, quod impugnamus. Demonſtro itaque, in hypotheſi, quam impugnamus, Deum deceptorem, & illuſorem fore.

Qui quempiam eo adducit, ut perſeveranter, & invincibiliter falſo fidem adhibeat, ille *deceptor* eſt, & *illuſor*. Atqui ſi ſenſationes noſtræ conſtantes, & concordes diverſas noſtri corporis partes, & organa reſpicientes fallaces eſſent, Deus nos conſtanter, & perſeveranter falſo fidem adhibere faceret. Hoc jam demonſtro.

I. Falſo nos Deus fidem adhibere faceret, nempe exiſtentiæ noſtrorum oculorum, aurium, oris, narium, pedum, manuum noſtrarum, ad quæ omnia ſenſationes noſtræ referuntur. Undenam enim in nobis eſt hic impulſus, qui nos in hanc perſuaſionem trahit, niſi ab ipſo natu-

ræ nostræ auctore? quis vero est naturæ nostræ auctor, nisi ipse Deus?

II. Deus nos perseveranter falso fidem adhibere faceret, nempe existentiæ nostri corporis, & omnium illud componentium. Hæ siquidem sensationes corpus respicientes, quod nostrum est, ubique eadem voce clamitant, eadem ubique energia instant; ubique intelligenti sensibilique substantiæ existentiam corporis organici sibi conjuncti, suique proprii annunciant, atque testantur. In infantia, firma ætate, caduca senectute, in bona, vel aversa valetudine semper eadem ipsarum vox est, nunquam immutata, nunquam sibi opposita. Quare nunquam testimonium ullum fuit constans magis, confirmatum magis, magisve authenticum, ac irrefragabile. Si itaque fieri posset, ut testimonium hoc falsum esset, siveut intelligens nostra, sensibilisque substantia sine ullo corpore sui proprio existeret; qui hoc testimonium instituit, illudque in nobis perpetuo statuit, omnium, qui excogitari possint, deceptorum pessimus esset, & iniquissimus.

III. Deus nos ad fidem falso adhibendam invincibiliter, & irresistibiliter induceret, nempe existentiæ nostri corporis, & eorum omnium, quibus constituitur. Etenim primo nequimus, quin judicemus, corpus nostrum, ejus diversas partes, atque organa existere, ut cuique sensu intimo constat. Præterea, si judicium hoc falsum est, nullum nobis adminiculum, ratio nulla suppetit, qua ejus falsitatem detegamus: si ergo in errore versamur judicantes, corpus, quod ad nos spectet, nos habere; Deus evidenter hujus erroris causa, & origo est; ergo Deus evidenter deceptor, & illusor est.

At vero certitudine metaphysica certum est, Malebranchio ipso fatente, Deum nulla ratione deceptorem, & illusorem esse posse; ergo æque me-

metaphysica certitudine certum est, corpus existere, quod ad nos pertinet.

IV. Ut sensationes nostræ constantes, atque concordes diversas partes, atque organa corporis ad nos pertinentis respicientes nos in earum objecto deciperent; evidenter opus esset, Malebranchio ipso fatente, ut naturæ auctor ipse diversas has sensationes inania, & phantastica objecta respicientes produceret. Quare opus esset, ut naturæ auctor, circulatorum more, quod sane ejus majestate, & sapientia indignum est, temere, stulte, nullaque recta ratione, nugari vellet hominum genus perpetuo infinitis erroribus irretiendo, iisque permanentibus, invincibilibus, universalibus, & tum in eorum principio, tum in objecto, tum in subjecto plane ineptis; quod evidenter summo illi enti, quod naturæ auctor est, repugnat. Q. E. D.

DEMONSTRATIO II. Axioma ab omnibus receptum, veritasque a nullo philosopho oppugnata est; *Deum infinite sapientem nihil inutile, aut ineptum facere.*

Atqui si cum Malebranchio supponam, nos, etsi tot sensationes habeamus corpus respicientes, quod ad nos spectare videtur, adhuc fieri posse, ut simus substantia tantum spiritualis, nobisque nullum corpus sit, quod alere, conservare, & regere debeamus, quod ad nos spectet, quodque servare nostra intersit: quemnam finem sibi proponere potuit sua sapientia dignum naturæ auctor, substantiæ nostræ pure spirituali desiderium hoc inserens perpetuo renascens variorum alimentorum, quibus nulla ratione indigere potest; perpetuam hanc ad plurima sensibilia objecta propensionem, quæ nihil secum commune habent; hanc indeficientem de imaginario, & non existente corpore sollicitudinem; perpetuum hunc, vehementemque de ejus destructione, ac dissolutione, quæ inanis, & chimærica esset, timorem?

Quare nam neceſſe fuit, ita ſtatuente ſapientiſſimo naturæ auctore, me, ut lucis, caloris, ciborum, odorum, melodiæ ſenſationem haberem, perſeveranter *in falſa perſuaſione* verſari, ſcilicet, me oculos luci aperire, ad focum ſedere, cibos mandere, nares odoro corpori admovere, aures harmonico concentui præbere?

Id omne, evidens eſt, inutile eſſe, & ineptum, ſi nos entia ſimus pure ſpiritualia corpore nobis conjuncto, & quod noſtri pars ſit, carentia. Evidens itaque eſt, naturæ auctorem, qui nihil inutile, & ineptum facit, ens noſtrum intelligens, & ſenſibile enti materiali, & organico conjunxiſſe, ex quibus unum totum ſit; atque aſſerere cum Malebranchio, fieri poſſe ut nos ſubſtantia ſimus pure ſpiritualis hoc eſſe manifeſtum abſurdum ſupponere, aut in philoſophiam invehere. Q. E. D.

PROPOSITIO II.

493: *Senſationes conſtantes, atque concordes, quas in anima experimur, de plurium generatim hominum, ac corporum exiſtentia in natura metaphyſicam nobis faciunt certitudinem.*

DEMONSTRATIO I. Senſu intimo metaphyſica certitudine certus ſum, ex quo cogitare, & me ipſum cognoſcere cœpi, ſemper *mihi viſum eſſe* cum aliis hominibus me converſari, me ſemper in cælo aſtra lucentia vidiſſe, me plura, & præclara phænomena in atmoſphæra videre, me miram in tellure animantium, & vegetantium multitudinem ſpectare.

Quibus poſitis ſic procedo. Senſationes hæ conſtantes, atque concordes, quas in anima ſentio, quæque ad homines referuntur, qui mecum converſantur, & ad plurium ſpecierum corpora ſive animata, ſive inanima, quæ mihi adſunt, meque circumſtant, aut perſeveranter fallaces ſunt, aut non ſunt.

I. Si-

I. Si non ſunt perſeveranter fallaces; jam homines hi mei ſimiles, jam varia hæc corpora animata, aut inanima, quæ reſpiciunt, & quorum exiſtentiam mihi annunciant, re ipſa exiſtunt; ſaltem quo tempore fallaces non ſunt.

Ergo mihi metaphyſica certitudine certum eſt, in intelligibili natura exiſtere, aut extitiſſe homines mei ſimiles, & plurium ſpecierum corpora ab eo diſtincta, quod meum eſt, & quod mei ipſius pars eſt. Noſtræ itaque ſenſationes ſunt motivum irrefragabile, *verum demonſtrationis medium*, quod nos plena, perfectaque certitudine certos facit de plurium hominum in genere, pluriumque corporum exiſtentia.

Falſum itaque, quod Malebranchius aſſerit, nos nullam de corporum in genere metaphyſicam certitudinem habere, niſi divinæ revelationis teſtimonio. Senſationum enim noſtrarum teſtimonium, omni divina revelatione ſepoſita, hanc metaphyſicam certitudinem impertitur, modo non perpetuo fallaces ſupponantur. Reliquum itaque nobis eſt, ut oſtendamus, non niſi manifeſto abſurdo illas perpetuo fallaces ſupponi poſſe.

II. Si ſenſationes hæ conſtantes, & concordes perſeveranter fallaces ſunt, jam Deus, qui ſolus in me varias has ſenſationes producit, & producere poteſt, me perpetuo fallentes, & quibus nulla ratione teneor, ne fidem adhibeam, deceptor eſt atque illuſor, qui me fallit, meque abutitur; circulatoribus iis ſimilis, qui vanis illuſionibus fucum incautis facere gloriantur.

Ut enim conſtantes, atque concordes ſenſationes meæ, quæ ad homines, ad bruta, ad aſtra, ad vegetabilia, ad foſſilia, ad cujuſvis ſpeciei corpora referuntur, in earum objecto me decipiant, evidens eſt, oportere, Malebranchio ipſo fatente, naturæ Auctorem ipſum in me

diversas has sensationes efficere inania, ac phantastica objecta respicientes. Quare necesse est, naturæ Auctorem fallacia, majestate, ac sapientia sua evidenter indigna, temere, nulloque motivo rationi consentaneo, circulatorum more me perpetuo illudere voluisse, & insano, atque inani consilio innumeris erroribus irretisse, iisque perpetuis, invincibilibus, universalibus, principio, objecto, subjecto stultissimis. Patet quod de me hic pronuncio, de quovis alio mei simile æque dici posse; & singularem inductionem universalem fieri.

Atqui evidens est, fieri non posse, Malebranchio ipso fatente, ut naturæ auctor circulator sit, & deceptor; ergo evidens est, fieri non posse, ut sensationes meæ perpetuo fallaces sint. Metaphysice ergo ex sensationibus meis certus sum, in natura existere, aut extitisse homines mei similes, & plurium specierum corpora. Ergo homo quivis easdem habens sensationes eandem quoque habet certitudinem. Q. E. D.

DEMONSTRATIO II. Sensus intimi testimonio metaphysice certus sum, *me credidisse historias legere*, quæ mihi naturæ phænomena, & regnorum, ac rerum publicarum vicissitudines referentes, me docuerunt, elapsis ante me sæculis terræmotus fuisse, solis, lunæque defectus, procellas, tempestates, urbes depopulatas, ac dirutas, campos inundatione obrutos, ac devastatos, nationesque ad bella, ac cædes invicem concitatas.

His positis, sic procedo. Vel quæ ex hisce historiis didici vera, vel falsa sunt.

Si vera; jam indubitate certum est, me non unicum Creatoris opus esse; non me solitarium in mundo intelligibili existere; in natura intelligibili alios homines, aliaque corpora existere, aut extitisse iis similia, quæ mihi sensus mei modo aut ostendunt, aut ostendere videntur.

Si falsa sunt; evidens est, has fallacias, at-

atque illusiones, quibus imbutus, & captus fui mihi non obvenire, nisi a Deo unico seductionis, & erroris auctore.

At vero evidenter absurdum est supponere, Deum unquam fallaciæ, & erroris auctorem esse posse; eumque mihi falso suadere voluisse, me præ manibus volumina habuisse, historias legisse, veros, saltem in præcipuis, eventus memoriæ commendasse; quin unquam in his quidpiam re ipsa verum unquam fuerit.

Mihi igitur evidenter certum est, homines extitisse, qui historias scripserunt, easque mihi mandarunt; pluraque accidisse, quæ earum argumentum, & origo fuerunt. Ergo mihi evidenter certum est, quin & cuicumque homini, qui ista legerit, superioribus sæculis homines extitisse, & corpora his similia, quæ in natura percipio, aut adhuc in natura percipere mihi videor. Q. E. D.

DEMONSTRATIO III. Si verum sit, ut Malebranchius contendit, hominum, & corporum existentiam nobis tantum divina revelatione constare, patet, fidem nostram tunc non nisi incertis, atque labilibus fundamentis inniti.

Fides enim nostra necessario sensuum testimonio innititur (*a*); qui nobis enunciarunt, & testificati sunt *eventus miraculosos*, quibus ipsa immobiliter innixa est. Quare si sensus nos semper decipere possunt, omnia nobis in fide, & religione dubia erunt. Exempla sint.

Dubium erit num Moyses fuerit, num prophetæ, qui veterem revelationem protulerint, aut transmiserint, ut ante Jesum Christum habebatur. Dubium erit num Christus fuerit, num miracula perpetrarit, num quid homines docuerit, num apostolos habuerit, & martyres, qui evan-

(a) *Fides enim ex auditu; auditus autem per verbum Christi*, Rom. 10.

evangelium suum, sive novam revelationem annunciarent, & confirmarent. Dubium erit num sacra volumina, quæ nos ut verbum Dei scriptum reveremur, inania sint, & in sola nostra illusa phantasia existant. Dubium erit num ecclesia catholica, & apostolica, cujus nos membra esse credimus, cujus decreta, & oracula veneramur, cujus statuta, & leges reveremur, fictitia, & fabulosa sit, nec nisi in ideis nostris existat, chimæris similis, quas in somnio, aut delirio mens nostra fingit. Omnia tandem in divina revelatione dubia erunt, ipsa enim tota sensibilibus factis innititur, quæ non nisi sensuum testimonio nobis patefieri, & confirmari possunt.

His positis, procedo. Certum est metaphysica certitudine, Malebranchio ipso fatente, divinam revelationem haberi, cujus objectum plena, ac metaphysica certitudine certum est. Ergo sensuum testimonium, quod divinam hanc revelationem fundat, & contestatur, in se certitudine metaphysica certum est. Ergo hominum, & corporum existentia, cui necessario divina revelatio innixa est, in se certitudine metaphysica certa est. Q. E. D.

499. NOTA I. Ostendimus, *sensationes* nostras *constantes*, *atque concordes* motivum esse existentiæ hominum generatim, & corporum indefectibiliter connexum; neque enim hæ sensationes in nobis esse possunt, quin homines, & corpora a nobis distincta in natura sint.

I. Feri absolute potuisset, ut Deus *animam meam* tantum creasset, quæ in hac hypothesi sola cum solo Deo in intelligibili natura extitisset.

At vero in hac hypothesi anima non habuisset, ut in præsenti hypothesi, sensationes, quæ ad solis, planetarum, siderum, diversorum in natura tum animatorum, tum inanimatorum corporum præsentiam referrentur. Supponere vero

in

in prima illa hypothesi ab hac nostra diversa, posse Deum se ipso in anima mea ita solitaria, ab omni corpore organico sejuncta, & sola in natura easdem sensationes efficere, quas experitur ex quo se ipsam sentit; est absurda suppositione velle, ut supra explicavimus, & ostendimus, naturæ auctorem circulatorem esse posse, & illusorem.

II. Fieri absolute posset ut naturæ auctor actu omnia creata destrueret, & ad nihilum redigeret, anima mea tantum excepta, quæ in hac hypothesi sola cum solo Deo in natura intelligibili subsisteret.

At vero in hac destructionis hypothesi anima non eas amplius sensationes haberet, quas in ea solis, stellarum, planetarum, diversorum tum animatorum, tum inanimatorum corporum præsentia excitat. Si vero supponas, naturæ auctorem post entia omnia sensibilia ad nihilum redacta easdem sensationes efficere, quas modo sensibilium entium existentia, & præsentia mihi sufficit; supponis adhuc naturæ auctorem posse vilem circulatoris, & deceptoris personam agere.

500. NOTA II. Non repugnat, naturæ auctorem miraculo primæ classis (139) actu ipsum in me producere sine peculiaris hujus hominis, aut corporis præsentia *easdem sensationes*, quas in me hujus hominis, aut corporis præsentia efficeret; mihique ibi eum hominem, idque corpus ibi apparere facere, ubi neutrum illorum est.

At vero in hac hypothesi miraculosa momentanea illusio fiet non ut decipiar, sed ut docear de aliqua superioris ordinis veritate, & superiorem ordinem respiciente, in eaque tenenda confirmer; ut quamprimum explicabimus. (511 & 512).

501. NOTA III. Quoniam miraculorum hypothesis magnus est Achilles, quo sensuum testi-

ſtimonium ſæpius oppugnatur; maximi momenti eſt hac in re omnia in claram lucem proferre.

I. Fieri abſolute poteſt, ut quovis vitæ meæ momento ſenſationes meæ *determinatum objectum* reſpicientes, puta, hunc hominem, hanc ædem, hoc ſignum me in *momentaneum* de hujus objecti determinati exiſtentia *errorem* inducant; fieri ſiquidem abſolute poteſt, ut quovis momento determinato, & ſolitarie ſumpto naturæ auctor miraculum operetur, ut me erudiat, & momento ſequenti me aliquam ſupernaturalem veritatem doceat.

At vero fieri nequaquam poteſt, ut quovis determinato vitæ meæ momento ſenſationes meæ *generatim homines, aut corpora* reſpicientes me in illuſionem ne momentaneam quidem inducant de hominum generatim, aut corporum exiſtentia. Stante enim *naturali rerum ordine* ſenſationes hæ in me eſſe nequeunt ſine objectorum, ad quæ referuntur præſentia; & repugnat, auctorem naturæ, qui nihil inutile, aut ineptum facit, nulla majeſtate, ac ſapientia ſua digna ratione naturalem rerum ordinem evertere.

Quam itaque majeſtate, ac ſapientia ſua rationem dignam habere poſſet naturæ auctor, ut mihi *rerum univerſitatem* apparere faceret, ubi hæc non exiſteret?

Miraculum, fortaſſe dicent, hoc phænomenon efficere poteſt, & hanc rerum univerſitatem apparentem facere, etſi non exiſtat. At quæſo nihil ne in hoc miraculo eſt, quod infinitam Dei ſapientiam dedeceat?

II. Nunquam repugnat, a Deo miraculum fieri; at a Deo miraculum temere, & inſipienter fieri, ſemper repugnat.

Fieri omnino poteſt, ut Deus momento hoc temporis mihi hominem apparere faciat, puta Adamum, Moyſem, Divum Petrum, ut me ali-

aliquam veritatem doceat, aut salutari aliqua institutione imbuat.

At absurdum esset, ac propterea ἀδύνατον, Deum, ut me ita doceret, atque imbueret, nulla necessitate, aut ratione *omnes simul naturæ leges evertere*, & insipienter infinita miracula efficere, ut unicam veritatem me doceret, cui unicum miraculum satis est.

III. Quare quum visibilem naturam aspicio, metaphysice certus sum, corpora existere, etsi non ita metaphysice certus sim, hoc determinate corpus seorsim sumptum existere; fieri enim potest, actu miraculum adesse peculiare hoc corpus afficiens; non vero fieri potest actu miraculum dari rerum sensibilium universitatem afficiens.

Hinc porro colligimus, quare constantes, atque concordes sensationes nostræ metaphysicam certitudinem de hominibus, deque corporibus generatim nobis præbeant, quin eandem de hujus peculiaris sive hominis, sive corporis existentia certitudinem impertiantur.

PROPOSITIO III.

502. *Nostrorum sensuum testimonium constans, concors, & conditionibus, quas ratio postulat, munitum certitudinem metaphysicam nobis facit de quibusdam generalibus naturæ legibus, deque corporum in genere figura, loco, distantia, motu respectivo, ac respectiva magnitudine.*

DEMONSTRATIO I. Nobis demonstrandum est, sensuum testimonium conditionibus a ratione postulatis instructum, quasque superius indicavimus (488), nos nec decipere, nec decipere posse in ullo ex objectis hac propositione recensitis.

I. Illud ipsum testimonium, quod mihi naturæ existentiam comprobat, mihi etiam existentiam comprobat quarundam generalium, constan-

ſtantium, & immutabilium legum, quibus natura obtemperat; exempli gratia, exiſtentiam *legis gravitationis*, qua omnia corpora ad terræ centrum tendunt; *legis impulſionis*, qua omne corpus motum, quod in aliud quieſcens, & mobile, impingit, determinatam partem ſui motus amittit, & communicat; *legis affinitatis*, qua nonnulla corpora ſibi invicem adhærere nituntur; *legis æquilibrii hydroſtatici*, qua liquida homogenea libere communicantia ad æqualem ab æquatore diſtantiam ubique ad libellam componuntur; *legis reproductionis*, qua animalia, & vegetabilia ſpeciem ſuam reſtituunt, ac ſervant actione quadam phyſica cuique ſpeciei peculiari; atque ita de reliquis.

Patet, ſenſus meos non poſſe magis a ſe ipſis me decipere in generalium naturæ legum exiſtentia, ac in corporum exiſtentia, quæ naturam conſtituunt, & ejus legibus obtemperantia video. Patet, Deum, qui, niſi circulator, & deceptor fiat, me in corporum exiſtentia, quæ in natura video, decipere non poteſt, neque me decipere poſſe, niſi ſi circulator, & deceptor fiat, in generalibus legibus, quas in natura aperte mihi innoteſcunt.

II. Idem teſtimonium, quod mihi corporum generatim exiſtentiam comprobat, mihi quoque comprobat, corpora hæc & figuram, & locum, & magnitudinem reſpectivam, & reſpectivum motum habere, quem illis ineſſe cenſeo.

Sicuti non niſi vero miraculo in peculiari eorum exiſtentia falli poſſum, ita neque in eorum figura, loco, reſpectiva magnitudine, reſpectivo motu, niſi vero miraculo, falli poſſum. Præterea certus ſum, hoc miraculum non adeſſe, niſi mihi patefiat; ſcio enim, Deum inania, & inutilia miracula non operari.

Quamobrem ut metaphyſice certus ſum, peculiare objectum, puta, ædem, quam ſæpius vidi, & actu video, re ipſa exiſtere, aut extitiſſe;

se; ita metaphysice certus sum, hanc ædem tali figura, tali loco, tali respectiva magnitudine donatam esse; atque ita de reliquis.

III. Ex sensuum, & sensationum mearum testimonio judico, & necessario, ac irresistibiliter judico, conclave meum, exempli gratia, rectangulum esse; illud tali loco situm esse respectu horti regii, & emeritorum militum domus; tot passibus ab alio cubiculo, cui communicat, distare; basilica minus esse; a proxima domo eandem semper distantiam servare; supellectilem gravitatem habere, & ad terræ centrum tendere; hanc locum non mutare, nisi causa, aut occasio detur, qua locum mutet; aquam, quam in labro effundo, æque in illo ad libellam componi; lampadem, quam noctu accendo, lucem effundere, quæ quaquaversum recta propagatur, quæque planum speculum offendens reflectitur angulum reflexionis faciens angulo incidentiæ æqualem. Idem dicas de alio quovis sensibile objecto, quod pari modo sensus nostri attingere possint.

His positis, procedo. Aut falli possum, aut nequeo falli in his judiciis, quæ necessitate irresistibili fero ex sensuum, ac sensationum mearum constanti, atque concordi testimonio.

Si in his judiciis falli nequeo; jam constans, & concors sensuum, ac sensationum mearum testimonium plenam, perfectam, metaphysicam mihi facit certitudinem de diversis horum judiciorum objectis.

Si in his judiciis falli possum; fiat, me re ipsa falli, horumque judiciorum objecta omnino a judiciis hisce diversa esse. In hac hypothesi perspicuum est, Deum unicum sensationum mearum auctorem & causam unicam, ipsum esse, qui me constanter, & invincibiliter in errorem inducit. Deus primo *in errorem me inducit*, imo in errores innumeros, dum me credere, & tenere cogit, puta, conclave meum esse rectangu-

gulum, supellectilem meam gravem esse; atque ita porro. Deinde me *constanter* in errorem, imo in plurimos errores inducit; omnes enim sensationes meæ perseveranti concordia idem mihi testimonium perhibent. Tandem Deus me *invincibiliter* in errorem, imo in plurimos errores inducit, neque enim possum ab iis judiciis abstinere, quæ ex concordibus, ac constantibus sensationibus meis fero de earum objectis; quæque si falsa sint, nulla mihi ratio suppetit, qua errorem detegam. Si in his itaque fallor, Deus evidenter erroris mei causa, & origo est; quod, Malebranchio ipso fatente, ejus essentiæ, ac naturæ evidenter repugnat. Q. E. D.

Idem dicas de objecto judicii cujuscumque constanti, & concordi, ac aptis conditionibus munito sensuum testimonio innixi; quare nunquam hujusmodi judicium falsum esse potest, Q. E. D.

DEMONSTRATIO II. Id certum, & evidenter indubitatum censeri debet, quod ita esse unanimi ætatum, ac gentium omnium judicio reputatum fuit, nec ulla solida ratio adest, quæ aut ejus falsitatem probet, aut de ejus veritate in suspicionem inducat. Atqui hujusmodi sunt quæ præcedenti propositione explicanda, & statuenda suscepimus; ergo ea evidenter certa, & indubitata sunt. Q. E. D.

PROPOSITIO IV.

503. *Sensuum, ac sensationum nostrarum testimonium in quovis peculiari casu certitudinem nobis facit non metaphysicam, sed physicam de peculiaris corporis existentia.*

DEMONSTRATIO. Prima præcedenti propositione nobis constat primo, nos non esse entia pure spiritualia, & habere corpus organicum, quod nostrum ipsorum pars est. Constat etiam ecu nda præcedenti propositione, nos non esse en-

tia unica in natura; sed & alios homines esse, & alia plurium specierum corpora tum animata, tum inanima. Constat tandem tertia præcedenti propositione, in sensibili natura quasdam esse leges generales, & constantes, quas unus Deus suspendere, aut interrumpere potest; atque ex his hanc unam esse: *corpus sensibilem impulsum non recipit, nisi occasione ictus alterius corporis existentis, & præsentis.*

I. Quamobrem quotiescumque hominem, exempli gratia, video, aut audio, certus sum prope me hominem re ipsa esse, cujus præsentia occasio est hujus impulsus, atque hujus sensationis in oculi mei, aut auris meæ fibris; nisi si hoc peculiari casu Deus vero miraculo, seu generalis legis supra allatæ interruptione, in me impulsum hunc, sensationemque produxerit, nullo homine præsente; quod Deum non semel fecisse scimus cum aliquo tum in veteri, tum in novo fœdere; quodque ipse adhuc quovis temporis momento præstare potest: modo rationes, adsint majestate & sapientia sua dignæ. Patet idem dici posse de quovis alio determinato objecto, puta de hoc bruto, de hac arbore, de hoc metallo, de hac æde, ceterisque.

II. Quum vero nullus sit peculiaris casus, nullum determinatum temporis momentum, quo Deus hoc miraculum efficere nequeat; consequens est, sensuum, ac sensationum nostrarum testimonium, quod metaphysicam certitudinem facit de vera hominum, & corporum generatim existentia, certitudinem tantum physicam facere (377) de vera hujus sive hominis, sive corporis peculiaris existentia, Q. E. D.

OB-

OBJECTIONES REFUTANDÆ.

Quæ præcipue contra *sensuum testimonium* objiciuntur, sive contra certitudinem, quam sensationes faciunt de rebus sensibilibus, quas respiciunt, hæ sunt: fieri posse, ut Deus in nobis sensationes excitet, quin ullum existat objectum, quod earum causa, aut occasio sit: nos etiam quum ratione utimur, sensationes habere sine objecto: sensationes nostras esse tantum modificationes transeuntes, nullo inter præcedentes, & subsequentes nexu: sensationes nostras nos constanter, & perpetuo fallere in sensibilibus corporum qualitatibus: a sensibus, & sensationibus, quum nobis ignotæ sint, nullam posse certitudinem proficisci: Deum ipsum, qui sæpius hominibus illusionem peperit nonnullis miraculosis apparitionibus, similem posse perseveranter illusionem parere: sensus nostros, qui in innumeris objectis nos evidenter decipiunt, æque nos in objectorum universitate decipere posse.

SENSATIONES, QUÆ SINE OBJECTO FORTASSE HABERI POSSUNT.

504. OBJECTIO I. *Sensationes nostræ constantes, atque concordes*, quæ aut corpus ad nos spectans respiciunt, quodque nostrum ipsorum pars sit, sive homines, & corpora nobis extranea, ad quæ relationem dicimus, in nobis produci possunt, sive entia simus pure spiritualia, sive ex spirituali simul, & materiali substantia compositi simus, omnipotenti naturæ auctoris actione. Evidens enim est, naturæ Auctorem posse ipsum in intelligente mea, sensibilique substantia, anima nempe, nullo meorum sensuum ministerio producere quidquid in ea per hos ipsos sensus producit; tum quoque, si sup-

po-

ponam me anima spirituali, & organico corpore constare, ipsum naturæ Auctorem posse in sensibus meis eas omnes impressiones facere, quas, ut causa, aut occasio, faceret circumstantium corporum actio; puta, in oculis varius lucis impulsus, in aure sonus, in tactu varia corporum resistentia; cetera. Ergo diversæ hæ sensationes, constantes, concordes, quas anima experitur, necessario, & indefectibiliter cum corporum, ad quæ referuntur, existentia non sunt connexæ.

RESPONSIO. Certum videtur, sensationes omnes nostras qualescumque in anima nostra non produci nisi generali naturæ Auctoris actione, qui earum est unica causa efficiens (463). Ast evidenter falsum est, ipsum in anima has easdem sensationes producere posse constantes, concordes, diversa corpora respicientes, quin diversa corpora, ad quæ referuntur, re ipsa existant.

Posset naturæ Auctor, anima mea servata, & corpus meum, & universa ad nihilum redigere; & ipse in anima mea, quæ tunc ens unicum esset in natura creata, eas sensationes parere, quas sapientiæ suæ consentaneas arbitraretur. At vero posset ne ipse in anima mea ita solitaria easdem sensationes efficere, quas ab ipso primo rationis usu experior, easque constanter, & perseveranter eadem corpora respicientes? Nequaquam sane; nisi si fieri posse velimus, ut naturæ Auctor fallax, & deceptor sit; quod ideę, quam Entis supremi habeo, evidenter repugnat, cujus natura essentialiter omnes perfectiones continet, ac propterea infinitam sapientiam, & indefectibilem veracitatem.

SENSATIONES SINE OBJECTO ETIAM DUM RATIONE UTIMUR.

505. OBJECTIO II. Anima nostra sensationes

nes experiri poteſt corpora reſpicientes non exiſtentia. Exempli gratia, ſtrenuus miles, cui tormenti bellici globus in Fontanetana pugna brachium dexterum abſtulit, quemque apprime novimus, adhuc etiam dolores experitur, quaſi eos ſentiat in adempti brachii digitis, manu, cubito. Quare ſenſationes noſtræ adhuc poſſunt reſpicere ut exiſtentia corpora, quæ re ipſa non exiſtunt; ergo ſenſationes noſtræ corpora exiſtentia reſpicientes, horum exiſtentiam non demonſtrant.

RESPONSIO. In theoria, quam de ſenſationibus, deque certitudine, quam faciunt, tradidimus, *medium demonſtrationis*, inconcuſſum certitudinis motivum, quam illis tribuimus, aut quam ab illis haurimus, eſt *conſtantia*, & *concordia teſtimonii*; quæ duo in propoſito caſu non inveniuntur.

I. Senſationes meæ brachium meum dexterum, quod habeo reſpicientes, conſtantes ſunt. Hodie eas habeo, heri eas habebam, ſemper eaſdem habui ex quo me eſſe novi, nunquam variæ fuerunt, nunquam diverſæ.

Militis hujus ſenſationes dexterum brachium, quo caret, reſpicientes, non ita conſtantes ſunt. Doloris ſenſatio brachium hoc ut exiſtens reſpiciens non ſemper, & perſeveranter habetur, ſed tantum identidem, & præcipue in atmoſphæræ mutationibus.

II. Senſationes meæ dexterum brachium, quod habeo, reſpicientes, omnes inter ſe concordes ſunt. Oculus, auris, tactus, dolor, aut doloris ceſſatio, omnia ſimul unanimiter conſentiunt, ut annuncient mihi, & conteſtentur brachii mei exiſtentiam.

Militis ſenſationes brachium ademptum reſpicientes, non omnes ſunt invicem conſentaneæ. Si enim hinc dolor hujus brachii exiſtentiam animæ annunciat, illinc viſus, & tactus ſenſationes multo vividiori, ac ſuadente ratione bra-

brachii hujus absentiam animæ annunciant. Ita sensatio sensationem corrigit, & anima non decipitur.

III. At enimvero qua ratione brachio, aut crure mutilatus adhuc dolorem experiri potest membrum ademptum respicientem? Phænomenon æque mirum, ac certum peculiarem explicationem postulat. Hanc tradere aggredimur in eo ipso milite, de quo sermo.

DOLOR BRACHIUM AMPUTATUM RESPICIENS: PHÆNOMENI HUJUS CAUSÆ PHYSICÆ.

506. EXPLICATIO. Brachium amputatum non amplius individui, ad quod spectabat, pars est. Qua itaque ratione hoc individuum adhuc dolorem identidem experiri potest brachium hoc respicientem quod jam non magis ad ipsum, quam ad aliud individuum spectat?

I. Generalis est naturæ lex a Deo libere lata ratione conjunctionis animæ cum corpore; *animam semper datam intimam sensationem experiri occasione data organicæ commotionis in sensus fibris excitatæ* (460).

Si itaque sensus fibræ ad amputatum brachium spectantes eo prorsus modo agitentur, ut ante brachii amputationem agitabantur, easdem homo intimas sensationes experiri debet, quas ante brachii amputationem experiebatur.

II. Altera quoque naturæ generalis lex est a Deo libere statuta ratione conjunctionis animæ cum corpore; *animam habitu sensationes suas ad extremitatem fibrarum affectarum referre*.

Exemplum. Ponamus animam sedem suam habere in aliqua sive determinata, sive indeterminata cerebri parte (1062). Certum est, naturalem communicationem intercedere inter animam, & pedum, ac manuum, ac reliquarum partium extrema. Quum mihi manus prensatur,

aut cubitus, in me agitantur ſenſus fibræ ad manum, ſive ad cubitum ſpectantes; atque hæc materialis, & organica agitatio occaſio eſt mentalis in anima ſenſationis, quam refero non ad eam fibrarum agitatarum partem, quæ ad cerebrum terminat, non ad illam, quæ inter cerebrum, & manum, ſeu cubitum diſtributa eſt, ſed ad naturalem harum agitatarum fibrarum extremitatem, ad cubitum nempe, vel manum.

III. Ex hiſce certis, inconcuſſiſque principiis facile phænomeni in præcedenti objectione allati ratio redditur; imo generatim phænomeni cujuſque ſimilis, in quo ſcilicet de ſenſationibus agatur membrum amputatum reſpicientibus.

Qui brachium, exempli gratia, amiſit, adhuc in brachii trunco, ſive in humero, cui brachium junctum erat, *eaſdem fibras* habet, quæ prius ab humero ad cubitum, manum, digitos uſque amiſſi brachii protendebantur, quæque adhuc ad cerebrum uſque, & ſedem animæ protenduntur.

Si contingat, fibras has in brachii trunco, ſive humero *eodem modo agitari*, quo in brachio incolumi agitabantur, hac agitatione, ex prima lege ſupra allata, anima *eandem* experiri debet *intimam ſenſationem*, quam ante brachii amputationem experiebatur. Cauſa eadem eſt; non ergo effectus diverſus erit.

Exemplum. Ponamus, nonnulla *corpuſcula frigorifera* in aere diffuſa, & per aerem lata ſe in fibras adhuc humero poſt amiſſum brachium adhærentes inſinuare, atque ibi has fibras vellicare, & afficere eo prorſus pacto, quo afficiebantur quum manus incolumis gelidæ immergebatur. Ex binis generalibus legibus ſupra allatis anima *acuti frigoris* ſenſationem experiri debet, quam, ut antea, ad manum referet, quæ jam non habetur. Senſatio organica in fibris adhuc reliquis effecta cauſa occaſionalis eſt mentalis ſen-

sensationis; atque hæc mentalis sensatio ad naturalem fibrarum extremitatem refertur, sive ad locum, in quem desinerent, si corpus integrum esset.

IV. Ut itaque ad doloris sensationes redeamus, quas identidem miles experitur, de quo jam sermo, quasque ipse ad brachium refert, quo jam diu caret;

Si in ipso fibræ ad brachium amissum spectantes identidem inter cerebum, & humerum (1062, & 1064) *easdem vibrationes* concipiunt, quæ ante amissum brachium doloris sensum respectu brachii hujus excitabant; patet, ex binis allatis legibus, *eundem doloris sensum* subire debere; atque hunc, ut ante amissum brachium, ad naturalem concussarum fibrarum extremitatem referre, puta, ad cubitum, ad carpum, ad varias digitorum phalanges; atque ita de ceteris.

V. Evidens est, dolorem, qui membrum amissum respiciat, homini illo carenti nullius erroris occasionem esse, aut esse posse; veramque causam physicam re ipsa adesse, cui hic doloris sensus tribuatur.

At vero si nullum corpus proprium haberemus, quodque nostri pars esset, si substantia pure spiritualis essemus, nulla adesset causa occasionalis Deum determinans ad producendas in nobis mentales has sensationes brachium, pedem, stomacum, pectus, caput ad nos spectans respicientes; nosque, Deo sic illudente, in perpetuo, atque invincibili errore versaremur.

Quæ quum ita sint, nihil jam ex hactenus explicato phænomeno, neque ex sexcentis huic similibus pro Berkleii, & Malebranchii sententia deduci potest,

SENSATIONES SINE OBJECTO IN DELIRIO.

507. OBJECTIO III. In ebritate, in ſomnio, in delirio, in amentia anima ſenſationes experitur, quæ ad corpora non exiſtentia referuntur; ergo ſenſationes noſtræ corpora diverſa ut exiſtentia reſpicientes non ſunt cum horum corporum exiſtentia infallibiliter connexæ.

RESPONSIO. Certitudo, quam ſenſationibus tribuimus, ſemper tamquam baſi innititur earum conſtantia, concordia, & quibuſdam aliis neceſſariis conditionibus, quæ in caſibus allatis non inveniuntur (488).

I. In his, quæ quadam naturæ noſtræ fortuita perturbatione contingunt, neque prorſus naturali conditioni conſentanea ſunt, in qua hominem conſideramus, cui certas, & indubitatas cognitiones tribuimus, anima non habet *conſtantes ſenſationes*, quæ perſeverent, quæ immutabiliter ad idem objectum referantur, quæ in eodem teſtimonio ſimul omnes perſeveranter conſentiant.

Exemplum. Homo delirans, aut amens, aut ebrius, aut ſomnians ſenſationes habet diverſa phantaſmata reſpicientes; at unius ſenſationis teſtimonium contradictorio præcedentis, aut ſubſequentis ſenſationis teſtimonio perpetuo evertitur.

Quare in omnibus hiſce caſibus animæ ſenſationes *illa concordia*, *atque conſtantia* carent, quibus per nos certitudo innititur, & quibus demptis non jam verum demonſtrationis medium exiſtentiæ objecti ſui eſſe poſſunt.

II. In diverſis hiſce ſtatibus anima ex fugitivis, atque incertis ſenſationibus, quas experitur, judicans, duobus neceſſariis caret, ſine quibus a nobis aſſerta certitudo nunquam haberi poteſt. Caret primo illa experimentali ſecuritate, quæ illam *de bona ſuorum organorum*

con-

constitutione certam facere deberet; imo potius verosimillimum est, tunc animam de eorum perturbatione saltem suspicari. Caret deinde nitido illo rationis lumine, quod *firmam in suis judiciis stabilitatem* illi deberet impertiri; imo verosimillimum est, ipsam ex sensationibus judicantem in hisce diversis statibus, tantum fugitiva, incerta, & dubitationis, ac timoris plena judicia ferre.

Quæ quum ita sit, patet, animam non in eo rerum statu esse, in quo tantum illi certas cognitiones tribuimus, quarum sensuum testimonium, quibusdam necessariis conditionibus convestitum, sit fundamentum.

III. Quocumque tandem modo res se habeant in ebriis, somniantibus, amentia sive perpetua, sive temporaria laborantibus, mihi certum est, eos, si ut ego res video, & sentio, ipsi quoque vident, & sentiunt, si meis omnino similes sensationes habent, in suarum cognitionum objecto decipi non posse; si vero sensationes habent, quæ in errorem ducant, has conditionibus carere, quibus omnem certitudinem statuimus a sensationum testimonio emanantem (488).

SENSATIONUM NOSTRARUM INCONSTANTIA.

508. OBJECTIO IV. Maxima demonstrationis vis, quam in testimonio sensuum collocamus, ex *sensationum nostrarum constantia* deducitur, quæ nobis annunciant, ac contestantur non aliquo momento temporis, sed perpetuo, ac perseveranter tum nostri corporis, tum aliorum corporum existentiam. At ratio hæc futilis est; quas enim elapsa hebodomade, aut anno elapso & præcedentibus, sensationes habebam, hodie non amplius sunt; ergo sensationes hæ non existentes, nihil hodie influere

possunt in ea certitudine statuenda, quam in me statuere supponuntur.

RESPONSIO. Quas elapso tempore habui, sensationes, hodie non amplius existunt existentia physica, at in mea memoria existunt adhuc *existentia morali*.

I. Memoria nobis est veluti receptaculum, seu promptuarium, in quo & cogitationes nostræ, & habitæ jam sensationes collocantur, atque servantur. Ad hoc ipsa instituta est, ut pro opportunitate, & voluntate nostra eas iterum nobis reviviscere faciat (1174).

Memoria itaque habitis jam sensationibus *quamdam* veluti *permanentiam* impertitur; qua elapsæ sensationes præsentibus concordes nobis fiunt constans, & inconcussum certitudinis motivum de objectis, quæ illas excitant, aut ad quæ referuntur.

II. Eodem modo de memoria ratiocinari omnino possumus, quæ re ipsa tantum est *perceptio continuata, aut renovata; verum magis, minusve languida*, quo de sensationibus ipsis quatuor præcedentibus propositionibus ratiocinati sumus.

Hoc pacto ostendemus, ut memoria nos deciperet nobis clare nitideque annuncians, atque confirmans, nos olim has, aut illas sensationes habuisse, hæc aut illa peregisse, hæc aut illa judicia tulisse, hæc aut illa promisisse tali tempore, talique loco; omnino necesse esse, patente absurdo, Deum, cujus naturæ fraus omnis repugnat, ipsum esse erroris nostri, universalis, & inevitabilis principium, & causam; evidens enim est, me non posse abstinere, quin teneam, exempli gratia, me tali tempore Massiliæ, aut Besontione fuisse; alio tempore hæc, aut illa Lutetiæ Parisiorum fecisse; & si hæc omnia illusio esse possent, ut præsens objectio supponit, nulla mihi ratio, adminiculum nullum suppeteret, quo aut errorem suspicari, aut ab ipso emergere possem.

QUA-

QUALITATES CORPORUM SENSIBILES, INANE SENSATIONUM NOSTRARUM OBJECTUM.

509. OBJECTIO V. Senſationes noſtræ conſtantes, atque concordes nobis annunciant, atque teſtantur, corporibus ineſſe *qualitates* quaſdam *ſenſibiles*, quarum ipſæ imago, & expreſſio eſſe videntur; etſi harum qualitatum exiſtentia falſa, aut ſaltem maxime dubia ſit. Ergo ſenſationes noſtræ conſtantes, & concordes nos decipere poſſunt in objecti ſui exiſtentia; ergo ſenſationum conſtantia, & concordia non ſunt verum, & ſolidum certitudinis fundamentum.

RESPONSIO. Senſationes noſtræ conſtantes, & concordes nobis annunciant, atque teſtantur, corporibus ineſſe *proprietates* quaſdam *naturales*, quoſdam agendi, & exiſtendi modos, quibus apta ſunt conſtanter, & perſeveranter in nobis parere ſive ut cauſæ efficientes, ſive ut occaſionales has, vel illas ſenſationes dulcedinis, aut amaritiei, caloris, aut frigoris; cetera; atque in his ſenſationes noſtræ conſtantes, & concordes nos non decipiunt.

Alibi oſtendimus, ſenſationes noſtras conſtantes, atque concordes nihil præterea hac in re nos docere; eas nullo pacto nobis oſtendere corporibus ineſſe *qualitates ſenſibiles* ſenſationibus noſtris mentalibus ſimiles, & in aliquo ſitas a materia, motu, figura horum corporum diſtincto (30 & 489).

SENSUS, ET SENSATIONES RES SUNT ÆQUE NOBIS IGNOTÆ.

510. OBJECTIO VI. Mechanica ſenſuum meorum ſtructura mihi ignota eſt; neque mihi notior eſt intrinſeca ſenſationum mearum organicarum, & mentalium natura. Oculis video,

auribus audio, tactu contrecto, quorum aut ignoro, aut tantum superficie tenus, & imperfecte constitutiva, artificium, structuram novi. Sensationes caloris, aut frigoris, dulcedinis, aut amaritiei, rubri, aut viridis coloris, nihil mihi clare, & distincte indicant de objecto, quod eas in organo meo excitat, de organo eas ad animam transmittente, de anima earum impressionem admittente. *Medium demonstrationis* adeo parum notum & in causa, & in objecto suo poterit ne demonstrationem inconcussam præbere, quæ omnem incertitudinem, & dubitationem a mente amoveat?

RESPONSIO. Sensuum, & sensationum mearum *natura* mihi ignota esse potest, quin eorum quoque *existentia*, & *munus* mihi ignota sint. At vero eorum existentiæ tantum, & muneri demonstratio ex eorum testimonio parta innititur.

I. Quantumvis ignota mihi sit sensuum, & sensationum mearum natura, adhuc mihi certum est, hæc ambo *re ipsa existere*; nec re ipsa hæc existere posse, quin munus habeant sapienti naturæ auctore dignum, a quo mirum artificium extructum fuit.

II. Quæcumque sit, aut esse possit mechanica sensuum mearum, puta, oculi, aut tactus structura, sive intrinseca organicarum sensationum natura, quas mihi oculus, aut tactus efficit: summa certitudine intelligo, naturæ auctorem mihi oculos, tactum, sensus alios impertiri non potuisse, quibus perpetuo, & invincibiliter decipiar, atque fallar. Certissime itaque percipio *sensuum meorum munus*, cujuscumque naturæ sint, esse, me erudire de objectis ad se spectantibus; atque ita efficere, ut universæ sensibili naturæ, qua circum ambior, communicem.

III. Quæcumque item sit sensationum mearum mentalium causa, & natura, mihi certum

est,

est, *triplex earum munus* esse, animam meam intime afficere; ad materiale organum exterius referri, quod earum in me causa, aut occasio est; mihi sensibilis objecti mihi extranei, & organum meum afficientis existentiam, & praesentiam indicare.

Sensationes nostrae mentales, sive clarae, sive obscurae sint, sive in omnibus, quae ad earum naturam, & causam spectant notae, aut ignotae sint, semper tamen efficaciter, & indefectibiliter triplex hoc munus implent, quod demonstrationis earum testimonio innixae est basis, ac fundamentum.

MIRACULOSARUM APPARITIONUM ILLUSIO.

511. OBJECTIO VII. Omnes praecedentes demonstrationes certum, & inconcussum supponunt, Deum falsis apparentiis nos decipere non posse; quod evidenter falsum est. Deus enim olim ita & Abrahamum, & Tobiam, & Petrum decepit illis angelos humano corpore offerens; adeoque homines ubi homines non erant. Quare ergo Deus, quod aliquando fecit, semper facere non poterit?

RESPONSIO. Si dicas, Deum quovis modo homines decipere posse, jam indicas te tibi contradictoriam Dei notionem effinxisse. Idea Entis increati, & creantis, infinite sapientis, infinite perfecti, & idea entis deceptoris, & illusoris magis in earum objecto sunt oppositae, quam in suo sint ideae circuli, & quadrati, globi, & cubi.

I. Diversae *supernaturales apparitiones*, quae in sacris literis, & ecclesiastica historia leguntur, *miracula sunt non ad decipiendos, sed ad erudiendos homines instituta.*

Miraculum Dei sermo est, sive sigillum, quo sermones suos obsignat, Quum Deus novam veri-

ritatem aliquam hominibus annunciare vult, aut jam enunciatam eorum animis altius infigere, tunc aut solem stare jubet, aut exanime cadaver ad vitam revocat, aut humano corpore angelum vestit; aut ægro desperata jam vita, sanitatem restituit; aut aliam aliquam generalem naturæ legem suspendit. Patet, hunc loquendi modum divinum esse (139).

Ex miraculo aliquando in spectatoribus, & testibus innocens, & brevis illusio oboritur a judicio nimis præcipiti parta, quod temere ibi miraculum non haberi putat, ubi miraculum evidenter haberi potest. At post brevem hanc, atque innocentem illusionem Deus *veritatem aliquam superioris ordinis* elucescere facit, quam hominibus aut annunciare, aut in mentem revocare intendebat. Quamobrem in miraculo non modo Deus deceptor non est; imo vero adorandus magister qui nobis saluberrimas veritates annunciat, atque testatur.

Exempli gratia; ex miraculo, quo angeli humano corpore circumvestiti apparent, Abrahamo annunciat Deus, ipsi præter omnem expectationem filium nasciturum, a cujus posteritate promissus Messias aliquando orietur; Tobiam Deus docet quanta sollicitudine pios, ac beneficos homines prosequatur, quibus in dubiis eventibus supernaturali, ac miraculoso patrocinio præsto est; Petrum docet Deus quam vigili cura ecclesiam suam tueatur, quam miraculo ex imminenti periculo eximit, quod illi ex visibilis ejus capitis vitæ discrimine instabat. Hæ itaque miraculosæ apparitiones, non modo fallaces illusiones non sunt; imo potius optima, ac salubria documenta sunt, quibus a summo naturæ & religionis auctore peramanter erudimur.

II. At vero in irridenda hypothesi, in qua Deus nos perpetuo falsis imaginibus perpetuo falleret, ac deluderet, non modo Deus nullam uti-

utilem, ac salutarem veritatem nos doceret; quum enim semper deciperet, nihil verum unquam traderet; at potius nos in plurimos absurdos, permanentes, inevitabiles errores perpetuo, & irresistibiliter traheret; quod ejus naturæ evidenter repugnat, quæ essentia ipsa omne vitium excludit, & omnem perfectionem continet.

512. OBJECTIO VIII. Aliquando Deus generales naturæ leges interrumpere potest; ergo eas etiam constanter, & perseveranter interrumpere potest. At vero si hoc potest, quid vetabit, ne mihi ipse constanter, ac perseveranter ibi homines ostendat, ubi homines non sunt, terram, cælum, corpora quæcumque, ubi re ipsa nec terra, nec cælum, nec corpus ullum est?

RESPONSIO. I. Certum est primo, posse Deum quovis momento temporis solitario, & seorsim sumpto, rationibus majestate, ac sapientia sua dignis, ut homines utilem aliquam, ac salutarem veritatem doceat, *aliquando generales naturæ leges interrumpere*. Nulla ergo est peculiaris circumstantia, momentum nullum seorsim sumptum, quo Deus in peculiari, & determinato objecto miraculum operari nequeat. Quamobrem quovis temporis momento seorsim sumpto non nisi physicam certitudinem habemus de existentia, figura, physicis proprietatibus, motu, aut quiete peculiaris hujus, ac determinati objecti, quod sensus nostros afficit, aut afficere videtur (501 & 503).

Non tamen hinc sequitur, posse Deum constanter, & perseveranter *generales naturæ leges* interrumpere. In hac enim hypothesi evidenter contradictoria leges darentur generales statutæ, & constantes, ex hypothesi; & nullæ essent statutæ, & constantes leges generales; quum ipsæ tunc essent constanter, & perseveranter interruptæ; ac proinde non existentes.

II. Certum præterea est, *generales naturæ le-*

ges perpetuo firmas, atque constantes esse, & esse debere; & hujusmodi legum interruptionem raro admodum fieri debere, & peculiaribus tantum casibus, quum Deus hominibus veritatem aliquam salutarem superioris ordinis, supernaturali modo, aut diverso a simplici naturalis rationis exercitio, vult manifestam reddere.

III. Certum quoque est, *quum post diuturnas, constantes, & concordes sensationes nullum Deus mihi miraculum patefecit in sensationum mearum objecto; tunc me metaphysica certitudine certum esse, hoc objectum re ipsa existere.*

Exempli gratia, quinque, aut sex anni sunt, quibus Aristo familiariter utor, qui mihi naturali sua specie sese objicit. Non nisi *physica certitudine* certus sum, me modo Aristum ipsum videre, neque in præsentium sensationum mearum objecto miraculosam illusionem mihi fieri; fieri siquidem potest, Deum modo miraculum operari, quo Aristum mihi exhibeat, ubi Aristus re ipsa non est; quodque ideo fiat, ut me quamprimum veritatem aliquam superioris ordinis doceat, aut in ea me firmiorem faciat.

At vero certitudine metaphysica certus sum, me Aristum ipsum nulla neque miraculosa illusione vidisse longo eo tempore, quo ipso familiariter usus sum; neque enim tamdiu, & toties a sensationibus meis, nisi miraculo, aut miraculorum serie decipi potui; & præterea certus sum miraculum nullum interfuisse ex hoc ipso, quod Deus nullam mihi *extraordinariam veritatem* ostendit; hic enim sapientissimo naturæ, & religionis auctori necessarius miraculi finis est (139 & 377).

Idem dicas de hac arbore, de hoc bruto, de hac æde, quam modo video, & antea vidi. Constans, & concors sensuum meorum testimonium certum me facit certitudine tantum physica, hæc nunc existere; at certitudinem mihi facit metaphysicam, hæc antea extitisse.

SEN-

SENSUUM IN INNUMERIS OBJECTIS ILLUSIO.

513. OBJECTIO IX. Constans sensuum nostrorum testimonium nos fallit, ac decipit in præcipuorum naturæ corporum magnitudine, loco, motu, figura. Exempli gratia, I. nobis lunam soli æqualem, stellis majorem exhibent; quod certe falsum est. II. terram immobilem, & in universi centro sitam; quod notionibus ab astronomia petitis non congruit. III. Planam putei, aut lacus superficiem; licet re ipsa, ut maris superficies, sphærica sit.

RESPONSIO. In conditionibus a nobis requisitis, vel ipsa simplici ratione id suadente, ut certum, & infallibile sit sensuum testimonium, hæ objectiones, & aliæ hujusmodi sexcentæ jam præoccupatæ, solutæ, ac confutatæ fuerunt (488).

I. Luna, Sol, planetæ, sidera nimium a nobis distant, ut facile observari possint. Opticæ, & astronomiæ munus est, tutas nobis, ac demonstratas regulas tradere, quæ sensuum testimonium in immensis hisce distantiis regere, ac certum reddere aptæ sint (*Phys.* 918, 927, 931).

II. Sensuum testimonium nos docet, motum respectivum inter solem, & terram dari; sive in terra iste sit, quæ diurnas, & annuas suas circa solem revolutiones peragat; sive in sole sit, qui diurnas suas circa terram, & annuas circa zodiacum revolutiones peragat.

At enimvero in immensis hisce distantiis sensuum testimonium accuratissimis regulis indiget, quæ acuti ratiocinii, & profundæ meditationis opera statuantur, ut in quo ex his corporibus motus absolutus re ipsa habeatur decerni possit; ut verus locus, & variorum orbium, sive opacorum, sive lucentium circa nos in immenso cælorum

lorum spatio positio statuatur. Hoc vero astronomiæ munus est (*Phys.* 932, & 1341).

III. Maris superficies decem, aut duodecim leucarum spatio convexitatem satis sensibilem ostendit; in hac enim extensione curvitas satis magna est, aut a linea recta satis diversa, ut nitidam, atque distinctam in oculo impressionem faciat, quæ sensibiliter a superficiei planæ impressione diversa sit.

At in puteo, seu parvo lacu quinquaginta, aut centum hexapedarum diametro, curvitas veluti infinite parva est; non ergo in oculo impressionem sensibilem, & a superficiei planæ impressione diversam facere debet. Quare curvitas ista insensibilis esse debet, nec percipienda; ut de facto non percipitur (*Phys.* 921).

In lacu hexapedas quinquaginta lato curvitas a recta non differt, sive infra tangentem non deprimitur, nisi tertia lineæ parte. Si lacus centum sit hexapedas latus inflexio infra tangentem erit lineæ sesquitertiæ. Si latus sit hexapedas centum & quinquaginta, curvitas erit linearum trium; si mille hexapedas latus sit, curvitas erit pedum quatuordecim, & pollicum octo; atque ita porro (*Math.* 534).

SECTIO QUARTA.

TESTIMONIUM HOMINUM, SEU FACTA HISTORICA.

Quodnam *testimonii hominum* objectum est? quænam ejus natura, & basis? quibusnam conditionibus convestitum esse debet, ne reijci possit? Quam certitudinem parere potest quum maxime pollet? quibus oppositis oppugnari, aut infirmari potest? quibus critices regulis ejus objectum dubium a magis, minusve certo, a magis,

gis, minusve verosimili, & probabili secerni potest? Hoc præclarum argumentum est tota hac sectione quarta pertractandum.

HUJUS TESTIMONII OBJECTUM.

514. OBSERVATIO. *Sensuum testimonium* nos instruit de entium sensibilium nos afficientium existentia, de visibilis naturæ ordine, atque harmonia, de peculiaribus eventibus, quorum nos spectatores, & testes sumus; ut universa præcedenti sectione explicavimus.

At si sensibilia hæc objecta nobis præsentia non sint, si eorum actio præclarorum eventuum procreatrix hæc effecit aut sæculis ante nos elapsis, aut locis a nobis dissitis, & nostris sensibus inaccessis qui, aut qua ratione illos certo scire poterimus? hoc *hominum testimonio* assequemus. Res vero ita processisse putandum est.

I. Omni ætate, & in omnibus gentibus *homines observatores* extiterunt, quorum insita cognoscendi cupiditas ipsos ad *præclara facta*, & omnium animadversione digna observanda, & memoria retinenda incitabat.

Inter hæc facta etiam phænomena erant singularia, & insolita, quæ admirationem, ac stuporem tantum concitabant; erant res virtute, animi magnitudine, honestate gestæ, quæ homines ad virtutem excitare aptæ erant valido, & eloquenti honoris, & publicæ laudis exemplo; crimina erant turpia, & detestanda, odio, atque æterna vituperatione digna, ut eorum horror, & metus excitaretur.

II. Si quando gens aliqua alicujus eventus digni, qui & a finitimis sciretur, & posterorum memoriæ commendaretur, spectatrix, & testis fuerat; ut ejus certitudo, & fama æternum vigeret, aut *tertis* illum, *authenticisque historiis* consignabat, aut *duraturis metallis* insculpebat, aut *universali, & permanente traditione* perpetuum

tuum servabat; illum, inquam, quem & suismet oculis viderat, & suismet auribus audierat.

Hoc itaque *testimonium hominum* est, quod nobis tanti momenti est; quum & nostram existentiam iterum producere videatur, & aliquo pacto nos & omnibus elapsis sæculis, & omnibus remotis regionibus præsentes efficiat.

Testimonii hominum objectum sunt *eventus sensibiles*, & *præclari*, quorum sensus claram, & indubiam cognitionem tribuere potuerint, & quorum memoria certo, & fideliter perpetuo servari potuerit.

TESTIMONII HUJUS AUCTORITAS.

515. OBSERVATIO I. Testimonium in genere est auctoritas magis, minusque gravis, motivum magis, minusque validum, atque urgens, quod majori, aut minori vi, atque impulsu suadet, ut credatur, quod dicitur, & asseritur. Testimonium, seu auctoritas id est, quod fundat *fidem in genere*; hæc vero aut divina, aut humana est; divina quidem, si auctoritas, aut motivum illam fundans divinum testimonium sit, humana vero, si humanum.

I. *Fides divina* est mentis nostræ assensus ex Dei ipsius testimonio, qui supernaturali modo hominibus revelare dignatus est veritatem speculativam, aut facti, cui plena certitudine assentimur, sive illam clare percipiamus, sive non percipiamus.

Fides divina semper Dei donum est, & cælestis gratiæ fructus. Donum hoc universis ad salutem necessarium nulli debitum est; at gratis a naturæ, & religionis Auctore cuique adulto conceditur, qui illud propriis operibus non demereatur; ut satis ostendimus, & explicavimus philosophiæ nostræ religionis sectione quarta, numeris 125, 127, 128, 132, quos si opportunum censueris, consulere poteris.

II. Fi-

II. *Fides humana* est mentis assensus hominum testimonio, ac proinde magis, minusque gravi, ac persuadente auctoritate innixus.

Fides humana quum natura sua, & motivo magis, minusque firma esse possit, usque ad plenam convictionem evehi potest, & in perfectam certitudinem mutari; ut quamprimum videbimus.

516. OBSERVATIO II. *Testimonium hominum* est auctoritas magis, minusque gravis, solida, convincens, ac suadens, pro ejus majori extensione, vi, & pondere. Quum itaque majorem, minoremve auctoritatem, & intensitatem hoc testimonium habere possit; in mediis sui ponderis gradibus fieri potest, ut tantum probabilitatem, aut verisimilitudinem de objecto suo faciat (181); quum vero ad summum gradum evehitur etiam perfectam certitudinem parere potest, quæ *certitudo moralis* dicitur; sive quod in hominum *moribus* observatis, & cognitis præcipue fundata sit, sive quod re ipsa ad humanarum societatum *mores* in pluribus apte dirigendos sit instituta (378, & 519).

I. *Certitudo moralis*, de qua sermo, est adhæsio humanæ mentis firma, & inconcussa alicui veritati historicæ, & facti, quam fide digni testes, aut historici referunt.

II. Certum est, moralem certitudinem ad summum gradum evectam, nihil in quibusdam *metaphysicæ*, *& geometricæ certitudini* cedere; in ordine enim morali æque plenam animæ certitudinem facit, æque omnem dubii speciem efficaciter amovet, ut aut axioma metaphysicum, aut demonstratio mathematica in ordine mathematico, & metaphysico.

Exemplum. Quin imperium Germanicum unquam viderim, æque de hac veritate certus sum: *existit imperium Germanicum*; ac de hac alia certus sim: *pars suo toto minor est*; etsi prima ordinis tantum moralis veritas sit, quæ

solo

ſolo hominum teſtimonio mihi confirmatur; altera vero veritas ſit ordinis metaphyſici in rerum idea, & eſſentia fundata.

III. Facile intelliges a data hujus teſtimonii certitudinis notione, *plurimas* apud homines eſſe, & eſſe debere *veritates hiſtoricas*, & *facti*; quarum certitudo æque plena, ac perfecta ſit, ac metaphyſicarum, atque geometricarum veritatum certitudo.

HUJUS TESTIMONII CONDITIONES.

517. OBSERVATIO. Ut *certitudo moralis*, ſive teſtimonii maximam vim habeat, ut menti plenam, perfectamque ſecuritatem præbeat omni prorſus dubitatione, ac timore depulſo, neceſſario *ſex conditiones ſequentes* poſtulat, quibus omnibus ſimul conveſtita ſit. Hæ aut numerum, & qualitatem teſtium, aut teſtimonii naturam, & objectum reſpiciunt.

I. *Numerus teſtium:* conditio prima. Is generatim horum numerus eſſe debet, quo majorem homo prudens ad plene facti veritatem confirmandam jure nequeat poſtulare.

II. *Teſtium gravitas*: conditio altera. Præter aptam mentis aciem ad ea perfecte percipienda, quæ teſtantur, ea indole, atque judicii maturitate inſtructi ſint, oportet, qua pateat, nec ipſos iniqua fraude velle decipere, nec animi levitate, ſeu cognitionis, aut animadverſionis defectu decipi poſſe.

III. *Teſtium æquitas*: conditio tertia. Optima probitatis, rectitudinis, integritatis fama gaudeant, oportet; eaque omnino conſtante; ne jure ſuſpicari poſſimus, in iis, quæ referunt, aut prava voluntate veritatem prodere, aut colludere, ut in mendacio conſentiant.

IV. *Conſtantia in teſtimoniis*: conditio quarta. Teſtes, aut hiſtorici in iis, quæ teſtantur, aut

aut narrant, ne sibi contradicant, oportet, & quæ prius statuerunt, ne subinde destruant.

V. *Moralis in testimoniis concordia:* conditio quinta. Diversi testes, aut historici, qui quid gestum narrant, aut testantur, generatim conveniant oportet *in eadem narratione*, saltem de summa rerum. Aut si quod testimonium aliorum multitudini opponitur, hoc omnino futile, nullius auctoritatis, & floci faciendum sit oportet; quum enim testimonia invicem opposita sunt, eorum vires invicem colliduntur, nec mens ad assensum adducitur.

VI. *Possibilitas, & sensibilitas in testimoniorum objecto*: conditio sexta. Quæ narrantur *possibilia* sint oportet, quæ scilicet aut natura, aut miraculo evenire possint, ut ad naturalem, vel supernaturalem ordinem spectant. Sint præterea oportet *apte sensibilia*, quæ sensus facile attingere possint; & de quibus sensuum ministerio certum, & indubitatum judicium ferri possit. Quod enim repugnat, fuisse non potuit; quod insensibile est, per sensus manifestari non potuit; & omnia, quæ haberi possint, ab hominibus testimonia in ambobus hisce casibus omnino nulla sunt.

Ab his sex conditionibus apte perceptis constitui debent *præcipua critices regulæ* pro factorum historicorum certitudine; sive ut facta hæc statuantur, sive ut ea commentitia ostendantur.

VERITATIS COGNITÆ VIS.

518. OBSERVATIO. *Quum certitudo moralis hominum testimonio innixa* unum ex præcipuis fundamentis sit cognitionis tum religionis, tum historiæ, opportunum est hic genericam animadversionem facere *de veritatis cognitæ vi*, quæ sponte sese offert.

I. Sensus intimus nos monet; *nos ad notam veritatem amplectendam natura ferri*; nosque eam

eam non inficiari, nisi pravo aliquo animi motu, puta, timore, vindicta, studio partium, avaritia ad eam denegandam, & ad mendacium tuendum impellamur.

Statui itaque potest tamquam axioma morale, *veritati evidenter cognita vim inesse, qua nos ad illi assentiendum inclinat*; nosque notam veritatem non prodere, nisi quum pravo aliquo affectu anima agitatur. Quovis alio itaque motivo cessante, veritatem evidenter cognitam unice *veritatis amore* amplectimur.

II. Tanta est in hominibus indolis, & educationis diversitas, tanta ambitus, & negotiorum simultas, tanta opinionum, & judiciorum pugna, tam communis, ac præpotens contradicendi libido; ut *solus veritatis amor eorum eadem de re judicia possit conciliare*.

Ceteris omnibus motivis cessantibus, veritatis amor fit motivum universale, & permanens, quod cujusvis ætatis, & nationis homines ad veritatem amplectendam, & tuendam trahit. Profecto simplicissima hæc, ac a natura ipsa oblata animadversio apte percepta invictissimum est contra Pyrrhonismum historicum argumentum.

PROPOSITIO PRIMARIA.

519. *Hominum testimonium propositis conditionibus munitum est firmum, optimumque motivum, certa est, atque indubitata auctoritas, qua nobis certo constat quorundam illustrium eventuum veritas, qui ejus objectum sunt.*

DEMONSTRATIO. Ut apte propositionis hujus veritas percipiatur, satis est *naturam*, & *existentiam* testimonii, de quo sermo, perpendere.

I. Hominum testimonium natura sua rerum, quæ ejus objectum sunt, veritati infallibiliter connexum est, si fieri nequeat, ut testes fallant,

aut

aut fallantur. Atqui hujusmodi est hominum testimonium allatis conditionibus convestitum.

Etenim evidens est primo magnum testium gravium, accuratorum, prudentum numerum, qui propriis oculis viderunt, aut auribus audierunt quod referunt, *falli non posse* in illustri, & valde sensibili eventu; ut in totali solis defectu, in subita putrescentis cadaveris resurrectione, in urbis, aut egregii viri existentia; nisi si Deus fallacia majestate, sapientia, ac sanctitate sua indigna eos ipse decipere voluerit; quod evidenter ejus divinæ, ac adorandæ naturæ repugnat.

Evidens præterea est, magnum testium numerum, qui spectatæ integritatis, & probitatis viri sunt, quique nullam veritatis inficiandæ rationem habent, qui & inter se consentiunt, & nullo opposito teste impugnantur, *fallere non posse*, neque falsum, & fictitium pro vero venditare.

Ergo hominum testimonium conditionibus propositis munitum necessario infallibile est, ac factorum, atque eventuum, qui ejus objectum sunt, veritati necessario connexum.

II. De hujus testimonii existentia plenissime certi fieri pro libito, & commode possumus. Vel enim testes ipsos audimus facta, de quibus sermo, narrantes; aut nobis præ manibus sunt authentica monumenta, quibus facta hæc commissa sunt, quæque eadem auctoritate pollent, eandemque faciunt certitudinem, quam testes ipsi facerent, quorum illa vices gerunt.

Ergo sensuum testimonio, quod infallibile ostendimus, si requisitis conditionibus convestitum sit (488), de hominum testimonii existentia certi fieri possumus.

Neque dubitandum est, *miraculum* nos in errorem inducere aut de testium, qui nobis loquuntur, aut de monumentorum, quæ horum vices gerunt, existentia. Manifeste enim Deo mi-

miraculum hoc repugnat, quod nulla alia ratione fieret, nisi ut error, & mendacium propagaretur.

A testimonii, de quo præcedenti propositione, *natura*, & *existentia* sequitur, neminem posse prudenter hominum testimonium in dubium revocare, quando istud requisitis conditionibus munitum sit; patet enim ipsum in se tutum, ac certum esse; nosque de e us existentia certos esse, aut plenissime certos fieri posse. Q.E.D.

DEMONSTRATIO II. Perpensa jam hominum testimonii in se ipso natura, atque existentia; reliquum est, ut ejus utilitatem, & necessitatem in divinæ providentiæ œconomia in societate, & religione perpendamus.

I. Certum est, & nemo nescit, aut negat, *factorum certitudinem*, quæ & societatis, & religionis fundamenta sunt, ea certitudine initi, quæ ab hominum testimonio derivatur.

Undenam enim novimus, puta, gentem Borboniam indubitatum, & exclusivum jus ad regnum in Gallia habere? Pontificem modo Romæ sedentem legitimum esse Divi Petri successorem? volumen hoc, quod præ manibus habemus, esse vetus, aut novum testamentum? provinciam, regionem, prædium jure ad eum spectare, qui modo illud possidet, aut expostulat?

Undenam novimus, Moysem extitisse veteris revelationis auctorem? Jesum Christum novæ revelationis auctorem? utrumque naturæ, & elementis imperasse? utrumque plurima primi ordinis miracula (139) fecisse, quibus pluribus nationibus eorum testibus sensibili evidentia ostenderunt, alter quidem, se Dei ministrum, & nuncium esse; alter, se Dei filium, & Deum ipsum esse?

Patet, hæc omnia nos non nisi ex hominum testimonio scire, aut scire posse. Quamobrem sic procedo. In ordine morali vitium esset, illudque enorme, & cujus Deus ipse fons, & auctor

es-

esset, nisi plena, perfecta, & apta omnem prudentem dubitationem efficaciter amovere certitudo daretur de *primariis veritatibus*, a quibus religio, & societas pendent. Ergo hæc certitudo datur. At hæc in rerum ordine a Creatore statuto non nisi ex hominum testimonio haberi potest; ergo hominum testimonium aptum esse debet certitudinem facere omne prudens dubium amoventem, quæque aliqua ratione metaphysicis, ac geometricis veritatibus parem menti securitatem impertiatur.

II. Certum est, ut jam initio diximus, *certitudinem factorum*, quibus societas, & religio insistunt, non nisi ex hominum testimonio haberi posse. Eventus siquidem jam præteritus puta Babylonis, & Carthaginis eversio, Pharsalica, aut Fontanetana pugna, Cæsaris, aut Ludovici Magni eorum ætatibus existentia, eventus, inquam, præteritus demonstrari, aut confirmari nequit neque sensus intimi, neque idearum, neque sensuum testimonio. Reliquum itaque est, & necesse est, si factum hoc vera certitudine constare debet, hanc ipsum a testimonio hominum obtinere.

Quare necesse est, hominum testimonium veram, atque perfectam certitudinem parere aptum esse, quæ omnem omnino prudentem dubitationem procul amoveat; hæc enim certitudo in ordine morali a Deo statuto prorsus necessaria est; & evidens profecto est, nunquam Dei sapientiam deficere, aut deficere posse. Q. E. D.

OBJECTIONES REFUTANDÆ.

Quæ potissimum factorum historicorum certitudini opponuntur, sunt: facta historica demonstratione probari nequire: humanorum testimoniorum collectionem non nisi probabilitatum collectionem esse, quæ nunquam vera certitudo fieri potest: humani testimonii auctoritatem eo ma-

magis deficere, quo magis a sua origine recedit: facta historica magis admissa sæpius unico testimonio, & hoc tenuis auctoritatis inniti: historiam scire esse potius quid dictum, quam quid factum fuerit scire: plurima a plurimis testibus confirmata, modo fabulosa inventa esse: facta mirabilia, seu miracula quantumvis confirmata nullam mereri fidem, quum constantibus omnium temporum, & locorum observationibus non sint conformia: etsi hominum testimonium quibusdam conditionibus munitum aptum concedatur veram certitudinem facere, nunquam tamen certos nos esse posse, requisitas conditiones in hoc testimonio inveniri.

FACTA HISTORICA FORTASSE DEMONSTRATIONEM NON ADMITTERE.

520. OBJECTIO I. Ut plena, atque perfecta habeatur certitudo, *veritas objectiva* demonstrationem aut metaphysicam, aut geometricam admittere debet. Atqui facta, & eventus præteriti quantumvis copiosis, & authenticis testimoniis suffulti demonstrationem metaphysicam, aut geometricam non admittunt. Ergo facta, & eventus hi ut objectivæ veritates non sunt habendi, quæ plena, atque perfecta certitudine gaudeant.

RESPONSIO. Ut veritas objectiva *ordinis metaphysici*, *aut geometrici* statuatur, demonstrationes requiruntur metaphysicæ, aut geometricæ, quas admittere potest, & quæ tantum illam valent comprobare.

Ut veritas objectiva *ordinis moralis*, & *historici* statuatur, contradictorium, & absurdum est geometricas, aut metaphysicas demonstrationes petere, quas admittere non potest, & quibus non indiget. Satis est si testimonii certis, & irrefragabilibus probationibus statuatur, & confirmetur; quas unice admittere potest; &

quæ

quæ ipsæ solæ, quum magna vi pollent, plenam illi, perfectamque certitudinem, & dubium omne excludentem impertiri possunt.

Veritatem facti historici inficiari, aut in dubium revocare propterea quia demonstrationis genere ejus naturæ extraneo comprobari nequeat, hoc evidenter ratione abuti, & insanire est. Est hoc fatuum imitari, qui sonos dari negaret, aut dubitaret, quod eos non videat, aut colores, quod eos non audiat, aut solem esse, vel stellas, quod hæc tactu, aut olfactu non percipiat.

Universæ pseudo-philosophiæ malevertat, quæ ut Pyrrhonismi, & incredulitatis regnum instituat, rectam rationem ita proscribit, atque profligat; quæ Romam, aut Alexandrum fuisse ita demonstrari petit, ut algebræ, aut geometriæ theorema demonstraretur. Hinc discat illa quam effrænata incredulitas insaniæ, ac dementiæ contermina sit.

521. OBJECTIO II. Rerum evidentia intrinseca, constans, & uniforme sensuum testimonium, infallibilis Dei auctoritas veritatem aliquam revelantis, & asserentis *tria sunt certitudinis motiva*, quorum quodlibet plenam, perfectamque certitudinem facit, & nihil præterea. Atqui hominum testimonium quantumvis copiosum, & authenticum, *motivum est minoris momenti*, quam quodlibet illorum trium; ergo hominum testimonium quantumvis grave, nunquam ejusmodi esse potest, ut plenam, perfectamque certitudinem faciat.

RESPONSIO. Rerum evidentia intrinseca, unanime, & constans sensuum testimonium, Dei revelantis auctoritas *certitudinis motiva sunt simpliciora, & citius efficacia;* quæ rerum veritatem maxima celeritate, ac facilitate statuunt, & omnem dubitationem profligant.

Hominum testimonium quantumvis grave, *certitudinis motivum est magis complicatum, tar-*

diusque efficax, quod majorem cautelam, & discussionem postulat, quod lentius, & difficilius dubitationem removet; attamen quod nihil minus perfectam re ipsa certitudinem facit, quum summa sua vi pollet.

Quum vero dubitatio a mente prorsus remota est, quid interest an simpliciori, & celeriori, an lentiori, & magis complicato certitudinis motivo remota fuerit? Utrobique nulla prorsus re ipsa superest dubitatio, & pari securitate, ac certitudine mens gaudet.

522. OBJECTIO III. *Facta historica* nullam prorsus demonstrationem admittunt. Quod enim aliquando falsum, aut ab eo diversum, quod narratur esse potuit, nunquam verum demonstrari potuit. Atqui facta magis authentica omnino falsa, aut a narratis diversa esse potuerunt; puta, Pharsalica pugna absolute fieri, aut non fieri potuit, aut a Cæsare amitti; ergo facta magis authentica vera demonstrari nequeunt; ergo facta historica nullam demonstrationem admittunt.

RESPONSIO. Facta historica nullam metaphysicam demonstrationem in idearum testimonio, & rerum exigentia fundatam admittunt; at moralem demonstrationem admittunt hominum testimonio innixam, & eo, quod fieri nequeat, ut quædam testimonia fallacia, & fraudulenta sint.

I. Quod absolute falsum, aut a narrato diversum esse potuit, nequit verum demonstrari demonstrationibus metaphysicis ab essentiali rerum exigentia desumptis; at verum demonstrari potest demonstrationibus moralibus, quæ motivis insistant infallibiliter rerum veritati connexis; cujusmodi quædam humana testimonia sunt, aut esse possunt.

II. *Alius rerum ordo*, seu alia eventuum series extitisse potuisset, in quibus aut Pharsalica pugna non facta fuisset, aut in qua Cæsar fu-

fus

sus fuisset. At fieri nequit, in rerum ordine, qui mores hominum dirigit, seu qui ab hominum moribus enascitur, ut tot graves testes extiterint memorabilem hunc eventum narrantes, nemine contradicente; & ut in pugna Pharsalica Cæsar non vicerit.

Idem dicas de innumeris aliis *factis historicis*, quibus testium omnino irrecusabilium agmen plenam, atque perfectam impertitur certitudinem, & ea rigida in genere suo roborat demonstratione.

FACTA HISTORICA SOLAM FORTASSE PROBABILITATEM ADMITTUNT.

523. OBJECTIO IV. Motiva certitudinis a motivis probabilitatis essentia differunt; probabilitas enim a certitudine, & certitudo a probabilitate semper essentia differunt. Atqui motiva, quæ *factis historicis* varios afferunt probabilitatis gradus, nunquam nisi *motiva probabilitatis* sunt, aut esse possunt; & hoc probo.

Motiva, quæ factis historicis varios præbent credibilitatis gradus sunt tantum humana testimonia, quorum quodlibet probabilitatis tantum motivum est; & eorum collectio quæcumque non nisi collectio motivorum probabilitatis esse potest; atqui hæc collectio nunquam motivum certitudinis fieri potest. Probo. Quodlibet humanum testimonium distributive sumptum non nisi probabilitatem parit majorem, vel minorem de facti historici veritate; ergo quælibet humanorum testimoniorum multitudo non nisi probabilitatum multitudinem pariet, quæ nunquam vera certitudo re ipsa fiet.

Una siquidem probabilitas alteri probabilitati addita, dein tertiæ, quartæ, atque ita porro in infinitum, nunquam nisi *probabilitatum congeriem* efficere potest, quæ semper a vera certitudine essentia ipsa differet. Probo. In ordine

 phy-

physico rerum homogenearum congeries rerum simul collectarum naturam non immutat; quare ergo in ordine morali rerum homogenearum congeries, cujusmodi sunt humana testimonia, rerum naturam immutabit; & faciet, ut quæ singula probabilitatis tantum motivum sunt, simul sumpta certitudinis motivum evadant?

RESPONSIO. Philosophia quædam antiphilosophica postremis hisce temporibus omnem lapidem movit, ut angustissimis finibus certitudinis imperium coerceret; ut in innumeris objectis certitudinem in simplicem probabilitatem mutaret, & ut apud quosdam non omnino insipientes hac ratione, quoad fieri posset, iniquum universalis Pyrrhonismi regnum instauraret.

Veræ philosophiæ munus est tum stolidæ credulitati, tum stolidæ incredulitati obsistere; probabilitatem certitudini non coæquare; veros ubique certitudinis, & incertitudinis in humanis cognitionibus, quoad fieri potest, limites statuere.

I. Certum est, *motiva probabilitatis a motivis certitudinis semper in aliquibus essentia ipsa differre*; motiva enim certitudinis indefectibiliter connexa supponuntur, & motiva probabilitatis non ita connexa supponuntur veritati, ad quam referuntur (181, & 374).

II. Certum est, *motiva certitudinis, & motiva probabilitatis in iis, quæ ad historiam spectant, æque esse hominum testimonia*. Facta enim historica, quorum nos ipsi testes non sumus, & quæ non nisi ex historia addiscuntur, nobis aut certa, aut probabilia fieri nequeunt, nisi hominum testimoniis, qui ea referunt, & asseverant.

III. Certum est, *unicum humanum testimonium seorsim sumptum, & quibusdam temporis, & rerum circumstantiis denudatum, quæ illud æquivalenter multiplex reddere possunt, passim non nisi probabilitatis motivum esse*. Fieri enim fere

fere semper potest, ut testis hic, qui semper omnino unicus testis supponatur, sibi peculiares rationes habuerit, cur iis, quibus loquitur, aut scribit, fucum faceret.

IV. Certum est, *plura humana testimonia fieri posse ex eorum collectione verum certitudinis motivum*; fieri enim potest, ut hæc testimonia simul collecta ita gravia, & multiplicia sint, ut indefectibiliter cum rei, quam referunt, atque asseverant, veritate connexa sint.

Unicum testimonium auctoritas est: alterum altera auctoritas est, quæ primam auget, ac roborat; atque ita porro. Quum plures graves, & concordes auctoritates tam multæ sunt, ut sint, & appareant indefectibiliter cum facti historici veritate connexæ; tunc *auctoritates hæ ita accumulatæ, & se invicem roborantes*, non amplius puræ probabilitatis, at veræ, ac perfectæ certitudinis motivum sunt.

524. NOTA. Non semper præcise definiri potest, ubi probabilitas cesset, & subeat certitudo in factis historicis; at *sæpissime definiri potest, hoc, vel illud factum historicum plena, ac perfecta certitudine gaudere*; atque hanc haberi a testium numero, & conditione, qui illud unanimiter referunt, quique non nisi cognitæ veritatis vi impulsi illud ita concordes retulerunt.

Exempli causa; fortasse mihi arduum esset definire, quot auctoritates, seu testes historici mihi necessarii sint, ut certus fiam, Cæsarem, Alexandrum, Moysem olim extitisse, aut Romam, aut Babylonem, aut modo Sinarum, aut Russiæ imperium existere.

At mihi facillimum est definire, auctoritates, aut testes esse satis multos, & graves, ut mihi his de rebus plenam perfectamque certitudinem faciant; quæ vi convincente, & suasiva metaphysicæ, & geometricæ certitudini ne minimum quidem cedat (516).

525. OBJECTIO V. At enimvero qui fieri potest, ut plura humana testimonia, quorum singula seorsim probabilitatis motivum tantum sunt, fiant *motivum certitudinis?* an ne testimonia hæc simul collecta naturam mutant?

RESPONSIO. Facile intelliges difficultatem hanc miseram cavillationem esse a sana, & solida metaphysica proscribendam. Humana testimonia non sane *in se ipsis* ex collectione naturam mutant; at ex collectione *in eorum effectu* naturam mutant; hoc est in certitudine, quam menti faciunt, & facere debent.

I. Fieri potest, ut unicum testimonium puram probabilitatem faciat; solum enim, & solitarium potest non esse indefectibiliter objecti sui veritati connexum; neque satis suasivæ virtutis habere, ut omnem de objecti sui veritate timorem, ac dubitationem expellat.

II. Plura testimonia plenam certitudinem facere possunt; ex eorum enim collectione fieri possunt indefectibiliter connexa objecti sui veritati; tantamque vim adipisci suasivam, ut ab animo dubitationem omnem, atque timorem de objecti veritate removeant.

526. NOTA I. Disquisitione omissa, num in *physicis* homogenea ex collectione naturam *in se ipsis* mutare possint, facile est definire *in effectu*, seu relate ad effectum, naturam mutare posse. Exempli gratia, viginti ferri massæ singulæ unius pondo aptæ non sunt sejunctim sumptæ in bilance pondus elevare duodeviginti pondo; at collective sumptæ id attollunt. Ita plura parva vulnera, quorum nullum mortale est, simul mortalia esse possunt, omnia vitæ principia, & organa si lædant.

Pari modo omittamus inquirere num in moralibus homogenea naturam in se mutare possint collectione; at facile definiemus, *in effectu*, seu relate ad effectum, *naturam mutare posse*. Exempla. Officiis semel deesse amico debitis indi-

care

care potest tantum negligentiam quamdam ab amico condonandam: habitu, & continenter officiis hisce deesse, pravum animum indicat, & ab amicorum numero delendum. Ita quoque in mercatorum ministro, in domus œconomo error in ratiocinatione mercatoribus, aut hero damnum inferens, semel admissus negligentiæ cuidam ignoscendæ tribui potest: continuata errorum series semper dominis damnosa plane infidelem ministrum, ac furem indicat, cui nihil omnino fidendum sit.

527. NOTA II. Eadem de hominum testimoniis dicere possumus. Collectione intimam naturam non sane immutant; at in effectibus, sive relate ad effectus, naturam collectione mutare possunt.

I. *Humanorum testimoniorum collectio* auctoritatem, & vim suasivam habere potest, quæ ab ea, quam singula habent, omnino diversa sit; hæc enim testimonia simul sumpta *certitudinis fundamentum* habent in natura, & moribus positum, quod seorsim sumpta non habent.

II. Quodvis humanum testimonium seorsim sumptum, fieri potest, ut probabilitatem tantum faciat; neque enim ii sunt mores hominum, ut cum singulari fraude componi nequeant, quæ fere semper peculiare aliquod motivum in natura habere potest.

At humanorum testimoniorum collectio ejus conditionis, quam descripsimus (517), plenam, perfectamque certitudinem necessario facit; mores enim hominum, cum universali fraude, quæ nullum in natura motivum habere potest, componi nequeunt (518).

528. NOTA III. *Testis solitarius* fere semper peculiare aliquod motivum habere potest, quo veritatem prodat; at evidens est, *magnam testium, quales a nobis requiruntur, multitudinem*, nunquam *idem motivum* veritatis prodendæ habere posse.

Exem-

Exempli causa; post Fontanetanam pugnam miles Gallus, aut Anglus aliquod habere posset motivum aut timoris, aut spei, aut fatuitatis, quo asseveraret, in hac pugna Gallos cæsos fuisse. At mores hominum prorsus immutentur oportet, ut multitudo militum Gallorum, Anglorum, Germanorum, Belgarum, qui in hac pugna fuerunt, simul concurrant, & conveniant in prodenda veritate, & in mendacio asseverando.

Quum studiis homines perpetuo diversis abeant, quum indole plurimum inter se differant, & desideriis, & principiis; nonne evidens est, fieri nunquam posse, ut eorum animi *eodem* simul *generali motivo* trahantur omnes ad mendacium unanimiter tuendum; atque ita in illis hoc naturalem propensionem destruat, qua omnes veritati obsequi suademur? (518.

529. NOTA IV. Si cum nonnullis recentioribus philosophis contendas, certitudinem ad metaphysica, & geometrica principia spectare; hominum testimonia non nisi probabilitatem majorem, minoremve, imo in infinitum crescentem fundare posse, quæ tamen nunquam plena certitudo fiat; *principium* pones *nimis probans*, a quo quid evidenter falsum consequitur, quoque proinde se falsum prodit, & nihil probat (55).

Ab hoc enim principio sequeretur, certum non fore, at *tantum probabile*, Italiam, aut Britanniam existere, docto, & erudito Gallo, qui duo hæc regna nunquam ipse viderit; quique ea tantum ex plurimis hominum testimoniis existere novit.

Atqui profecto insanum jure haberemus, qui in Gallia asseveraret, *tantum probabile* esse, Italiam, aut Britanniam existere; hæc regna existere certum non esse ea plena certitudine, quæ nullum in animo timorem relinquit, & de hac re dubitationem quamcumque prorsus excludit.

AU-

AUCTORITATES HISTORICÆ, VIRES FORTASSE SEMPER DECRESCENTES.

530. OBJECTIO VI. Quo magis humanum testimonium a sua origine recedit, eo magis infirmum, & suspectum est. Nos enim docet experientia, *facta historica* dum per hominum ora volant immutari, variari, falsa fieri. Quare etsi factum historicum, quod remotissimis sæculis accidit, plenissimam certitudinem elapsis temporibus habuisset, non eandem nunc certitudinem habere posse videtur, infirmiore jam illud asserente auctoritate.

Exemplum. Diluvium fuisse certius erat Noe, & ejus filiis, quam Moysi, & ejus coævis: id ipsum Moysi, & ejus coævis certius erat, quam primis Apostolis, & christianis: certius his, quam superioris, ac præsentis sæculi christianis. Pari modo Clodovæum fuisse certius erat Divo Remigio, quam Bossueto; Bossueto certius, quam nobis.

RESPONSIO. Pyrrhonismi historici mania non unum *falsum principium*, non unam *falsam critices regulam* protulit; horum præclarum exemplum est præsens objectio. Ex principio, atque ex regula, quæ duo profert, quæque nonnisi castigate, & limitate a philosophicis ingeniis admitti deberent, sequeretur hoc absurdum, certum nempe esse potuisse sæculo Ludovici XIII, Henricum IV extitisse; & hoc Ludovici XIV, aut Ludovici XV. sæculis certum non fuisse; aut saltem certius hoc fuisse Ludovico XIII, quam Ludovico XIV, huic certius, quam Ludovico XV; certius huic, quam Ludovico XVI, & deinceps; propterea quia certitudo, Henricum IV fuisse, semper decrescit, infirmatur, naturam mutat, primorum testium id asserentium distantia semper crescente.

I. Falsum est primo, *testimonium historicum*,

certum, irrecusabile, authenticum, historiæ, & traditioni commissum, semper magis, magisque infirmari, quo magis a fonte recedit; *publica* enim *monumenta*, quæ illud servant, & *generalis traditio* publicis monumentis consentanea restituunt, veluti, atque æternos reddunt primos testes, qui factum, hujus testimonii objectum, retulerunt.

Monumenta publica, & publica traditio quum simul consentiunt semper eandem auctoritatem habent, & habebunt, quam primi testes ipsi haberent, si adhuc viverent, & adessent; hæc enim monumenta, atque hæc traditio immutabilem primitivo eorum testimonio perseverantiam impertiuntur. Non itaque verum est, humana testimonia quo magis ab origine recedunt, eo magis infirmari, & primam auctoritatem amittere; monumentis enim publicis, & publica traditione *immutabilem stabilitatem* adipisci possunt, qua perseveranter persistant, ut primitus extiterunt.

Hominum testimonia quum de magnis, præclarisque eventibus sunt, quum rite publicis monumentis commissa sunt, quum nationis traditione suffulta, *nullam mutationem*, *aut interpolationem* admittunt, qua re ipsa immutari possint; a primis enim usque temporibus, quibus extiterunt, monumenta publica, quibus facta hæc commissa fuerunt, ab eorum auctoribus ab omni mutatione, aut interpolatione proteguntur; & subsequentibus ætatibus monumenta hæc ipsa a natione, cujus ea integra servare interest, quæque ea custodit, integra servantur. Natio enim sensim sine sensu sese restituens, ac veluti per annos renascens semper eadem perseverare videtur; & a progenie in progeniem, a sæculo in sæculum easdem notiones, easdem narrationes, easdem curas, eadem negotia transmittit; præterea in natione semper quamplurimi sunt de memorabilium publi-
cis

cis monumentis commendatorum veritate tuenda solliciti; neque ratio ulla esse potest nationem universam inducens ad veritatem notam unanimiter mendaciis deturpandam (518, & 528).

II. Falsum est præterea, *facta historica*, dum per ora volant, dum a sæculo in sæculum transeunt, semper in iis quæ præcipua, & rerum summa sunt, immutari, & deformari.

Facta levis momenti, tum factorum illustrium levia quædam, & minoris momenti adjuncta, illa quidem dum per ora circumferuntur, dum a sæculo in sæculum descendunt immutantur, & deformantur; præsertim quum hæc omnia levioris momenti ab initio publicis monumentis commissa non fuerint, quibus & ipsa posteritati transmittantur.

At contra *facta illustria*, & *memorabilia*, tum *horum adjuncta præcipua*, & a quibus factorum ipsorum præstantia, & magnitudo derivatur, neque quum per ora, & per sæcula transferuntur, mutationi obnoxia sunt; saltem tunc, quum hæc ipsa, & memorabilia eorum adjuncta, quo primum tempore fuerunt, publicis monumentis ab universa natione receptis, aptisque integram, perpetuamque eorum memoriam servare, fuerint commendata.

Exempla. Æque hodie certum est, ac Moysis, Salomonis, Hannibalis, Cæsaris temporibus fuerit, Moysem Hebræorum liberatorem, ac legislatorem fuisse, Salomonem primum Judæorum templum ædificasse, Hannibalem in Cannensi pugna vicisse, Cæsarem Romanam Rempublicam evertisse; etsi per hos dies innumera minoris momenti ignoremus, quæ grandia hæc facta comitata sunt, quæque tunc temporis iis nota fuisse putandum est, qui in publicis hisce negotiis versabantur.

III. Falsum denique est, *Noemum de diluvio*

certiorem Moyse fuisse, aut de Henrico IV. Sullium Colberto; cetera.

Noemus de diluvio suorum sensuum testimonio certus erat, Moyses universali, & unanimi nationis traditione. *Diversa* ambo habebant certitudinis *motiva*; hæc in utroque tamen plenam, perfectamque de diluvio certitudinem faciebant.

Sullius quoque de Henrico IV. suorum sensuum testimonio certus erat, Colbertus concordi, & universali historiæ testimonio. Par de Henrico & in Henrici, & in Ludovici XIV. ministro erat certitudo; etsi hæc in utroque a diversis fontibus emanaret.

Sensuum testimonium simplicius, & promptius certitudinis motivum est; hominum testimonium, si universale, & concors sit, magis complicatum, lentiusque certitudinis motivum est (521): utrumque tamen plenam, perfectamque certitudinem parit.

AUCTORITATES HISTORICÆ, VIRES FORTASSE SEMPER CRESCENTES.

531. OBJECTIO VII. Historia vel probatissima magna sane auctoritate pollere debet, ut a philosopho fidem obtineat, si quando hic animadvertat quibus fundamentis hominum opiniones innituntur in factis historicis. Quot enim ex his sunt, quæ passim certa habentur, quæque unico re ipsa reguntur testimonio, eoque sæpius minimæ gravitatis? Menagius librum scribere volebat, cui titulus esset: *semel dicta* (*a*). Liber hic ad sane pauca, puto, certitudinem historicam redegisset.

Hominum opiniones in historia *senescendo vires*

(a) τῶν ἅπαξ λεγομένων *De semel dictis*.

res acquirunt; & factum aliquod historicum, quod mille ante annos ne probabile quidem visum fuisset prudenti, & auctori coævo, modo certum habetur, propterea quia plures historici ejus auctoritate confisi illud retulerunt. Atqui certum est, plura esse in historia, quæ certa passim habentur, & tamen primitus *unius tantum historici auctoritate* regebantur. Præterea æque certum est, quum vetus factum historicum unius antiqui scriptoris auctoritate relatum est, eos, qui subsequentibus ætatibus illud retulerunt, nullum primi scriptoris auctoritati pondus addere, eosque omnes pro nihilo reputandos.

Exempla. Factum historicum solis miraculo in medio cursu detenti, (sive ista solis diurna revolutio re ipsa fiat, sive tantum fieri videatur) universim receptum, & admissum fuit solo Josue testimonio; post Josue vero ad primum usque subsequentem Judaicæ gentis historicum, tercenti, & triginta, vel quadraginta saltem anni effluxerunt. Ita quoque miraculum Erythræi sicco pede trajecti passim receptum, & admissum fuit solo Moysis testimonio; quique postea de hoc meminerunt, Moysem tantum exscripserunt. Quam multa sunt in historia prophana, de quibus idem dicere liceret! ea scilicet unius historici testimonio inniti.

RESPONSIO. Opinionum rectæ rationi oppositarum ea indoles est, ut principia sibi confingant e diametro opposita, & contradictoria, quibus, si fieri possit, fulciantur. Hujusmodi est hæc recentiorum quorundam philosophorum sententia, qui alii aliis magis aperte pro Pyrrhonismo pugnant.

Ex eorum principiis unum est, *hominum testimonia senescendo vires amittere*; alterum est, *hominum testimonia senescendo vires augere*. At hæc duo contradictoria sunt. Parum id interest: si grandiloquo ore proferuntur, alterutrum in di-

diversæ indolis mentibus radices aget, & utrumque Pyrrhonismo proselytos comparabit.

Primum falsum ostendimus in responsione præcedenti objectioni; in responsione sequenti & alterum falsum ostendemus.

532. EXPLICATIO I. *Falsum est hominum opiniones de rebus historicis senescendo vires augere.* Dent, si possunt, principii hujus auctores, & assertores rationem aliquam generis cujuscumque, qua principium hoc probent; nunquam dabunt. Falsa Pythagoræ, & Apollonii Tyanæi miracula, falsa itidem suburbii Divi Marcelli miracula, Ancilia Romanis e cælo delapsa, sacra phiala ab angelo ad Francos delata, adulterina Pilati acta a veteribus christiani nominis hostibus conficta, & commenta, tum alia sexcenta fabulosa majorem ne auctoritatem quo magis senescendo ab origine recesserunt, majorem ne vim sunt consequuta?

I. Hominum opiniones de historicis factis possunt fortasse senescendo *magis propagari*, aut in pluribus mentibus radices agere; at enimvero earum propagatio non earum vim facit.

Vis hæc unice *in auctoritate, cui innituntur*, sita est; hæc vero auctoritas neque crescit, neque minuitur, aut perit. Magis, minusve nota fieri potest; at magis, minusque vera fieri aut augeri nequit.

II. *Opiniones veræ*, seu quarum objectum re ipsa existit, vires acquirunt senescendo, si quando novis apparent credibilitatis motivis convestitæ, quæ præcedentibus ætatibus ignota fuerint.

At vero quum magis apud plures propagatæ nullis novis motivis credibilitatis munitæ proponuntur, earum auctoritas eadem ipsa, non aucta, non imminuta, perseverat.

III. *Opiniones falsæ*, seu quarum objectum fabulosum est, & inane, non modo vires senescendo

do non acquirunt, imo magis, magisque amittunt.

Si quando fabula propagetur, ubique satis multi sunt temere creduli, qui nulla discussione illam arripiunt, animi contentione ceteris narrant, & mordicus tuentur; præsertim quum aut maledicendi libido, aut partium studium, aut depravati animi motus, aut aliqua utilitas id facere suadeant.

At vero aliquo temporis decursu, modo citius, modo serius *ratio reclamat*: ipsa probationes rei narratæ petit, & expendit: tunc vero fabula evanescit, nec eam invenies nisi in quibusdam mentibus, quæ mirum in modum fabulis, & somniis delectantur. (*a*).

533. EXPLICATIO II. *Falsum est, facta historica, qua passim certa habentur, unicum re ipsa testem habere, atque hunc sæpius levis auctoritatis, quo regantur.* Quæ adversarii afferunt, ut ista probent, omni ex parte indigesta sunt, & præpostera.

I. Factum historicum, quod ne probabile quidem mille ante annos homini prudenti visum fuisset, ne per hos quidem dies prudenti probabilius videbitur. Si vero ab imbecillibus, & male cautis inter vera recensetur, nihil hoc contra historicam certitudinem facit: nihili inepta hæc insipientum adhæsio a sanis mentibus habetur.

II. Factum historicum, quod primitus unico tantum testimonio fulcitum fuit, semper *hujus tan-*

(a) *Mentes hæ, quarum nimius omni ætate numerus, hoc Buchanani versu perbelle picta videntur:*

Gens ratione furens & mentem pasta chimæris.

tantum testimonii auctoritatem obtinet; quod non sane multiplex fit propterea quod subsequentibus ætatibus a plurimis ore, aut calamo repetatur. Si quando hæc repetitio fit insipientibus auctoritas crescens, nunquam sapientibus crescit. At vero in universa hac de historica certitudine tractatione sapientum tantum suffragia quærimus, & magni pendimus.

534. EXPLICATIO III. Certum est, *unicum testimonium pluribus apud sapientes æquivalere posse*. Hujusmodi est Josue testimonium.

Narrat Josue, atque testatur in libro suo, qui ejus nomine inscribitur; semet propriis oculis vidisse solem in diurna revolutione stantem ferme per integrum diem; & universam gentem suam secum hujus prodigii spectatricem, & testem fuisse. Prodigium hoc suis annalibus committitur: historia hæc universæ Hebræorum nationi traditur, quæ non modo non rejicit, aut negat, imo servat, & posteritati mandat ut veram, fidelem, veridicam. Ecquis sanæ mentis homo non hic videat, *Josue testimonium*, non unius hominis, at *universæ nationis* testimonium esse?

Idem dicas de Moysis testimonio, de primorum apostolorum testimonio, de illo plurium cujusvis nationis historicorum in iis, quæ publica, & notoria erant, & quorum ipsi testes fuerunt, quæque illius ætatis, & nationis suffragia tuentur.

VARIA MONUMENTORUM HISTORICORUM GENERA.

535. OBSERVATIO I. Fortasse non ingratum erit noscere quid *de monumentis historicis* vir postrema hac ætate ingenio, & eruditione clarissimus Leibnitius senserit.

„ I. Critici in historia *coævos rerum testes* „ magni faciunt, Attamen neque coævus, ni- „ si

„ si de publicis eventibus, fidem meretur; quum „ vero de secretis negotiis, de causis, de am- „ biguis rebus scribit, puta, de propinato ve- „ neno, de proditionibus, id saltem scimus, „ quod plures crediderunt. Procopius magnam „ meretur fidem quum de Belisario contra Van- „ dalos, & Gothos bellum gerente scribit; at „ vero quum horridas detractiones ingerit in „ suis anecdotis in Theodoram imperatricem; „ *credat Judaeus Apella*.

„ II. Satyrae generatim caute credendae. Plu- „ res vidimus nostra hac aetate vulgatas nulla „ veritatis specie; quae tamen ab insipientibus „ avide arreptae fuerunt. Fortasse aliquando „ posteri dicent: ista ne quis tunc producere „ ausus fuisset, nisi ratione aliqua ductus fuis- „ set? at si ita sentient, perperam sentient.

„ III. Peculiaria, & minuta praesertim in „ historia parum tuta sunt. Ferme nullae pu- „ gnarum narrationes rectae sunt. Pleraeque Ti- „ ti Livii aeque ac illae Quinti Curtii, confi- „ ctae videntur.

„ IV. Certum est, quum unicum veterem „ auctorem facti alicujus testem habemus, reli- „ quos omnes, qui illum excripserunt nihil ad- „ dere auctoritatis, seu potius nihili faciendos „ esse. Et per hos quoque dies si centum mil- „ lia scriptorum, puta, Bolsaei maledicta repe- „ terent, sanae mentis homo, non magis ista „ curaret, quam anserum clamores.

„ V. In remotissima antiquitate aliqua illu- „ striora facta dubia sunt. Melioris notae viri „ dubitarunt, num Romulus Romam condide- „ rit. De Cyri morte controversia est. Inter „ Herodotum, & Ctesiam discordia dubiam As- „ syriorum, Babylonum, & Persarum historiam „ reddidit.

„ VI. Peculiaris populi historia nullius est „ auctoritatis, nisi a primis antiquioribus au- „ ctoribus excerpta sit, & publicae historiae

„ con-

„ conformis. Quamobrem quidquid nobis de veteribus Germanorum, Gallorum, Britannorum, Scotorum Regibus narratur, jure fabulosum habetur, & pro libidine confictum.

„ VII. Quum diversarum gentium historiæ consentiunt in iis, quæ alia ab aliis non exscripta fuisse jure censemus, magnum hoc est veritatis indicium. Hujusmodi in pluribus est Herodoti veteri testamento consensio; exempli causa, quum Megiddicam pugnam narrat Regis Ægyptii cum Syris Palæstinis, Judæis scilicet; in qua, sacris libris testantibus, quos ab Hebræis habemus, Rex Josia mortali vulnere confectus fuit.

„ VIII. Historiæ quoque Arabum, Persarum, Thracum Græcis, Romanis, aliisque occidentalibus consensus eventuum studiosis placet: ita quoque numismatum, & veterum inscriptionum testimonia libris antiquorum, qui ad nos usque venerunt, & qui re ipsa ex exscriptis exscripti sunt, consentanea.

„ IX. Opinionum probabilitates de rebus, quæ sub sensus non cadunt, nullo testimonio roborari possunt. " Ipsæ quid homines cogitaverint, non quæ res fuerint, docere possunt.

536. OBSERVATIO II. *Facta historica* nobis transmittuntur, & confirmantur aut coævorum auctorum testimonio, aut authographorum & authenticorum monumentorum, aut traditionum nationis, aut recentiorum historicorum testimonio, aut hisce auctoritatibus omnibus simul collectis. Quodlibet ex his testimoniis aliquam explicationem postulat, qua apte dignosci, ac perpendi possint.

537. EXPLICATIO I. *Coævorum auctorum testimonium* optima est veritatis historicæ confirmatio, modo nulla ex parte suspectum sit.

Non tamen, ut certum habeatur factum historicum, satis est scire, hoc ab auctore synchro-

no

no referri; etiam synchronus siquidem in iis, quæ narrat, aut fallere, aut falli potest. Non itaque semper cæcam fidem postulat synchroni auctoritas: hæc rectis critices regulis pensanda est.

I. Videndum primo, num synchronus hic auctor apte potuerit tum facti, tum eorum, quæ factum comitabantur, veritatem dignoscere.

Auctor synchronus ea scribere potest, *qua vidit, & recte vidit*: tunc vero certum est, eum scribere ut apte instructum, & qui in iis, quæ refert, falli nequeat; aut scribere potest, *qua audierit*: tunc vero eo minorem in historia auctoritatem habet, quo a loco ipso remotior fuit, ubi narrata acciderunt; quo difficilius de his certior fieri potuit; quo minus hæc publica, & nota fuerunt.

II. Videndum deinde, num ratio aliqua suppetat de veracitate, & diligentia synchroni hujus auctoris dubitandi.

Auctor synchronus aut sui ipsius causa, aut oblivione, aut negligentia imponere potest. *Sui causa* quidem, quum aut metu, aut spe, aut studio partium verum simulat. *Oblivione*, quum longo tantum post tempore scribens ab eventibus, quorum aut testis fuit, aut quæ a fide dignis testibus audivit, rerum ordinem, aut naturam immutat, quod aut a mente exciderint, aut perturbate tantum in mente perstiterint. *Negligentia* quum de rebus scribens, quæ accurationem, & criticem bene multam postularent, facile aliquod aut admittit, aut reijcit; quin antea exacte perpenderit, & ad trutinam revocaverit quidquid rei narrandæ veritatem aut comprobat, aut infirmat.

538. EXPLICATIO II. *Authographorum, & authenticorum monumentorum testimonium* maxima, quæ haberi potest, facti historici probatio est, quum eorum veritas infirmari nequit, neque ullum falsitatis, aut suppositionis apparet indicium.

I. In-

I. Inter hæc recenseri possunt numismata occasione alicujus eventus cusa, marmora monumentis quibusdam publicis insculpta, belli, pacis, fœderis edicta, Regum leges, & diplomata, reipublicæ administratorum, aut exercitus imperatorum literæ, connubii, venditionis, donationis tabulæ, judicum sententiæ, testamenta, aliæque privatorum etiam, & juxta leges conscriptæ tabulæ; cetera.

II. Authographa authentica majorem etiam synchronorum auctorum testimonio fidem faciunt. Hæc illud prorsus destruunt, si illi sint opposita, & plenam illi addunt certitudinem, si consentiant.

539. EXPLICATIO III. *Traditionum nationis testimonium*, si hæ universales, & permanentes sint, & earum objecta vere sensibilia, publica, simplicia, & magni momenti sint, maximum veritati historicæ pondus addunt.

I. Quum traditiones hæ universales, & permanentes *monumentis historicis* nationis consentiunt, & ejusdem moribus conformes sunt, augent semper, imo sæpius ad summum certitudis apicem evehunt facta illa historica, quæ respiciunt (519, & 530).

Hujusmodi sunt plures nationis traditiones apud Hebræos, & Christianos. Ipsæ optime monumentis historicis consentaneæ, & utriusque populi moribus, & consuetudinibus plane conformes, factis historicis, ad quæ pertinent, maximum, qui desiderari possit, certitudinis gradum impertiuntur; ut in nostra philosophia religionis plane ostendimus.

II. At hujusmodi traditionum proprium est immutari dum ab una ad aliam generationem transeunt, quum publicis, & authenticis monumentis non sunt commissæ, & unice hominum memoriæ commissæ sunt. Quo magis ab origine recedunt, eo magis mutationi, & corruptioni obnoxiæ sunt; sive factis historicis fa-

bu-

bulosa, & falsa addendo; sive factis his ipsis præcipua, & necessaria adjuncta demendo, quæ illa re ipsa comitata sunt, & quæ tempus per dies ex hominum memoria delet.

Nisi Henrici quarti gesta præterquam nationis traditione nosceremus; sciremus tantum, regem hunc, postquam sibi ad solium sibi natura debitum, a quo seditiosis artibus arcebatur, præclaris facinoribus viam aperuit, regum beneficorum exemplar extitisse.

540. EXPLICATIO IV. *Recentiorum historicorum testimonium* eam tantum auctoritatem habet, quam aut a synchronorum auctorum testimonio, aut ab authographis authenticis, aut a certa, & indubitata nationis traditione obtinet.

Eos hic recentiores historicos dicimus omnes, qui iis temporibus non vixerunt, quibus quæ narrant evenerunt; seu qui de his certiores fieri non potuerunt a testibus factis hisce synchronis.

I. Certum est primo, *historicos synchronos*, aut certos factos fuisse, aut saltem fieri potuisse de illorum veritate, quæ eorum ætate acciderunt; sive quia eorum ipsi testes fuerunt, sive quia ipsis facile erat ab ipsis testibus certiores fieri.

II. Certum est præterea, *historicos non synchronos*, qui neque factorum testes ipsi fuerunt, neque de his ab illorum testibus erudiri potuerunt, *alio nullo titulo fidem mereri posse* in iis, quæ narrant, nisi auctoritatibus, quibus innituntur.

Equidem, si velim, scribere possum, impudenter historiæ veritati injuriam faciens, Hannibalem in Cannensi pugna cæsum fuisse, Alexandrum Arbellis, Henricum quartum tyrannum fuisse, & in lecto a Marochii imperatoris sicario confossum gladio fuisse; aliaque hujusmodi; meumque testimonium æqualis erit ponderis cum alterius cujusque testimonio oppositum asse-

afferentis, nisi hic historicas auctoritates habeat, quibus asserta confirmet.

Hinc vides quanti faciendum sit *quorumdam recentiorum historicorum testimonium*, qui paradoxa quamplurima historica venditare delectantur, quorum nullam aliam probationem proferunt, præter propriæ auctoritatis imperium, cui nimium facilius plerique incauti, critices jejuni, ad legendum potius, quam ad cogitandum, aut ad judicandum nati, obsequuntur.

541. EXPLICATIO V. *Silentium ipsum synchronorum auctorum* est historica auctoritas, quam scire apte perpendere pernecessarium est.

I. Synchronorum auctorum silentium si universale sit, si longa sæculorum serie continuatum, quum de his silet, quæ maxime publica fuerunt, & quæ inter præcipua recenseri debuissent, solum ipsum gravissimum, & validissimum argumentum est ad mendacia posterioribus sæculis effutita refellenda.

Exempli causa; a sæculo duodecimo ad decimum octavum usque universim dictum, & iterato dictum fuit, Imperatorem Justinianum, postquam ab aula *celebrem Belisarium* ejecerit, illi oculos avelli fecisse; illustremque hunc heroa, omnium suæ ætatis exercitus imperatorum maximum eo inopiæ devenisse, ut ostiatim per Constantinopoleos compita panem sibi quæstu petere cogeretur.

Factum adeo publicum, adeo grave, adeo ferum, adeo ad poetarum, oratorum, philosophorum ipsorum animos ad œstrum incitandos aptum num silentio, & oblivione consepultum fuisset a sexto sæculo ad duodecimum, si re ipsa contigisset? non ita futurum fuisse, evidentissimum est.

Factum hoc fabulosum, cujus neque illius sæculi, neque sex subsequentium auctor ullus mentionem fecit, primo a Joanne Tzetze evulgatum fuit: „ auctore, inquit le Beau, judicio

„ va-

„ vacuo, qui Joannis Cappadocis infortunium
„ cum Belisarii infortunio permutavit; & post-
„ quam sana critice historiam perpurgavit, om-
„ nes sanæ mentis scriptores fabulosam hanc
„ traditionem unanimiter ejurarunt, quæ tan-
„ tum inter romanenses fabulas ablegari po-
„ test “.

II. *Unius, aut plurium auctorum synchronorum silentium* non est ratio sufficiens ad nonnulla facta historica deneganda, quæ ab aliis synchronis auctoribus fide dignis referuntur; quum pateat, aut auctores, qui ejus non meminerunt, aut illud scire non potuisse, aut gravibus rationibus ductos illud silentio præteriisse. Exempli gratia.

Silentium Sinensium auctorum de Hierosolymitani templi ædificatione, Hebræorum auctorum silentium de ingenti Sinensi muro non jam probat, monumenta hæc esse fabulosa: alterutrum enim iis ignotum erat, qui illius non meminerunt.

Pari modo veterum Græcorum, aut Ægyptiorum scriptorum silentium de miraculosa Hebræorum liberatione Moyse duce, nullo pacto probat, factum hoc incertum haberi debere; sive quod ætate Moysis, imo pluribus post Moysem sæculis, Græcia, & Ægyptus adhuc semibarbaræ scriptores non habebant; sive quod, etsi aliqua mirabilium, quæ in Hebræorum exitu contigerunt, superesset recordatio in Ægyptiis traditionibus quo tempore Ægyptus, & Græcia historiæ chaos coordinare cœperunt; Ægyptii sacerdotes in Hebræos odio hæc aut silentio obruere, aut suspecta prædicare opportunum sibi fore censuerunt.

Pari modo Josephi historici silentium de mirabilibus, quæ in vita, & morte Jesu Mariæ filii contigerunt, nullo pacto probat, eventus hos vel minima ex parte dubios censeri posse; Josephus enim gravissimis politicis & sibi propriis

ra-

rationibus movebatur ne quid de magno hoc homine diceret; quum de ipso quid scribere non posset, quin in alterutrum ex his duobus incommodis incideret, aut impudenter notam veritatem lædendi, aut in Neronis iram, & indignationem incidendi.

Hic supponimus, celebrem Josephi locum de Jesu Christo hujus auctoris non esse; sive extranea manu suæ Judæorum historiæ interjectum fuisse posterioribus sæculis: etsi plerique docti, & non contemnendæ auctoritatis viri non ita sentiant.

HISTORIA IN OMNIBUS FACTIS FORTASSE INCERTA.

542. OBJECTIO VIII. Historiam scire, ait recens quidam philosophos, magis est noscere quid dictum, aut cogitatum fuerit, quamquod diversis ætatibus factum fuerit.

Primi Græci, & Romani *historici*, tum aliarum regionum, in quas liberales disciplinæ aditum invenerunt, nationum traditiones tantum descripserunt. At vero quibus rationibus, aut probationibus tenebrosis illis, fabulosisque temporibus historiam suam, & chronologiam fulcire potuerunt? *Posteriores historici* in iis saltem, quæ remotorum temporum historiam continent, ea tantum, quæ a primis historicis scripta sunt, retulerunt. Quum vero jam dicta tantum repetiverint, quam auctoritatem addere potuerunt monumentis partim fabulosis, partim apocryphis? quare vetus historia nullam habet certitudinem.

Nec melioris conditionis est *recens historia*. Auctores ipsi, qui facta ferme ab ipsis visa describunt, ea immutant, ac mille modis deformant. Quantum, Deus bone, in eorum judiciis partium studium! quot in eorum narrationibus opposita! quod hic asserit, ille inficiatur, & rejicit; quod hic approbat, ille criminatur, & da-

& damnat. Quisque de rebus judicat ductus aut sectæ, aut nationis, aut proprii commodi præjudiciis. Quam hinc historiæ speres certitudinem?

RESPONSIO. Omnia, quæ in historia leguntur, vera credere, stultitia, & insania est. Nihil verum esse in historia credere, alterius generis stultitia, & insania est. In legenda, ut & in scribenda historia judicio, & perspicacia opus est; si duobus hisce animæ faculis careas, quibus solis binos stultæ credulitatis, & stultæ incredulitatis scopulos vitare poteris, & veros certitudinis, & incertitudinis limites dignoscere; hoc unum tibi reliquum est, ut scilicet a legenda historia abstineas, modeste tibi cum Boileavio in memoriam revocans; *doctum fatuum indocto fatuo magis fatuum esse.*

543. EXPLICATIO I. *Falsum est, veteres variarum nationum historicos tantum ex nationum traditionibus scripsisse.*

Moyses, Josue, Samuel, Nehemias, Esdras apud Hebræos, inter cetera suorum temporum, & eorum, quæ suismet oculis viderunt, historiam scripserunt.

Idem ferme dici potest de Thucidide, de Polybio, de Xenophonte apud Græcos; de Josepho apud Hebræos; de Salustio, & Tacito apud Romanos; de Divis Luca, Paulo, Matthæo apud Christianos; cetera.

544. EXPLICATIO II. *Falsum est, veteres variarum nationum historicos quum historiam præcedentium sæculorum scripserunt, nullum habuisse monumentum, auctoritatem nullam, cui eorum historia, & chronologia inniteretur.*

Civitatum tabularia, templorum acta, privatorum tabulæ, regum in regnis genealogiæ, præsidum, & judicum series in republica, quorumdam deorum pontifices in seriem descripti, lapidum, & numismatum inscriptiones, nationum annales, acta publica pacis, aut fœderis, om-

omne genus monumenta iis temporibus etiam, ut nostris, totidem erant pro scribenda historia, & chronologia monumenta.

Monumenta hæc magna ex parte jam deperdita, primorum historicorum temporibus extabant, qui ea collegerunt, perlegerunt, majori, vel minori studio consuluerunt. Non ergo eorum historia, & chronologia tantum est popularium rumorum, aut incertarum traditionum, aut factorum apocryphorum nulla ratione, aut auctoritate congestorum collectio.

545. EXPLICATIO III. *Falsum est, partium studium semper incertum, ac dubium facere synchronorum auctorum testimonium.*

Quam multos non habemus auctores synchronos, qui aperte rectitudini, & veritati devoti tum quæ sectæ, aut nationi suæ laudem, tum quæ dedecus pariunt pari æquitate referunt? Quin & inter eos, quos sectæ, nationis, partium studium in diversa trahit, permulti ne sunt, qui communem judicandi modum de notis, ac publicis rebus immutent? Exempli caussa.

I. *Nationis studium* diversa scribi fecit de celebribus pugnis Hochstetana, Ramilliensi, Taurinensi, Cæsaraugustana: in his damna, aut victoriam tunc æmularum nationum præter modum auxit, aut extenuavit.

At vero hoc nationis studium quamtumvis magnum, vetuit ne, ab omnibus plena certitudine sciri, in quatuor hisce pugnis Gallos, & eorum fœderatos cæsos fuisse; ex his quamlibet Galliæ, & ejus fœderatis duodecim, aut quindecim mille subditarum regionum quadratas leucas abstulisse, & ingentem animum Ludovici magni unicam Gallis, & Hispanis salutis anchoram fuisse, ne duo hæc regna de imminenti vitando excidio desperarent; eumque unicum fuisse, qui tam profundis vulneribus mederi posset, quique magnis, & miris conatibus

bus post tot, & tanta infortunia extremam a se, suisque ruinam averteret?

II. *Secta, & factionis studium* in diversas sententias homines traxit de celebri illo Angliæ invasore, qui arrepto Protectoris nomine regnum illud absoluto imperio occupavit.

At vero quantumvis magnum hoc sectæ, & factionis studium fuerit, vetuit ne, posteros unanimes judicare, factis id evidenter ostendentibus, Cromuelem sceleſtum hominem, & callidum fuisse, qui magna quidem præditus & rei publicæ, & militaris peritia, religione tamen nulla, homines nefariis artibus decipiens ibi ignominiose capite plecti merebatur, ubi regem suum impie morte afficere ausus fuerat?

FABULÆ, ET COMMENTA, QUÆ IN HISTORIIS LEGUNTUR.

546. OBJECTIO IX. Hominum testimonium omni ætate tot fabulosa, tot prorsus incerta, & dubia edidit, & asseruit, ut sanæ mentis homo nihil plane fidere iis possit, quæ forte hoc idem testimonium vera protulerit; quare omnia, quæ in historia leguntur, in incerto posita illi esse debent.

Exempli gratia: per plura sæcula potior hominum pars putavit, & unanimi censensione vulgavit, apud ethnicos deos, & deas plures fuisse, quæ variis formis, variis locis, atque temporibus sese videndas illis nationibus præbuerunt: solem re ipsa circa terram immotam converti: bruta animam habere & a substantia, & a motu, & a modificationibus materiæ re ipsa distinctam: in diversis corporum speciebus qualitates sensibiles esse a substantia, motu, modificationibus materiæ re ipsa distinctas, ceteraque hujusmodi. Atqui hæc omnia aut falsa, aut dubia sunt; ergo hominum testimonium ve-

ram non facit certitudinem; ergo semper dubium, & incertum esse debet.

RESPONSIO. Nemo doctrina, & scientia præditus ignorat, hominum testimonium conditionibus a nobis requisitis instructum esse certitudinis fundamentum nunquam fallax, cui propterea tuto plenam fidem adhibere possumus; hominum vero judicium, aut testimonium, quod hic nobis objicitur ut falsum, aut dubium, nihil commune habere cum illo, quod nos inconcussum certitudinis fundamentum esse contendimus.

I. Magna hominum pars pluribus sæculis putavit, & dixit, *plures deos, deasque apud ethnicos fuisse*.

At hoc ipsum testimonium apud ethnicos ipsos semper oppugnatum fuit ab innumeris testibus multo majoris auctoritatis, & gravitatis; apud ethnicas nationes siquidem docti, & sanæ mentis homines ut inanem aut allegoricarum idearum, aut fabularum congeriem habuerunt, aut omnino commentitium quidquid de ethnicorum diis, & deabus vulgabatur. Quare hoc testimonium evidenter una ex præcipuis conditionibus destitutum est, quinta scilicet, quas ad certitudinem humano testimonio tribuendam requisivimus. (517).

Præterea sexta quoque a nobis requisita conditione testimonium hoc destituitur, quæ postulat, testimonii objectum, sive rem assertam *possibilem* esse, nec repugnantem. At enimvero, impia, ac nefaria vitia, & crimina, tum absurda alia, quæ diis hisce, ac deabus fictitiis ii adscribebant, qui numina hæc existere testabantur, non ne naturæ divinæ, quam illis tribuebant, evidenter repugnant?

II. Magna hominum pars per plura sæcula putavit, & dixit, fortasse etiam per hos dies putat, & dicit, *terram in centro firmamenti immo-*

motam esse, solem vero, & stellas motu diurno circa terram immotam rotari.

At vero testimonio huic una ex præcipuis conditionibus evidenter deest, a quibus hominum testimoniis certitudinem proficisci contendimus, sexta scilicet, quæ postulat, objecti testimonium, seu rem relatam *esse plane sensibilem*, de qua facile, & tuto judicium sensuum ministerio ferri possit. Atqui solis, aut telluris motus absolutus quidpiam est, quod non nisi accuratissimis, & acutissimis observationibus vulgarem captum plane exsuperantibus definiri potest. Quare vulgare hoc de solis, vel terræ motu absoluto testimonium ferme illi, quod cæcus de coloribus ferret, est comparandum. (488 & 513).

III. Magna hominum pars per plura sæcula censuit, & dixit, per hos dies quoque fortasse censet, & dicit, *bruta anima immateriali prædita esse* omnino a materiæ substantia, motu, & figura distincta.

At modo nulla inquisitione, num Cartesius hanc sententiam oppugnas in errore ne profligando, an statuendo elaboraverit (1266); certum est, hanc præcedentis objectionis partem nihil humani testimonii certitudini officere; patet enim, si hæc brutorum anima, (sive detur, sive secus), *opinionis conjecturalis* objectum esse potest, numquam tamen humani testimonii objectum esse posse, quod semper necessario quid, aut in se sensibile esse debet, aut quod per se, & a se per sensus exhiberi possit.

Atqui quæcumque animæ brutorum natura sit, certum est, eam a se, & per se a sensibus exhiberi nequire. Quis enim unquam brutorum animam aut vidit, aut audivit, aut contrectavit? Hic quoque igitur sexta præcipua conditio deest, a qua cujuscumque humani testimonii certitudinem pendere contendimus.

IV. Idem ferme de sensibilibus corporum quali-

litatibus dici potest (489 & 509). Qualitates hæ conjecturæ, & opinionis, non vero humani testimonii objectum esse possunt; semper enim hujus objectum necessario quid ad sensus pertinens esse debet.

At enimvero sensus ne unquam extra materiam percipere potuerunt, & propria ipsius formæ *formalem dulcedinem* sacchari, *formalem amaritiem* absynthii, aliaque hujusmodi? Patet igitur hic quoque deesse sextam præcipuam conditionem ad humani testimonii certitudinem requisitam.

547. OBJECTIO X. Quænam facta historica pluribus testimoniis confirmata fuerunt, quam quæ in *historia vampyrorum* leguntur? Innumera extant de illis medicorum, chirurgorum, cujusque ordinis hominum testimonia; tamen per hos dies patet, hæc omnia commenta esse. Ergo quorumcumque testium auctoritas perfectam facti historici certitudinem facere nequit.

RESPONSIO. Quo tempore adhuc homines Romanensibus fabulis delectabantur exeunte jam sæculo superiore *vampyrorum historia* conficta fuit, quam historiæ manium, veneficorum, gnomorum, sylphorum, lemurum, aliisque hujusmodi comparare possumus; hoc solum discrimine, quod illa his magis insulsa, & absurda est.

I. In Russia itaque, aliisque borealibus regionibus opinio invaluit, cadavera quædam jamdiu sepulta a communi putrefactione immunia esse; æque in eorum loculis per menses, imo & annos rubicunda, & flexibilia perdurare.

II. Suspicio incidit, aut opinio, hanc vitæ speciem illis esse a sanguine continenter renovato, & per eorum venas fluente, quem cacodæmon a vivorum hominum, & animalium cicurum corporibus exsugeret, atque educeret; quemque subinde in horum cadaverum,

quæ

quæ ſtriges, aut vampyros appellarunt, infunderet.

III. Addiderunt, noctu præſertim hæc a cacodæmone perpetrari, & in hoc officio defunctorum conſanguineos, aut amicos ſemper præferri: hos illum arcte complecti, mortuique phantaſma illis exhibere; ab eiſque exſugendi ſanguinem vim habere, quo ita eos extenuat, ut macie conficiantur, ac tandem pereant; Huic vero infortunio occurri, ſi vampyro aut caput amputaretur, aut cor ſica confoderetur.

IV. Ut fabulæ iſti fides inveniretur, illam iis teſtibus roborare oportebat, qui quidquid abſonum hac in re erat, auctoritate, ſi fieri poſſet, obruerent; facile autem commenti hujus auctoribus fuit longam, & conſpicuam eorum ſeriem contexere, quæ eadem, qua commentum ipſum, veritate gauderet.

548. NOTA. Hæc vampyrorum hiſtoria eſt, quæ, ut patet, pars quædam eſt *hiſtoriæ manium*, ſeu hæc hiſtoria ipſa aliis coloribus exornata.

I. Nos hic non immorabimur inquirentes, num in frigidiſſimis regionibus, & inter foſſilia apta aliquatenus a corruptione præſervare *cadavera aliqua* fuerint, quæ ſerius putruerint; num in iis regionibus nonnulli fuerint, qui dolore contabuerint, & languore confecti interierint ex conjunctorum, aut amicorum interitu; quique in diris inſomniis carorum ſpectra ſe vidiſſe, aut amplexos eſſe putaverint.

Hæc omnia eveniſſe potuerunt; & ſi hæc omnia gravibus teſtimoniis comprobentur, ſemper credenda, & pro certis habenda ſunt. Hæc fortaſſe vampyrorum fabulæ cudendæ anſam dederunt, ſi tamen fabula hæc, ut aliæ nonnullæ, aliquod habet hiſtoricum fundamentum.

II. Fabula vero ipſa, *ſanguinis nempe a cacodæmone exſucti e vivorum venis, & in mortuo-*

rum venas infusi; hoc ridiculum commentum est, quod nemo prudens vidit, credidit, aut testatus est.

Quæ quum ita sint vampyrorum fabula cum historicis factis nihil habet commune; & certitudinis defectus in absurdis fabulæ huic insertis non propterea parem infert certitudinis defectum *in sensibilibus, & miris eventibus*, quæ visa, confirmata, & posteritati tradita fuerunt a prudentibus, accuratisque testibus, qui & ab omni fraude alieni erant, & se falli non sinerent. Sane miramur celebrem Genevæ civem hæc in historicam certitudinem objecisse.

III. Absurdæ huic, & ridiculæ fabellæ præcipue fidem compararit Calmetus ordinis Sancti Benedicti, qui hoc in genere credulitatis coriphæus est, „ cujus nomen, inquit recens „ quidam eruditus auctor, ab illustrium scripto„ rum albo delendum esset, si suas tantum de „ vampyris disertationes edidisset: opus sane „ passim despectum, in quo fabulæ tantum „ sunt pueris detinendis opportunæ, quas in„ cassum narrationibus, quæ falsæ repertæ sunt, „ & testibus nullius auctoritatis fulcire cona„ tur. "

MIRACULA OMNIA FORTASSE INCERTA.

549. OBJECTIO XI. Ut factum historicum apud sanas mentes fidem inveniat, ait nostræ ætatis Incredulus, *hoc constantibus observationibus omnium temporum, & omnium locorum consentire debet*; certum est enim, naturam leges habere firmas, & immutabiles, & via quadam nota procedere, a qua nunquam divertit; quodque heri ipsa fecit, hodie facit, cras faciet in iisdem temporis, & rerum circumstantiis.

At vero prodigia, & miracula Ethnicorum, Judæorum, Christianorum facta historica sunt, quæ constantibus temporum, & locorum om-

nium

nium observationibus non consentiunt; neque enim ubique, & omni tempore prodigia, & miracula fiunt; ergo prodigiis, & miraculis fides nulla adhibenda est neque tunc quidem, quum gravissimorum testium multitudine confirmarentur.

RESPONSIO. Adnotavimus jam, Pyrrhonismum historicum, ut statueretur, aut sustineretur, quasdam sibi confingere debuisse *critices regulas*, quæ rectæ rationi plane adversantur. Quam hic profert, evidenter ejusdem notæ est; quique eam somniarunt, aut admiserunt stolido aut inscio illi Siamensi regi nimium similes mihi videntur, qui mendacii, & fraudis Britannorum legatum taxavit, propterea quia rem hic narrabat, quæ regi videbatur *constantibus* temporum, & locorum omnium *observationibus* non consentire; hyeme, scilicet, in Anglia, & Scotia, flumina ita gelu aliquando concrescere, ut ipsis impune insistere elephas posset.

550. EXPLICATIO I. Quum factum historicum etsi mirum, & insolens a testibus nullo pacto rejiciendis, non suspectis, fide dignis narratur, & asseritur; quare apud sanæ mentis homines fidem non obtineat? unice, inquiunt, propterea quia *insolens*, *& mirum est*; sive quia constantibus temporum, & locorum omnium observationibus non consentit.

Futilis sane, inanis, & philosopho indigna ratio. Undenam enim constat factum omne mirum, & insolens, eventum omnem naturæ cursui, & communibus legibus non conformem in se repugnare, & nunquam accidere debere?

I. Demonstratum ne est, in visibili natura nullum Ens existere illi superius, atque imperans; nullum ens, quod libere firmas has leges, quibus natura obtemperat, condiderit, & quarum effectum pro voluntate suspendere possit? Profecto nunquam, ut evidens est.

II. Si quoque contra rerum evidentiam sup-

poneremus, in visibili natura nullum ens esse illi superius, a quo in suo cursu, suisque legibus regeretur; num propterea demonstratum esset, naturam visibilem, quæ in chimærica hac hypothesi, a se leges has adeo sapientes, & efficaces, quibus regitur, tantum haberet, nunquam illas posse suspendere, aut immutare? Hoc quoque evidens est, demonstratum non esse.

Quamobrem sive *Deum in natura esse* supponamus, sive non; nulla solida, & peremptoria ratio suppetit, qua philosophice probari, & statui possit, mira, & insolentia facta evenire non posse.

551. EXPLICATIO II. Factum insolens, quod certum asseratur, methodo maxime philosophica oppugnatur, & confutatur, quum ipsum τα ἀδύνατα re ipsa continere demonstratur; non tamen ipsum philosophice oppugnatur, & rejicitur, quum in ipso tantum τα ἀδύνατα mente conficta supponantur in chimæricis, aut fabulosis hypothesibus, quæ nec statui, nec demonstrari possint.

I. Si quis mihi narraret, Parisiis, aut Romæ esse globum cubicum, falsum hoc demonstrare possem propterea quia, hoc nullo pacto re ipsa esse potest; principium enim metaphysicum adest certum, atque inconcussum, intima scilicet rei ipsius exigentia, & evidentia (417), a qua plane facti hujus falsitas, & fabula evincitur.

II. Si quis mihi narraret, Romæ, aut Parisiis statuam esse, quæ sonos articulatos, & oracula reddit; hominem esse, qui intimas aliorum cogitationes videt; brutum, quod Italice, aut Gallice loquitur; marmoreum globum solidum, qui aquæ non immergitur; vitreum globum, qui in aera attollitur contra propriam gravitatem, aliaque hujusmodi; possem quidem judicium de his omnibus suspendere, eaque primum

in

in dubitationem revocare, donec, si opus sit, certior factus sim.

At ex rerum ipsarum natura facta hæc refutare non possem, nec falsa ostendere; nullum enim mihi suppetit certum, & inconcussum metaphysicum principium, a quo evidenter sequatur, facta hæc, quantumvis insolita, & miranda videantur, fabulosa, & inania esse.

552. EXPLICATIO III. Facti alicujus insolentia, mirabilitas, prodigii species, cujus ego spectator, & testis sim, *sensuum, ac sensationum mearum intimam naturam* non immutat; quare ergo, & qua ratione certitudinem a sensibus, ac sensationibus meis exortam immutaret?

I. Si clara die æstiva quum Sequana aquis est evidenter fluidis, distincte, & indubitate ex regii horti aggere hominem viderem aquis inambulantem, quin illis mergeretur; philosophum ne agerem, si mihi ipse dicerem: quod video, & hisce oculis ego plane video, insolens, & mirabile est; *ergo hoc re ipsa non est?*

Nonne magis philosophum e contra agerem, si mihi dicerem: quod hisce oculis plane video, etsi insolens, & mirum sit, tamen re ipsa est; *ejus enim spectator, & testis sum*; nec nisi vero miraculo, facti, quod re ipsa non sit, spectator, & testis esse possum.

Quemadmodum omnino rectam rationem oppugnarem si rem, cujus spectator, & testis sum, in dubium revocarem ideo unice, quia illa insolens, & mira est; ita quoque alii rectæ rationi opponerentur, qui rem, cujus ego spectator, & testis sim, ideo unice in dubium revocarent, quia illa insolens, & mira est.

II. *Factum insolens & miraculosum* æque sensuum testimonio subjacet, ac vulgare, & commune. Non illud magis acutam oculorum aciem postulat, ut videatur, neque perfectiores aures, ut audiatur, neque magis exquisitum

tactus organum, ut sentiatur, & contrectetur.

Exempli causa. Ut Jesus, aut Lazarus e mortuis in vitam reduces viderentur, acutioribusne oculis, aut auribus opus erat, quam quæ ut viderentur, aut audirentur, requirebantur antequam obirent?

Adhuc. Hodie Parisiis solem a finitore oriri Asiam versus video, ad finitorem occidere Americam versus. Si miraculo primæ classis sol cursus sui (sive hic re ipsa fiat, sive fieri appareat tantum) naturalem ordinem immutaret, aliis ne oculis indigerem, ut plena, perfectaque certitudine illum viderem ad Americam oriri, ad Asiam occidere?

Homines itaque de re insolita, & miraculosa æque certi esse potuerunt, ac de vulgari, & usitata; ergo hominum testimonium *eamdem auctoritatem* habet in factis utriusque speciei. Ergo nihil certitudinis facto historico adimunt insolentia, & mirabilitas, si quando hoc a testibus omni exceptione majoribus confirmetur.

III. Quin imo insolentia, & mirabilitas *non modo facti historici certitudini officere, verum illam potius augere videtur.*

In his enim, quæ natura ipsa admirationem, & attentionem excitant, primus animi motus in iis, qui spectatores, & testes sunt, est diffidentia, & dubitatio; alter subsequens est accurata, & sedula rei ipsius, & ad unctorum omnium discussio; tertius est aut assensus evidentia cogente præstitus, si factum indubitanter verum, & miraculosum dignoscitur, aut obfirmatum non credendi propositum, si factum plena perfectaque certitudine non gaudeat.

Quare quo factum historicum insolentius, & mirabilius est, eo majorem certitudinem adipiscitur, magisque confirmatur magis accurata, ac diligenti discussione, qua perpensum fuit, na-

natura ipsa hoc suadente, ab iis ipsis, qui illud ut spectatores, ac testes referunt, atque confirmant.

Quæ quum ita sint, factum insolitum, & mirabile si a certis, & nullam exceptionem admittentibus testibus referatur, & confirmetur, nihilo minorem certitudinem habet, neque minus credi dignum est a prudentibus, quam si factum quodpiam vulgare esset. *Regula* igitur *critices*, quam hic impugnamus, & qua in dubitationem, ac suspicionem quidam adducere vellent omnia facta insolita, & miraculosa, evidenter falsa est, & rectæ rationi opposita.

IV. Celebris Lockius, qui quam potuit arctissimis finibus, imo iis etiam, quibus non potest, certitudinis concludere imperium studuit, valde abest ab hac absurda, & præpostera critices regula amplectenda. „ Etsi communis experientia, inquit, & consueta rerum ratio jure in „ hominum mentes plurimum influant, ut eos „ ad assensum præstandum, vel recusandum rei „ alicui propositæ adducant; aliquando tamen „ ea sunt, in quibus quod insolens, & mirum „ est assensum neutiquam infirmat, quem sincero testimonio, cui innititur, præstare debemus.

„ Quum enim *supernaturales* hujusmodi *eventus* iis finibus conformes sunt, quos sibi pro„ posuit, qui naturæ cursum immutare potest, „ dato tempore, datisque circumstantiis; eo „ magis fidem a nobis obtinere merentur, quo „ magis *communes observationes* exsuperant, aut „ his sunt oppositi.

„ Hujusmodi omnino *miracula* sunt; quæ „ quum semel apte confirmata sint, non solum „ ipsa sibi fidem acquirunt, sed & aliis veritatibus, quæ hujusmodi confirmatione indigent „.

553. COROLLARIUM. Ex hactenus dictis

de

de factis insolitis, & miraculosis consequitur, *Miraculum quum testimoniis innititur, quæ omnibus conditionibus a nobis requisitis, prædita sint* (517), *factum esse æque certum, atque indubitatum, ac esse possit quodvis aliud historia prophana æque gravibus testimoniis innixum*; ac propterea hoc miraculum ea certitudine certum esse, quæ nullam menti dubitationem relinquat, atque in convincendo, & suadendo ipsi metaphysicæ certitudini nequaquam cedat.

554. OBJECTIO XII. Si miraculis, & prodigiis in aliqua natione aut religione perpetratis credimus, quare in alia quoque natione, aut religione perpetratis non credamus? Si omnibus miraculis indiscriminatim fides adhibetur, quæ in sacris libris, in veteri scilicet, & novo testamento leguntur; quare non iis omnibus quoque indiscriminatim credamus, quæ in historia prophana, in ecclesiastica, & in sanctorum actis referuntur?

RESPONSIO. Prodigia, & miracula, quæ variarum nationum, & religionum historiæ referunt, *facta historica sunt supernaturalis ordinis*, quæ æque ac illa ordinis naturalis vera, aut falsa, & fabulosa esse possunt: quæque censeri merentur aut certa, aut conficta, aut incerta, & dubia pro testimoniorum diversitate, quibus confirmantur, aut oppugnantur. Hæc testimonia propterea ad rectæ, & sapientis critices trutinam sedulo expendi debent.

I. Quæcumque natio, aut religio sit, in qua *factum insolitum, & miraculosum* evenerit, huic fides adhibenda est, illudque certum habendum, si a testimoniis omni ex parte fide dignis referatur, & confirmetur, quæ nec rejici jure, nec in falsi suspicionem incidere possint, habeantque sex illas sæpius a nobis memoratas conditiones (517, & 518).

II. Certa, & indubitata habenda sunt *facta em-*

omnia insolita, & miraculosa, quæ in veteri, novoque testamento descripta sunt; primo quia hæc omnia passim confirmata sunt testimoniis, quæ omnino sex illis præcipuis conditionibus convestita sunt, quæ plenam, perfectamque factis historicis faciunt certitudinem; deinde quia vetus, novumque testamentum volumina sunt, quæ indubitate scimus, ab increato omnis veritatis fonte inspirata fuisse, ut in nostra philosophia religionis satis ostendimus; a quo fonte nihil falsum, aut dubium emanare potest.

III. Non omnino temere quibusque factis insolitis, & miraculosis credendum est, quæ aut *in ecclesiastica historia*, aut in *pluribus narratiunculis*, aut in *variis sanctorum actis* passim leguntur; hæc enim etsi evenisse potuerint, etsi *ordini illi supernaturali rerum* conformia sint, quo Dei providentia religionem regit; non propterea satis notoria sunt, nec satis sensibilia, nec satis confirmata, ut plenam fidem mereantur.

Quare tum in historia Ecclesiastica, tum in narratiunculis, tum in sanctorum actis facta ea insolita, & miraculosa *certa* habenda sunt, quæ testimoniis omnino convincentibus, & suadentibus confirmantur; ea *verosimilia*, quæ testimoniis tantæ auctoritatis confirmantur, ut magnam veritatis speciem præseferant, non tamen tantæ, ut plenam faciant certitudinem; ea *dubia*, quæ testimoniis tantum æquivocis, apocryphis, suspectis confirmantur; ea tandem *fabulosa*, quæ nullum sapientissimo naturæ, & religionis auctore dignum finem habere videntur, & quorum veritas nulla solida probatione confirmatur.

IV. Multo minus vero quibusdam factis insolitis, & miraculosis fides adhibenda est, quæ ethnicis nonnullæ prophanæ historiæ attribuunt, cujusmodi Titii Livii historia est; hæc enim a nullo synchrono auctore, qui illorum testis fuerit,

rit, confirmantur, nullo veteri monumento, quod certam illorum memoriam servaverit; præterea facta hæc nullum divino naturæ, & religionis auctore dignum finem habere videntur, qui sane nunquam ethnicorum deliria, insaniam, & vitia miraculis voluit confirmare.

555. NOTA I. Veteres historici nonnulli, ut & recentiores aliqui *nimia credulitate* peccaverunt, historiis suis *fabulas quasdam populares*, nulla crisi, nulloque delectu inserentes, quas recti judicii trutina nunquam probasset, quum earum objectum nulla unquam auctoritate fide digna probatum, aut confirmatum fuerit.

I. Inter hos est Titus Livius, qui nobis serio narrat, ancilia quædam de cælo a Jove, aut Marte delata fuisse, ut perpetuum cælestis tutelæ monumentum Romanis essent; Romæ Deorum ministrum scilicem, qua causa ipse noverit, magno in populi concilio novacula bisecasse; vestalem cingulo navem e sicco in Tiberim traxisse; Hannibalem magna aceti copia ingentem rupem in alpibus suo exercitui impervium dissolvisse; aliaque hujusmodi.

II. Inter hos est Philostratus, quum obscuras, atque absurdas fabulas nobis narrat, quas suo illi thaumaturgo Apollonio Tyanæo tribuit.

III. Inter hos & Maimburgus quum quibusdam auctoritatibus confisus, quibus sana crisis nullam habuisset fidem, fabulas quasdam narrat pueris tantum occupandis opportunas.

IV. Inter hos quoque & illustris Thuanus, quum astrologiæ judiciariæ deliriis imbutus de quibusdam *horoscopis* narrat *eventu confirmatis* Hos inter hominum insanias relegasset, si priusquam ita temere probaret, sanæ philosophiæ trutina expendisset primo, num hæ prædictiones post eventum factæ fuerint; deinde, etsi antea factæ fuerint, num casu, & fortuito cum eventu consenserint.

556.

556. NOTA II. Quo tempore *astrologia judiciaria insania* vigebat, sæpius aliquis sibi viginti, aut triginta horoscopos diversos fieri curabat (*).

Horum unus edicebat, illum felicem, & in lectulo placide extremum diem obiturum; alter, illum miserum fore, & in pugna vulneribus confossum periturum. Si uni ex his horoscopis staret, in juventute, si alteri, in senectute, si adhuc alteri, virili ætate mori debebat. Cætera.

Quare fieri ferme nequibat, quin aliquis ex his horoscopis eventui concordaret. Qui vero veritati conformis evenerat, ille verus horoscopus habebatur, quasi ille ad veras artis regulas institutus esset.

SOM-

(*) *ETYMOLOGIA. Horoscopus, hora natalis in astris inspectio: ab* ὥρα, hora, *&* σκοπέω, video. *Inspectio hac* insanam *in fatuis mentibus* persuasionem *supponit, qua in his occupantur; astra scilicet sive opaca sint, sive lucida, diversa eorum positione, aut aspectu quo tempore quis nascitur, physice influere in futuros pueri eventus, & omnia ad illum spectantia definire, sive de virtute, sive de ingenio, de indole, de moribus, de felicitate, de infortuniis sermo sit. Porro ridicula hac persuasio nimium diu hominum mentes invasit, & deturpavit; nec nisi hoc saculo ineunte prorsus ars hac contemptui haberi cœpit. Hujus nos inanitatem satis ostendimus in nostra entium sensibilium theoria.* (*Phys.* 1203, & 1450).

SOMNIA, ET FACTA MIRABILIA HISTORIÆ PROPHANÆ.

557. OBJECTIO XIII. Si Moysi fidem adhibere debeo narranti, cibum miraculosum quadraginta continenter annis e cælo pluisse, ut Hebræorum gens in Arabico deserto aleretur, quare Tito Livio non credam narranti, miraculosa ancilia Romanis e cælo venisse, quibus eorum natio tuta fieret? Si Divo Lucæ credendum est testanti, angelum beneficum Divo Petro in Hierosolymitano carcere apparuisse, ibi ejus vincula dirupisse, & liberum eum emisisse; quare Plutarcho quoque non credam narranti, malum Bruti genium Heroi huic philosopho apparuisse ad ejus tentorii ostium horrendi phantasmatis specie ante Philippicam pugnam, illique ad Philipporum mœnia suorum cædem prædixisse; aliaque hujusmodi.

RESPONSIO. Adnotavimus jam, sacris literis *titulos esse, ut credantur*, quibus prophanæ historiæ non gaudent; solidæ ergo rationes esse possunt, ut primis in omnibus credamus, quin solidæ rationes sint, ut & alteris fidem adhibeamus. Tituli hi ad obtinendam fidem, qui sacrorum librorum peculiares, & exclusive proprii sunt, habentur in *divina inspiratione*, quæ semper eorum scriptoribus adstitit; cujus naturam, & fundamenta in universa philosophia nostra religionis fusius explicavimus.

At vero, titulo hoc etiam seposito, & solam philosophicæ critices lucem sequens, ajo, Moysi, & Lucæ credendum, quin Tito Livio, & Plutarcho quoque credendum sit, in iis, quæ ad quatuor superius allata historica facta pertinent.

558. EXPLICATIO I. Facile est ostendere quare Moysi credendum sit, quin Tito Livio quo-

quoque credatur in iis, quæ ad prima duo supra memorata historica pertinent.

I. Patet primo, aut nulli omnino historico credendum, aut Moysi credendum esse narranti, Hebræorum gentem in Arabico deserto quadraginta continenter annis cibo miraculoso antea, & postea omnibus ignoto enutritam fuisse.

Moysi in his credendum primo, quia Moyses est auctor synchronus factum narrans optime sensibile, apteque sensibus percipiendum, cujus ipse spectator, & testis fuit non brevi aliquo tempore, sed annis continenter quadraginta: deinde quia historia, in qua Moyses factum hoc notorium narrat, & cujus, ut ipse, universa Hebræorum gens spectatrix, & testis fuit, semper apud gentem hanc servata fuit, & ab universa hac ipsa gente fidelis, & verax habita fuit; tertio quia in hujus gentis moribus principia sunt, & religiosæ consuetudines passim receptæ, quæ sunt veluti monumenta perpetua facti hujus historici, cujus certitudini nihil obest esse miraculosum (552): quarto quia factum hoc miraculosum non modo quidquam non habet consonum ideis, quas recta ratio nobis sufficit, Dei, naturæ, religionis, at hisce ideis apprime consentit, juxta quas Deus semper esse debet ille Deus, sapiens, justus, potens, beneficus, naturæ dominus, & religionis custos.

II. Patet deinde, nos easdem rationes non habere ut Tito Livio credamus narranti, ancilia de cælo delapsa, ut Romanos tuerentur: primo quia Titus Livius facti hujus spectator, & testis non fuit, neque hoc ab ullo didicisse potuit, qui ejus spectator, & testis fuerit: deinde quia nullum Titi Livii ætate monumentum extabat ullo modo eventus hujus veritati connexum: tertio quia hæc historiæ pars etiam a Romanis ipsis fabula popularis habita fuit nulla fide digna, & a mythologiæ deliriis exorta:

ta : quarto quia factum hoc non modo ideis non consentit, quas recta ratio nobis suggerit, Dei naturæ, & religionis auctoris, imo ideis his adversatur; si enim has attendamus, nobis probant, Deum naturæ dominum, & religionis custodem nunquam falsam, & absurdam religionem miraculis confirmare potuisse, cujusmodi erat illa idolorum cultrix, ad quam ancilia prodigiosa descendisse fabulabantur.

559. NOTA. Visionibus, aut apparitionibus credendum non est, nisi si quando illas *signum aliquod miraculosum omnino certum*, *& indubitatum* comitetur, quod ostendat eas a cælo esse, & objectum extra phantasiam re ipsa habere; passim enim visiones hæ, & apparitiones vana tantum phantasmata sunt, & inanes rerum imagines quæ natura ipsa in anima creantur tum in somno, tum etiam in vigilia, quin objectum aliquod re ipsa extra animam earum causa, aut occasio sit (164).

I. Homo, aut fœmina alte dormientes in somniis spectra vident, monstra, omne genus phantasmata. Harum visionum objectum passim est quidquid antea eorum phantasiam perculit: angelus, dæmon, lemur, amicus, hostis, quidpiam quod re ipsa existat, aut imaginatione tantum effingatur, cujus putabunt re ipsa aspectum vidisse, aut vocem audivisse.

II. Idem homo, aut fœmina eadem febri graviter laborantes etiam vigiles eadem spectra vident; neque visiones hæ illis, quas in somniis habent, veriores sunt.

III. Generatim cujus phantasia fervet, & exæstuat vel aliqua gravi mentis contentione, vel violento aliquo animæ affectu, aut aliquo organorum, & humorum vitio, aut alia quavis naturali causa, visiones facile habebit; eoque magis visionibus hisce veris putandis erit dispositus, quo magis ejus imaginandi facultas altis impressionibus admittendis erit accommodata, quo-

quove minus erudito, & philosophia exculto ingenio fuerit.

Orestes diris parricidii sui stimulis agitatus fere semper se furiis circumseptum videt, quæ illi minas, & verbera intentant, & secum eum ad infernos lacus abripere parant; atque in hac animi perturbatione, non satis habet auxilii neque a philosophia, neque a ratione, ut videat spectra hæc tantum in ejus phantasia existere.

Paschalis tetra, ac turbida, tristique phantasia percitus semper sibi proxime barathrum apertum videt; totaque sua philosophia, ac ratione indiget, ne timore concidat a perpetuo hujus molesti, dirique phantasmatis aspectu.

560. EXPLICATIO II. Brutus, & Divus Petrus visionem, seu apparitionem habent ambo, narrante historia. Quæstio hic est, cur Bruti visio tantum *vana illusio* habenda sit, Petri vero visio *vera* censenda, non vana, & illusoria.

I. Patet primo, *visionem, aut apparitionem, quam narrat Plutarchus, nihil habere, quo a simplici somnio distinguatur.* En quomodo hanc narrat ex Plutarcho, aliisque veteribus historicis Laurentius Echardus. „ Genius ille, de „ quo tot, tantaque scripta sunt, in castris „ prope Sardim Bruto apparuit. Romanus hic „ diei partem somno, noctem vero negotiis „ concedere consueverat, quo majori quiete il„ lis operam daret. Dum castrorum silentium, „ & summa circa Imperatoris tentorium quies „ vel minimo rumori audiendo erat maxime „ opportuna, insolitum Brutus strepitum audiit, „ & illico tentorii ostium apertum fuit. Con„ versus Brutus spectrum videt procero supra „ humanum habitu, quod se coram statuit: „ Deus ne tu es, an homo, impavido animo „ inquit Brutus, quidve petis? Ego, illud „ ait, *malus tuus genius* sum: me tu in ca„

„ stris

„ ftris ad Philippos videbis: ita fit, retulit
„ Brutus, te illic iterum videbo. His dictis
„ spectrum evanuit. Veritatis noscendæ cupi-
„ ditas Brutum impulit, ut servos advocaret,
„ & percontaretur, num quid ex iis, quæ ip-
„ sum perculerant, & illi vidissent, aut au-
„ dissent: negaverunt illi; quo vehementius
„ obstupuit. Postera die hæc Cassio narravit,
„ qui omnia ut nocturna phantasmata, & il-
„ lusiones contempsit, eos irridens, qui ma-
„ nibus crederent, eosque & loqui, & in
„ homines aliquid posse putarent; sane manes
„ esse, addidit Cassius, vehementer cuperem;
„ neque enim dubito, ne causæ nostræ æqui-
„ tati fausti illi futuri essent. Brutus amici
„ verbis auscultans, jam tunc & ipse spectri
„ visionem *somnii illusionem* fuisse arbitratus
„ est. Paulo post in Thraciam, inde Philippos
„ profecti sunt, quæ urbs inter provinciam
„ hanc, & Macedoniam sita est, ibique Octa-
„ vium, & Antonium invenerunt, qui ad hanc
„ urbem castra posuerant „.

Marcus Brutus Romanæ libertatis defensor acerrimus cum Cassio Romanis illis legionibus, quæ pro hac jam jam interitura libertate arma cœperant, imperabant. Adversæ parti præerant vilis, & crudelis Octavius, & strenuus Marcus Antonius in re militari Cæsaris discipulus, & æmulus. Quid ultra requiras, ut vivida, & fervida Bruti mens vehementius exæstuet? Quum res ita sese haberent, somniat Brutus, & malum suum genium videt se Philippis minitantem, ubi Octavius, & Antonius castra locaverant. Visio ista quid ne a somnio diversum, vera ne visio censenda est? nequaquam sane; nullum enim post, se *vera visionis* vestigium reliquit; neque qui cum Bruto aliquid vidisse, aut audivisse debuissent, se quidpiam vidisse, aut audivisse fatentur: ille, cui Brutus retulit, inane somnium hoc habet;

Bru-

Brutus ipse Cassii verbis persuasus non amplius hanc veram visionem putat.

At, fortasse inquies, eventus rem probare videtur, aut saltem hoc aliquid somnio majus fuisse. At vero eventus iste antea prævisus erat, & expectabatur; propterea non magis *visionis veritatem* probat, quam si quis iniqua causa caderet, somnium, aut phantasma, quod ante diem sententiæ latæ dormiens vidisset, veram visionem fuisse aversus rei eventus probaret.

II. Patet deinde, *visionem, seu apparitionem, de qua Divus Lucas, nullo pacto simplici somnio, aut animæ illusioni similem esse*. In prima persecutione, quam Ecclesia recens nata pertulit, impius Herodes Jacobum Apostolum capite plectit; videns autem se barbarica tyrannide Judæis improbis, & seditiosis gratificari, etiam Apostolum Petrum in carcerem detrudi jubet, secum statuens & illum morti tradere, quo perfidis, iniquisque Judæis gratior fieret.

Publico itaque carceri Petrus includitur: bonis catenis eo in ergastulo vincitur: a duobus militibus diu, noctuque custoditur. Plurium militum custodia carceris januæ invigilat, ne detentus evadere possit. Dum hæc ita se habent angelus ingenti luce circumfusus Petro dormienti apparet, illi latus percutit, illum e somno excutit, catenas disrumpit, illi carceris januas aperit, & miraculo illum Ecclesiæ regendæ restituit, quæ ejus captivitate in maximo dolore, metuque versabatur.

Hæc Lucæ narratio est, auctoris synchroni, qui *hæc ad unum omnia* & a Petro ipso, & ab iis Jesu Christi discipulis didicerat, qui unanimi oratione a Deo opem petebant, ut Petrus liberaretur, eo ipso tempore, quo illis miraculo redditus fuit.

An

An ne *angelus* hic a Petro *visus* in carcere Hierosolymitano purum somnium haberi poterit? non sane; *facta* enim *evidenter miraculosa* visum hoc comitantur, quæ certa veritatis relinquunt vestigia, quæque cum puro somnio nihil commune habere possunt; hujusmodi sunt ferrea vincula perfracta miraculo, porta ferrea miraculo aperta; & objectum idem, angelus scilicet, quod apostolo dormienti adstitit, ipsi iterum *vigilanti* sese videndum præbet toto eo tempore, quo ejus ministerio indiget, post soluta vincula, ut vestes suas capiat, ut caligas induat, ut duplicem militum custodiam, qua carcer interius, exteriusque servabatur, prætergredi possit, & ut integram viam excurrat, qua confecta angelus evanuit; tunc enim ejus ministerium expletum fuerat, & apostolus jam in tuto erat. *Act.* 12.

FIDES SOMNIIS, AUT PHANTASMATIS HABITA,

561. OBSERVATIO. Antiquis temporibus a populo, imo & a sapientibus nimis *somniis*, *& phantasmatibus* fides habebatur; hæc scilicet ut futurorum eventuum nuncia nulla ratione putabant.

Duobus superioribus sæculis hac super re omnia immutata sunt; neque somniis jam fidem adhibent, nisi pauci admodum, qui nulla sanæ philosophiæ luce illustrati sunt.

Nos docet physiologia, *somnia, & phantasmata nihil passim esse, nisi naturales effectus.* Sunt hæc tantum ideæ, & sensationes, quæ natura ipsa in anima enascuntur, dum dormimus, eo ipso physico machinamento, quo in vigilia excitantur.

562. EXPLICATIO I. Quæcumque admittatur hypothesis *de physica idearum, & sensatio-*

tionum causa, certum est, earum existentiam a quibusdam motibus, & tremoribus pendere fibrarum, aut organorum cerebri, in quibus est animæ sedes (463, & 477).

I. Si ergo hoc, vel illo motu organa hæc cieantur, juxta generales naturæ leges hæc, vel illa idea in anima excitari debet, sive ipsa vigilet, sive dormiat. (1253, & 1255).

II. Si ergo hæc cerebri organa in somno eadem agitatione, & *eadem vibratione* concutiantur, quam in vigilia pertulerant; anima in somno ipso easdem ideas habebit, seu sensationes, quas in vigilia; & hæc jam *somnia*, aut phantasmata sunt.

III. Si ergo organa cerebri *ordinatas*, & *continuatas vibrationes* experientur; anima somnia, & phantasmata habebit, quæ quid regulare, & ordinatum præseferent.

IV. Si ergo hæc cerebri organa *irregulares vibrationes* experiantur, quæ nihil ordinatum, aut connexum habeant, anima somnia, & phantasmata habebit, ut passim esse solent, in quibus nec caput, nec pedes, ut vulgo dicitur, neque rationis vestigium ullum invenies.

Exempli gratia: militi gravi somno sopito fibræ cerebri, in quibus animæ sedes est, naturali spirituum animalium circulatione satis exacte, & ordinate ita agitentur, ut eo die, quo triginta, aut quadraginta ante annos in Fontanetana pugna, in qua & ipse pugnavit, agitatæ, & concussæ fuerunt; jam miles hic somnians *exactam*, & *ordinatam* eorum *imaginem* habebit, quorum ipse in celebri illo prælio testis fuit.

Eidem militi alte dormienti fibrarum pars, ubi sedes animæ est, spirituum animalium occursu ita concitentur, ut in Fontanetano prælio concitatæ fuerunt; alia vero earum pars ita concutiantur, ut ante diem pugnæ in festivo tripudio fuerunt concitatæ. Jam miles hic

somnians *idearum*, *&* *sensationum discordium congeriem* experietur, quæ quid informe conficient pugna, choreisque permixtum.

563. EXPLICATIO II. Si imagines regulares, & ordinatæ, quæ in anima vigili exoriuntur, futura non nunciant; *quare imagines ut plurimum perturbata*, *&* *informes*, *nullo inter se nexu*, *qua omnino simili physico machinamento in anima dormiente formantur*, *futura nunciabunt?* Nonne ista suspicari est manifeste ratione abuti?

Nos docet historia, fortasse inquient, somnia habita fuisse, quorum objectum sæpius re ipsa verum fuit.

At, dato etiam hoc re ipsa accidisse, num propterea erunt somnia futurorum nuncia? vel ipsa simplex ratio nobis indicat, non ita esse; patet enim, imagines sive ordinatæ sint, sive perturbatæ quas per somnium, & noctu habemus nihil magis cum futuris connexæ esse posse, quam rerum imagines, quas interdiu, & vigiles habemus; ac, si quando nocturnæ imagines cum futuris consentiunt, id tantum fortuito contingere potest, nulla inter hæc vera connexione.

564. EXPLICATIO III. Qua igitur ratione contingit, *ut somnia*, *&* *phantasmata aliquando futuris*, *qua eorum objectum sunt*, *conformia sint?* Unice casu; & eo prorsus pacto, quo contingit, auctorem ephemeridum Basilæensium aut Leodiensium; dum serenum, aut pluvium cælum per singulos anni sequentis dies annunciat, aliquando verum prædicere, quid dicat nescium. Facile nobis esset sexcenta afferre exempla, in quibus ex somniis, & nocturnis phantasmatis aliquod necessario, at cæco modo, & fortuito, eventui futuro convenire debet. Unicum tantum afferemus.

I. Quum publica nuncia referunt, duos exercitus sibi occurrere, & prælium certo sequutu-

turum; *quinquaginta mille matres* sunt, quæ de filiorum suorum sorte in maxima sollicitudine versantur.

Inter has quinquaginta mille matres ita sollicitas quadraginta quinque mille sunt, quæ placide dormiunt, nec filios somniant, qui pugnæ sortem faustam, aut infaustam subibunt, quin sors hæc somnio ullo, aut phantasmate nuncietur; reliquæ *quinque mille* in diris, ac tetris insomniis horrore perculsæ filios vident aut mortuos jam, aut morientes vulneribus confossos, sanguine conspersos, & equorum pedibus proculcatos.

II. Inter has quinque mille matres, quarum quælibet filios suos mortuos, aut morientes in somniis vidit, quatuor mille, & quingentæ sunt, quibus post pugnam nunciatur, filios illos, de quibus adeo sollicitæ, & anxiæ erant, incolumes esse, nullo accepto vulnere, quæque hoc nuncio lætæ, ac securæ de somnio non amplius cogitant, neque amplius somniantes filium aut mortuum, aut morientem vidisse meminerunt.

Aliæ quingentæ sunt, quibus nunciatur, filium in prælio aut occidisse, aut vulneratum fuisse; quæque dolore confectæ, ac percitæ familiares, & proximos, ac proximas convocantes lamentabili voce narrant, infortunium illis in somnio annunciatum fuisse, somniumque accurate iterum narrant, cui mente fervida plura adjiciunt, quæ somnium re ipsa nunquam comitata sunt, & quæ rei eventus tantum in matris perturbata mente exoriri facit.

Quid plura desideres, ut in populo semper parum philosopho somniis fides augeatur? at vero quid futilius, quid inanius, quid a recta ratione magis alienum, hoc fidei somniis adhibendæ fundamento?

565. NOTA I. Demonstratum ne est, addent fortasse, fieri non posse, ut *somnia futura nun-*

cient? Spiritus Dei, qui toties in lege veteri Patriarchis & Prophetis in mysticis somniis futura nunciavit, non ne iis adhuc uti poterit, ut homines alloquatur, illisque abdita, & futura revelet? Quare ergo fides somniis habita generatim irrideatur?

Non sane arduum est hujus ratiocinii vim justa lance pensitare; hoc siquidem, si recte perpendatur, nullo pacto somniis, aut phantasmatis fidem habendam probat.

I. Spiritus Dei, ut olim, ita modo homines alloqui, eisque utiles veritates *in mysticis somniis* revelare potest, quæ, si libet, aut appariationes, aut revelationes supernaturales erunt.

At in ipsis religionis principiis ne somniis quidem, quæ supernaturalia, & divina fuerint credendum est, nisi *signo* aliquo *miraculoso* munita, & confirmata fuerint, eoque plane sensibili, ac certo, quo evidenter innotescat, somnia hæc a Deo indubitate provenire, nihilque cum pure naturalibus somniis commune habere. (164).

Spiritus Dei quo magis illi libuerit modo, homines alloquendi plenum jus habet. At quocumque modo Dei spiritus loquatur, & se manifestum faciat, sibi fidem adhiberi non exigit, neque exigere potest, nisi quum evidenter certum nobis fit, eum esse, qui loquatur.

Quæ quum ita sint, undenam constabit, somnium supernaturaliter a Deo esse, non a naturali aliqua animæ illusione; nisi *signum* aliquod indubitate *miraculosum* somnium comitetur, quod illi supernaturalem, ac divinam notam imprimat, illudque e communi naturalium somniorum ordine educat, quæ non nisi inanes animæ illusiones sunt?

566. NOTA II. Brutus somnians suum malum genium videt; Petrus angelum custodem videt (560). Primus somnium suum ut effe-

ctum

ctum pure naturalem, ut *vanam animæ illusionem* habere debet; nullum enim sui miraculosum vestigium somnium hoc relinquit, neque a vulgaribus somniis diversum est. Alter somnium suum ut *quid supernaturale, & divinum* habere debet; hoc enim somnium miraculosa sui vestigia relinquit, quæ evidenter nihil vulgaribus, & pure naturalibus somniis commune habere possunt.

I. Si usitatus rerum ordo, & communes naturæ leges attendantur; anima noctu, & per somnum iisdem objectis afficitur, quibus prius interdiu, & vigilans affecta fuerat. *Noctu persæpe recursant, quæ sunt visa diu.*

II. At quum natura ipsa *imagines hæ nocturnæ* in anima efformentur, non nisi naturales effectus in anima, aut extra animam a se producere possunt.

Si in anima, aut extra animam non nisi *naturalia* existentiæ suæ *vestigia* relinquunt; patet nihil eas habere, quo a simplicium somniorum ordine educantur, quæ nihil significant, nec ulla consideratione digna sunt.

Si extra animam *miraculosa* sui *vestigia* relinquunt, aut monumenta naturæ vires evidenter excedentia, patet, eas esse supernaturales aut apparitiones, aut revelationes, quarum causa, & origo esse nequit, nisi supernaturalis Divini spiritus actio; spiritus illius, inquam, increati, & creatoris, cujus essentia ipsa lux, & veritas est.

MIRACULA, PHÆNOMENA FORTASSE ἀδυνατα.

567. OBJECTIO XIV. Miraculis credere est *factis supernaturalibus* credere, quæ & in se ipsis repugnant, & in causa ipsis attributa; ut facile probare est: *Miraculum*, ex ejus definitione, est legum naturæ generalium, & constantium interruptio; atqui hæc interruptio in ipsis sanc theologiæ principiis haberi nequit, & chimærica est; evidens enim est, naturæ auctorem, qui primitus & præsentem naturæ ordinem, & leges statuit, neque hunc ordinem, neque has leges vel momento temporis immutare posse, quin finem, & voluntatem mutet; quod incostantem, & natura mutabilem illum indicaret: hoc vero summi Dei naturæ evidenter repugnat, omni sana philosophia, ac theologia ita fatente. Miracula ergo repugnant; neque enim a se aut a causa illi assignata fieri possunt. Numquam ergo vera miracula in natura extiterunt; ergo fides miraculis habita est rationi, & philosophiæ opposita.

RESPONSIO. Miraculis credere est *factis supernaturalibus* credere, quæ in se non magis repugnant, ac facta pure naturalia repugnent; & quorum existentia asseri, & confirmari potest sensuum, & hominum testimonio non secus, ac pure naturalium factorum existentia, ut satis, superque ostendimus (552). Quare miraculis fides habita rectæ philosophiæ opposita videri nequit nisi mentibus, quæ minime philosophicas ideas sibi confixerunt.

Quæ hic miraculis objiciuntur Dei immutabilitati innixa, a quo tantum fieri possunt, falsa sunt, absona, inania; supponunt enim, generalis alicujus naturæ legis accidentalem interruptionem in Deo incostantiam, & finis, ac vo-

voluntatis mutationem inferre. At vero evidens est, nihil tale ab hac interruptione in Deo consequi.

I. Naturæ auctor in æternis, & æque immutabilibus, ac ipse sit, suis finibus simul decrevit, & statuit, ante res, & tempora, libero, & immutabili voluntatis suæ actu & *communem, ac generalem naturæ ordinem*, & *peculiarem hujus ordinis interruptionem* in datis quibusdam rerum, & temporum conditionibus.

Exempli gratia: æternum statuit, atque decrevit, terrestrem globum uniformiter circa centrum, & axem suum rotantem horis viginti, & quatuor, quæ dies unus sunt, successive diversas suas partes vivificæ solis luci exponere; hanc vero diurnam telluris circa axem suum, & centrum rotationem horis ferme viginti & quatuor sisti in datis temporis, & rerum conditionibus ad preces optimi servi sui Josue gentis sibi præ cæteris caræ defensoris, & ultoris.

II. Voluntas, quæ *generalem, & communem ordinem* in diurna telluris revolutione decrevit, & voluntas, quæ *peculiarem* hujus diurnæ *revolutionis suspensionem* decrevit, quæ ambæ in Deo ante omnia tempora æternum extiterunt, proprium ambæ dato tempore effectum obtinent. Quare nulla ex his in Deo inconstantia, aut mutatio est, qui tantum dato tempore exequitur, quod æternum decrevit.

Quum Deus aliquam ex generalibus naturæ legibus libere interrumpens, nobis videntibus miraculum operatur, rem facit nobis, non sibi novam. Mutatio in rebus est, quæ momento temporis novo modo existunt, non in Deo, qui novum existendi modum rebus non tribuit nisi juxta voluntatem suam, æque ac essentia sua ipsa sit, immutabilem, & æternam.

568. NOTA I. *Aliud quodvis miraculum esse*

posse eodem modo probabis, ac Josue miraculum esse potuisse modo probavimus, quum unico verbo: *Sta sol* motum aut apparentem solis, aut verum terræ duobus æmulis nationibus id intuentibus suspendit: quod miraculum cum omnibus recentioribus astronomis in hypothesi terræ circa solem mobilis nos explicamus, & quod, si libuerit, in anti-physica solis terram obeuntis hypothesi æque explicari poterit. (Phys. 1341, & 1349).

569. NOTA II. Scimus miracula fundamentum esse, cui præcipue verorum credentium, discipulorum scilicet Moysis, & Jesu Christi fides innititur. Hinc omnes exorti nonnullorum incredulorum duobus hisce postremis sæculis conatus semper renovati, etsi semper inanes, ut miracula dari non posse probarent.

Satis jam futiles eorum contra miracula rationes confutavimus, atque contrivimus. Reliquum est, ut ostendamus, allatis auctoritatibus, irreligiosam ipsorum, absurdamque maniam non ejus, quem philosophicum ordinem vocant, epidemiam esse. Audiamus jam quid de miraculis sentiant tres præclarissimi viri iis sane longe præstantiores, qui miracula fieri posse inficiantur. Neque sane hos nimiæ credulitatis accusabant: sunt autem hi Montesquieu, Lockius, & Joannes Jacobus Rousseau.

„ I. *In actis sanctorum* præcipue, inquit Auctor Spiritus legum, plurima de servitutibus primis Gallici regni sæculis reperiuntur; etsi horum actorum scriptoribus objici possit, nimium credulos fuisse in quibusdam, *quæ Deus certo fecit*, si hæc ab ipso æternum decreta fuerunt„.

„ II. Potest ne Deus miracula operari, legibus scilicet a se statutis derogare? Si quæstio hæc serio tractaretur, inquit civis Genevensis, impia esset, sin minus absurda. Ni-

„ mio

„ mio honore afficeretur, qui illam negative „ propugnaret, si puniretur, satis esset illum „ clausum custodire„.

III. Æque clare, ac valide miracula dari posse probat Lockius; ut videre est ejus verbis a nobis relatis, quum undecimæ præcedenti objectioni respondimus (552).

570. NOTA III. *Miracula re ipsa dari* satis ostendimus, quum & in theorica, & in oratoria nostræ philosophiæ religionis parte ostendimus, pleraque Moysis, & Jesu Christi miracula sacris veteris, & novi testamenti paginis commissa *facta* esse *historica*, quorum veritas tam gravibus, tam multis, tam authenticis, tam irrecusabilibus, tam suadentibus testimoniis confirmatur, ut eorum certitudo nihilo minor sit cujusvis facti historici in prophana historia descripti certitudine; & necessario aut universalis in historia Pyrrhonismi insaniam admittendam, aut factis miraculosis, quæ Moysi, & Jesu Christo tribuit historia, fidem adhibendam.

At vero a præsenti quæstione aliena est hæc disquisitio; hic enim tantum historicæ certitudinis fundamenta, & regulas statuere nobis proposuimus.

CONDITIONUM, A QUIBUS HUMANI TESTIMONII CERTITUDINEM DERIVARI CONTENDIMUS VITIA.

571. OBJECTIO XV. Ut hominum testimonium infallibilem certitudinem facere posset, nobis constare oporteret, illud re ipsa iis omnibus conditionibus convestitum esse, quæ illi infallibilitatem impertiri debent; at hoc patet, obtineri non posse. Inter conditiones enim ad hoc requisitas (517) jure recensentur testium *gravitas*, & *æquitas*; at vero de hisce duobus conditionibus nunquam certiores fieri

 pos-

possumus; facile enim fingi possunt, & hypocrita pietatem facile simulabit.

RESPONSIO. Fieri potest, nec sane contra hominum naturam, aut mores est, exiguum testium numerum probitatem, & gravitatem simulare, ut falsum quid disseminent, & credi faciant, quod ipsis commodum, & utile sit.

At fieri nequit, & *contra hominum naturam, & mores est*, magnum testium numerum ordine, & conditione diversorum probitatem, & gravitatem simulare ut falsa venditent, atque testentur, quum evidens est hoc illis nulli communi utilitati esse posse. Hoc casu, ut jam monuimus, cognitæ veritatis amor fit unicum, & generale motivum, quod ubique multitudinis suffragia obtinet, & determinat (518, & 528).

In genere tunc testes graves, & integri censendi sunt, quum nihil nec in ipsis, nec in iis, quæ referunt, apparet, quod incertum faciat, ac dubium eorum testimonium.

I. Tunc *testis ipse* suspectus esse debet, quum criminibus infamis est; quum aliis vicibus falsi reus inventus est; quum satis rerum, quæ narrat, conscius non apparet; quum non recte judicare videtur de iis, quæ novit; si aliqua peculiari ratione moveri censeatur ad verum aut celandum, aut pervertendum.

II. *Testis relatio* suspecta esse debet, si peculiaria quædam, & adjuncta rebus contineat, quæ inter se non concordant, & quorum unum alterum destruat; quum ea narrant, quæ fabulam sentiant, neque naturali, neque supernaturali rerum ordini conveniant; qui duo ordines ii tantum sunt, quos rerum creator instituit; quum quæ narrat, saltem in præcipuis, oppositos habeant testes alios graves, non suspectos, & fide dignos.

III. At vero quum nulla suppetit suspicandi

ratio de teste ipso, vel historico, nec de ejus narratione; tunc *probitatis*, *& gravitatis præsumptio* ipsi omnino favet juxta axioma morale a judicibus omnibus admissum, & a criticis omnibus admittendum: *præsumitur bonus nisi probetur malus*.

Quum vero hujusmodi præsumptio pro pluribus cujusvis ordinis, & conditionis testibus militat, tunc præsumptio ista naturam mutat, & fit *plena certitudo:* propterea quia contra hominum naturam, & mores est, ut omnium ætatum experientia & observatione docemur, eos omnes unanimiter notæ veritati resistere, quum nulla omnibus communi ratione ducantur, aut duci possint, ut simul omnes in mendacio, & falsitate consentiant. (518 & 528).

572. OBJECTIO XVI. Idem est sex a nobis requisitas conditiones petere ad factorum certitudinem statuendam, atque hanc destruere, & indirecte Pyrrhonismi historici fundamenta jacere. Quæ enim facta certa sint, si ut certa sint, testimoniis confirmari debeant, quæ omnibus iis difficilibus conditionibus muniri debeant, quas nos requirimus? (517).

RESPONSIO. Difficiles conditiones a nobis requisitæ in hominum testimonio, ut ad altissimum suum apicem ejus certitudinem evehamus, nullo pacto conferre potest ad Pyrrhonismi historici fundamenta jacienda; quandoquidem patet, & in sacra, & in prophana historia plurima esse *facta historica*, quorum veritas asseritur, & confirmatur testimoniis, quæ iis omnibus omnino gaudent difficilibus conditionibus, quas ad perfectam certitudinem faciendam postulamus.

I. Testimonium omnibus a nobis petitis difficilibus conditionibus convestitum nobis narrat, atque testatur existentiam, variamque positionem urbium, provinciarum, gentium, regnorum, quæ in orbis nostri superficie diffusa

sunt: existentiam, magnasque vicissitudines regnorum, atque illustrium rerum publicarum, quæ præcedentibus sæculis magno nomine claruerunt, & quarum memoria in historia viget; existentiam, & præclara gesta Alexandri, Hannibalis, Scipionis, Attilæ, Caroli magni, Divi Ludovici, Henrici quarti, Ludovici magni, Pythagoræ, Platonis, Socratis, Archimedis, Ciceronis, Virgilii, Xenophontis, Moysis, Salomonis, Jesu Nazareni, Divi Petri, Divi Pauli, Divi Augustini, pluriumque aliorum illustrium virorum respectivis eorum ætatibus.

II. Testimonium omnibus iis difficilibus conditionibus convestitum nobis narrat, atque testatur in novi testamenti historia inter plura alia facta historica insigne miraculum *Resurrectionis Jesu Christi*; cujus testes oculares fuerunt quingenti, & ultra, qui de hac certiores fieri plenissime potuerunt diebus quadraginta; quæ resurrectio paucis post annis historiæ authenticæ commissa & toto orbe cognito annunciata, & vulgata fuit ab iis ipsis, qui illius testes, & spectatores fuerunt; quique postquam ejus fuerunt evangelistæ, & apostoli, tanta virtute fuerunt, ut martyres fierent & omnes, aut ferme omnes sanguinem fundere, & vitam inter supplicia amittere non dubitaverint, ut voce perseveranter unanimi ejus veritatem, & certitudinem testarentur. Hæc resurrectio præterea primum hoc ocularium testium agmine confirmata, qui de ea certissimi facti fuerant propriorum sensuum testimonio, quique vitæ ipsius sacrificio, & sanguinis effusione ejus veritatem obsignaverant, deinde vulgata, & ubique gentium promulgata fuit ab aliis testibus ocularibus, aut auricularibus, qui sermones audierunt, & martyrium viderant horum primorum Christianæ fidei patriarcharum, & heroum, a quibus universus orbis eruditus fuit; deinde per successiva tempora ad nos usque transmissa

fuit

fuit historiis omnium certissimis, monumentis innumeris maxime authenticis, traditione nunquam intermissa, semperque historiis hisce, monumentisque concordi.

Omni sane ratione, ac intellectu careat oportet qui de quibusque prophanæ historiæ factis dubitet. At enimvero cuinam historiæ prophanæ narrationi fidem adhiberemus, si semper, ut de illa certi essemus, testimonia requirerentur ita gravia, ita authentica, ita multiplicia, ita permanentia, ut ea sunt, quæ nobis miraculosæ hujus resurrectionis veritatem, ac certitudinem contestantur?

Idem ferme dici potest de miraculo Ascensionis Jesu Christi, de miraculo Spiritus Sancti ad Apostolos delapsi, de miraculo resurrectionis Lazari, & de omnibus ferme Jesu Christi, & apostolorum miraculis.

III. Testimonium omnibus difficilibus iis conditionibus, quas requisivimus, convestitum nobis asserit, atque testatur in historia veteris testamenti inter innumera alia facta historica pleraque *Moysis miracula*, exempli gratia, mortem miraculosam, qua omnes ægyptiorum primogenitos afficit; miraculosam viam, quam genti suæ per medium erythræum mare aperit; miraculosum cibum, quem e cælo evocat annis continenter quadraginta; fontem miraculosum, quem ex arida rupe educit; miraculosum barathrum, quo præcipites ruunt famosi tres illi veteratores, qui se Dei viventis pontifices sacrilege instituere ausi fuerant; ceteraque permulta. Miracula hæc sensibilia, illustria, perdurantia diutius ab universa Hebræorum gente, a pluribus hominum millium millibus nationem integram facientibus sive in Ægypti campis, sive in Arabiæ montibus visa, & perspecta fuerunt; hæc ipsa miracula authentica, & indubitata historiæ commissa, & posteris demandata

fuerunt a Thaumaturgo ipſo, cujus miniſterio Deus hæc operatus eſt; vera, & certiſſima habita fuerunt ab univerſo eo populo, quem Deus elegerat, ut eorum teſtis, & aſſertor eſſet; hujus ipſius nationis poſteri legum, & divinorum miraculorum cuſtodes, horum miraculorum memoriam ſemper ſervarunt, ſemper veritatem aſſeruerunt, ſemper re ipſa eveniſſe teſtati ſunt; hæc quoque miracula a Moyſe ad nos uſque devenerunt tota ea certitudine munita, quam illis impertiri poteſt & hiſtoria ſacra, cui immutabiliter commiſſa fuerunt eo ipſo tempore, quo evenerunt; & mores ipſi loquentes nationis adhuc ſuperſtitis, cui ex parte adhuc impreſſa apparent; & conſtans, concorſque traditio, quæ nunquam eorum memoriam ſervare, & renovare deſiit per ſucceſſiva ſæcula, per ætates, per dies tum apud Hebræos, tum apud nationes omnes, in quibus Hebræi diſperſi ſunt.

573. NOTA. Inter Moyſis miracula nullum impiæ incredulitati majus negotium faceſſit memorabili *tranſitu maris rubri*. Proinde nullum eſt, in quod plura indocti, & inſani permulti abſurda ſpeculati fuerint, plureſque præpoſteras hypotheſes excogitaverint. Quid non inventum, quid non ſcriptum fuit, ut dubia facti hujus veritas redderetur, aut ut hiſtoriæ auctoritas infirmaretur?

I. Dictum eſt, Hebræos, ut univerſi, & exercitu inſtructo a Terra Geſſem in Terram Chanaam tranſmigrarent Mare rubrum trajicere non opus habuiſſe: iſthmus enim tunc aderat, & adhuc per hos dies eſt ſatis latus inter mare mediterraneum, & erythræum, quo breviorem viam ſequuti e Pharaonis ditione evadere poterant, & regione patribus ſuis promiſſa potiri. Quaſi vero exercitus, & natio univerſa ſemper breviori itinere pergere poſſet

Pla-

Plane constat, qui hæc excogitarunt, ne Hebræi per rubrum mare iter facerent, nunquam neque sub Rege Borussiæ, neque sub imperatoribus Saxone, aut Broglio stipendia meruisse.

Quo tempore Hebræa gens, ut iniquam tyrannidem effugeret, ex Ægypto egredi coacta fuit, ubi jure gentium libera esse debuerat, at a fortiori oppressa non ferendam serviebat servitutem; celebris isthmus, quo Africæ Asia conjungitur, & mare mediterraneum a rubro separatur a barbaris, efferatisque nationibus tenebatur Chananæorum, & Ammorrhæorum; quas aggredi, ac cædere oportuisset in propriis earum finibus, & munimentis; atque hoc pugnis, ac præliis pluribus, ut ab occasu ad ortum aditus ad promissas regiones patefieret; quod evidenter tunc Hebræi tentare non poterant, quos a tergo innumeræ Pharaonis copiæ insequebantur. In tanto rerum discrimine nullum Hebræis effugium supererat, nisi ut Dei exercituum auxilio confisi sibi ad austrum secus erythræi litus viam armis aperirent; atque hoc ipsum consilium arripuerant, ac sequebantur, donec inter Pharaonis exercitum, & mare ipsum conclusi extremum fatum universi vitare non amplius poterant, nisi miraculo illo ipso, quo ab internecione liberati fuerunt, quodque illis fuit, & eorum posteris epocha maxime memorabilis; ipsa enim natio adhuc superstes hujus erat & semper visibilis effectus, & semper permanens monumentum.

II. Dictum est, Moysem post observatum alternum maris æstum, qui in erythræo maximus est, etsi non item in mediterraneo (*Phys.* 1469), sedulo tempus arripuisse, quo aquæ refluxerant, & recesserant, ut sicco pede cum gente universa fretum illud trajiceret: emersum vero populo suo significasse, hunc aquarum re-

ces-

cessum miraculosum fuisse, & visibilem supernaturalis divinæ protectionis effectum.

Quasi vero gens, quæ ducentis, aut tercentis jam annis propinquas mari illi regiones, & litora ipsa incoluerat, diurnum marini æstus phænomenon ignorare potuisset; quasi vero natio, quæ nunquam universa stolida, & hebes est, vulgare, tritumque phænomenon miraculosum, & supernaturale facile habere debuisset; quasi vero æstus, qui in maribus, ubi maximus est, aquas decem, aut duodecim pedes tantum deprimit, erythræum avertere, & exsiccare potuisset; quasi vero maximæ depressionis tempus, quod horæ quadrantem non excedit, satis esset, ut sexcenta millia militum, & natio universa tribus mille millibus, & ultra constans fretum pedes transire posset etiam millies angustius erythræo ubiubicumque tandem celebris iste transitus factus fuisse dicatur. Plane perspicuum est, eos qui ita celebrem hanc trajectionem explicare voluerunt, ut nihil miraculosum in ea inveniretur, omnino jejunos esse in scientia morum, in physica, in historia naturali, in geographia, in exercituum, aut nationum itineribus.

III. Plura alia prorsus absurda, & inepta excogitata, & vulgata fuerunt, ut celebris hujus transitus veritas infirmaretur, aut saltem ut sine miraculo factus fuisse probaretur; at hæc nec referri, nec confutari merentur: tantum ea oblivione, eoque contemptu digna sunt, quibus a sanis mentibus tradita sunt.

Vere dolendum esset, si iis ineptiis, atque insaniis omnibus refellendis tempus terendum esset, quas impietas stulte somniat. Impius audax, & indoctus, qui temere sive in conclavi suo, sive in amicorum concilio blasphemet, plura falsa, & improba effutit horæ quadrante, quam quæ Bossuetus, aut Fenellonius sex mensibus refellere possint.

574. OBJECTIO XVII. Patet sane sex requisitas conditiones aptas esse factis historicis inconcussam certitudinem conciliare. At vero patet ne quoque, has omnes conditiones ad certitudinem factis historicis impertiendam esse necessarias? Quot facta sunt, quæ certa a doctis, & sanæ mentis viris passim habentur, nec tamen tam gravibus auctoritatibus, ut nos vellemus, innixa sunt? Ergo inter has præcipuas conditiones, a quibus certitudo factis historicis derivatur, nonnullæ sunt inutiles, & superfluæ. (517).

RESPONSIO. *Factorum certitudo* admittit magis, & minus: major, aut minor est pro majori, aut minori vi, & auctoritate, qua pollent motiva illam statuentia. Iusulam Taiti existere mihi certum est; hoc enim a testibus satis multis, ac gravibus ita mihi confirmatur, ut omnem a me removeant dubitationem. Insulas Britannicas existere mihi adhuc certius est; hoc enim testibus adhuc gravioribus, & pluribus comprobatur, qui omnem prorsus adhuc efficacius, & irresistibilius dubitationem excludunt. Certitudo, quam habeo, insulam Taiti existere, æque vera, ac plena certitudo est, ut ea est, quam de Britannicis insulis habeo; prima tamen quid minus altera habet virium ad persuadendum; quæ enim hanc statuunt testimonia quum plura sint, magisque permanentia in me agunt influxu persuasivo validiori, magis imperioso, promptius, irresistibiliusque efficaci testimoniis illis minus copiosis, minusque diuturne agentibus, quæ illam statuerunt.

Quod certitudo vulgo dicitur non semper hoc nomine dignum est. Multitudo, quæ parum semper philosophatur, semperque parum apta est veros idearum, & rerum fines statuere, sæpius certitudinem a verisimilitudine non secernit: quod tamen accurate faciendum est.

Fa-

Factorum certitudo quin in verisimilitudinem abeat, imo vera strictaque certitudo permanens varios admittit gradus, quos apte distinguere peropportunum; quantum tamen id patitur ordo moralis, in quo non ita facile est certos limites figere, ut in mathematico.

I. Facti certitudo ad summum apicem est elevata, *quum* innititur *testimoniis qua omnibus a nobis petitis conditionibus munita sint.*

II. Facti certitudo aliquanto minori vi pollet, tanta tamen, quæ omnem prudentem dubitationem excludat, a doctis, & sanæ mentis viris, quum *quatuor, vel quinque testium, aut historicorum testimonio* innititur, qui asseverent quod narrant se ipsos vidisse, aut ab ocularibus omnino fide dignis testibus accepisse; modo quod narrant apte sensibile sit, nec ἀδύνατον; ii, qui narrant notæ probitatis homines, rectique ac sani judicii sint; neque in eorum utilitatem, aut commodum influat ista narratio.

III. Par præcedenti, & æque apta dubitationem omnem prudentem a sanis mentibus removere certitudo ea est, quæ innititur *testimonio hominum doctorum, & in suo genere peritorum*; etsi quod testantur minus sensibile sit, magnamque sagacitatem postulet, ut apte percipiatur. Hoc pacto physica experimenta, & astronomicæ observationes, quæ in illustribus academiis fiunt, ea omni gaudent certitudine, quæ ipsis tribuitur.

IV. Certitudo præcedentibus minor, apta tamen prudentis hominis judicium determinare, & assensum obtinere ea est, quæ aliquando innititur *unius testis gravissimi, summæque auctoritatis testimonio*, qui asserit, suismet oculis se vidisse aut propriis auribus audivisse quod refert, atque testatur.

Veritatis amor rectis animis, & ingenuo loco natis insitus, ignominia, qua afficerentur, si

si falsi, & fraudis convincerentur in iis, quæ se vidisse, aut audivisse testantur, gravia satis, ac fortia argumenta sunt, ut hominem in dignitate constitutum, honoris studiosum, ac integritatis, ab omni commodo, aut mendacio sive publice, sive privatim vulgando abstinere faciant.

V. Quidquid in testimoniis hominum minoris gravitatis, & auctoritatis est passim ineptum, aut nimis tenue; ut veram certitudinem facere possit, censendum est. Fortasse tantum erit, ut verisimilitudinem, aut probabilitatem facere possit: certitudinem tamen non faciet. Certitudinis motiva plus aliquid postulant motivis verisimilitudinis; & hæc plus aliquid illis probabilitatis.

575. NOTA. Alibi diximus (380) *omnem certitudinem* aut a sensus intimi, aut idearum, aut sensuum, aut hominum testimonio necessario derivari.

Ut iis quæ genericæ huic assertioni objici possent, occurramus, opportunum est hic incidenter indicare ad quem ex his quatuor fontibus spectet certitudo *divina revelationi* innixa; tum certitudo quibusdam *naturalibus persuasionibus* innixa, quæ omnibus hominibus communes sunt, & quæ objecta respiciunt neque a sensibus, neque ab animæ affectionibus pendentia.

I. *Certitudo, quam facit revelatio divina* innititur idearum testimonio. Quare nam assero, quidquid Deus mihi revelat sive per se, sive per ministros ab ipso probatos, verum esse, & indubitatum, sive revelatam veritatem apte percipiam, sive in se ipsa non eam percipiam? propterea quia evidenter intelligo, Deum, qui infallibilis sapientia, & indefectibilis veracitas est, nec fallere, nec falli posse; sive per se me pse erudire dignetur, mihi modo supernaturali

&

& præsentiam, & vocem suam manifestans, ut olim Moysi, & Patriarchis nonnullis, & prophetis; sive communem providentiæ ordinem sequens me per nuncios, & ministros suos erudiat, qui certis, & indubitatis rationibus, se ejus nomine & agere, & loqui, mihi ostendunt (417).

II. *Certitudo, quam faciant persuasiones quædam naturales omnibus hominibus communes* de objectis, quæ neque sensus, neque animi affectiones respiciunt, ipsa quoque idearum testimonio innititur. Quarenam assero, communem hominum persuasionem de Dei existentia, de legis alicujus, & cultus necessitate, de vitii, & virtutis distinctione, de alterius vitæ veritate, horum objectorum veritatem solide, & invicte probare? propterea quia evidenter concipio, hunc communem hominum sentiendi, & judicandi modum non nisi ab ipso naturæ auctore provenire posse, ipsumque eum sentiendi, & judicandi modum hominibus indere non potuisse, quo in errorem, & illusionem inducerentur, quin ipse erroris, & falsi auctor, & probator sit; quod naturæ, atque essentiæ suæ evidenter repugnat (425).

In hac perpetua idearum, & opinionum oppositione, quæ in hominibus necessario exoritur ex climatum, legum, religionum, naturarum, indolum, affectionum diversitate, plane apparet, *quidquid in hominibus immutabile est*, necessario a naturæ Auctore proficisci debere, cujus opera, & dona nunquam ad hominum genus in perpetuo errore detinendum instituta esse possunt

576. CONCLUSIO. Quatuor hujus maxime utilis tractatus sectionibus ostendimus varia *humanæ certitudinis* fundamenta. Hæc universalia sunt: iis omnes divinæ, humanæque scientiæ, cognitiones nostræ omnes, quæcumque eæ sint,

sint, innituntur. Hæc solida, & inconcussa sunt: ea aut impugnare, aut infirma suspicari nequimus, nisi rectæ rationis, & sensus communis radiis clare elucentibus mentis oculos prorsus occludamus.

Tomi Primi Finis.

Errata	sic	Corrigenda.
Pag. 16. lin. 13.	ibi	illuc
31. 21	ferri	feratur
34. 30	statuit aut enervat	statuunt aut enervant
48. 28	quæ	qui
60. 29.	&	at
64. 12	primi	prima
83. 28	amatoris	amaroris
88. 6	hæc	hæ
96. 9	veritatem	veritatum
106. 4	cognita	incognita
174. 17	prophetica	prophetia
178. 13	quam	quem
206. 26	quo	qua
224. 3	rebus	generibus
226. 32	habeat	habeant
259. 18	addunt	adducunt
321. 31	duobus	duabus
345. 7	mens	mons
356. 32	Aristum	Aristus
356. 34	quercum, malum unam	quercus, malus una
372. 17	quæ	quas
376. 37	sit	sint
381. 1	&	ut
424. 8	affirmat	affirmare
450. 2	mentis	manus
518. 23	mille	quatuor mille
575. 24	bonis	binis
586. 33	narrant	narrat
587. 28	potest	possunt

Operarum errores pauculos, nec magni momenti quos hic indicatos Lector non inveniet, ipse facile corrigens, condonabit.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approv azione del *P. F. Gio: Tommaso Mascheroni* Inquisitor Generale del Santo Offizio di *Venezia*, nel Libro intitolato *Theoria Entium Insensibilium, sive Metaphysica Universa &c. Auctore Abb. Para du Phanjas, e Gallico Sermone in Latinum vertit F.' T. Tomi primi prima pars, & secunda. M. S.* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e Buoni Costumi, concediamo Licenza a *Lorenzo Baseggio* Stampator di *Venezia* che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 24. Luglio 1780.

(*Alvise Vallaresso Rif.*
(*Andrea Tron Kav. Proc. Rif.*
(*Sebastian Foscarini Kav. Rif.*

Registrato in Libro a Carte 438. al N. 1761.
Davidde Marchesini Seg.

Adi 26. Luglio 1780.

Registrato nel Libro del Magistr. Eccelentiss. contro la Bestemmia, a Carte 95.
Andrea Sanfermo Seg.

Adi 31. Luglio 1780.

Registrato in Libro dei Privilegi dell'Università de' Librari, e Stampatori.
Marc' Antonio Manfrè Prior attuale.